

SIC TVNDITVR ORBIS.
BATRACHO-
MYOMACHIA
HOMERI
Tubâ Romana can-
tata,& Aevo nostro
accommodata.
à
IACOBO BALDE
SOCIET. IESV.
MONACHII MDCXLVII.
ASTV PVNICO
Pro te
Pro te
SVB TENTORIO ET ÆNIGMATE.

IACOBI BALDE S. I.

De Batrachomyomachia

LIBRI V.

PRÆFATIO.

Qvod iuuenis Poëma lusi; tibi Iuuentus studiosa literarum, & quisquis Romanas Musas serenâ fronte colis; nunc libens in manus trado. id si animaueris benigni fauoris afflatu, bene viuet. Bellum, vt scias, ; vtique formidolosum, BATRACHOMYOMACHIAM. n veram æque ac terribilem, nisi optimus iuxta rissimus vates HOMERVS tradidisset: me quidem libido eò nunquam erat impulsura, vt tam seue- ac tetricum, si Dijs placet, argumentum primus fingerem. Tam lepidum, inquis, & iocosum, vis re. tam gracile, inquam, ac tenue. quin immò sterile & aridum: ego tam vile, addo, & puti- n. MVS & RANA, quid sint, nôsti; Hercule, feroces ellicosæ belluæ: animalia nimirum hoc pæne solo nine famosa, quod Philosophis eorum progenito- ,auos & tritauos, inquirentibus, ingens negotium iant: cæterùm furtis ac rapinis contra Siculum rrem; nocturnis commessationibus supra M. An- nium; inconditis verò clamoribus etiam contra ntorem celebria. Quis autem furor est, argutat us, prodigere bonum sanguinem in ignobili bello! uâ castaliâ diluere lutum! Mouisses classicum vi- infregisses lituos & tubas pugnæ Pragensi, Lip- cæ, Cimbricæ; bello Bohemico, Germanico, Sue- co. aut si vetera maluisses, Ciuili, Gallico, Punico. m dixi: Iuuenis lusi. neque *quisquam illustrium ëtarum est*, ait Statius lib. 1. siluarum, in præfatione l Stellam Amicum; *qui non aliquid operibus, suis stylo missiore præluserit. nam & Culicem* (Maronis) *legimus*; *Batrachomyomachiam* (Homeri) *agnoscimus*. Quem uidem Smyrna velitari tantummodo vidit: vt qui on nisi trecentos & tres versus condiderit. Ego t. m eroces exercitus, ex Græcia, terrâ marique transpor-

 tatos,

tatos, plenâ acie, infesto agmine, omni cum militari apparatu in Latium deduxi. Deinde, quæ Polynices aliquis prodigia rerum desiderat, plenas sonantibus sententijs fossas, gurgites inopinorum euentuum, & quas Politicas multi iam crepant phaleras; Lector, qui nasum habet, fortassis & hîc reperiet. sub tentorio & ænigmate tempora deuoluo: dispono machinas figo signa excitantia pruritum fatorum & indagandi cupidinem. Quod in Apologis fieri amat, continet ista Scriptio quædam quasi semina facilè eruenda ad bene viuendum. Si Murium Ranarúmque nomina non intelligas; credes te nostratia prælia spectare, & ANTHROPOMACHIAE interesse. Referuntur virtutes ac vitia paci bellóque communia, exhibentur simulacra pugnæ, dubij successus, crudelissimi Fortunæ ac Mortalium lusus: Vatis Venusini dictum, delicatis auribus sæpe insonet: *Ridentem dicere vera quid vetat?* Item: *Tantalus à labris sitiens fugientia captat Flumina. quid rides? mutato nomine de te Fabula narratur.* Dicas sanè nonnunquam: HOC ET HOMINES AGVNT. peioribus odijs efferantur. ridendis de caussis deflenda bella mouent, *&c.* Disce nomina, disce sensum. quid imiteris, quid vites, dispice. Physignathus strenuus bellator, sed fastuosus est. Calaminthius fortissimum militem agit; curiosum Apicium Psicharpax. Mausolus, Artepibulus, Meridarpax magnis belli virtutibus, magnísque vitijs insignes sunt. Tyroglyphus furiosus, Hydrocharis innocens, Sitologus & Sitophagus fidissimi fratres; cultor Deûm Hypsiboas, impius Lichenor; Boborocœtes in pugna laudandus, post victoriam segnis, funesto fine consumtus, *&c*

Ausculta porrò, quibus Amici mei rationibus me perpulerint ad hoc scribendi genus. Ætati, suggerebant, numerosam eloquentiam amanti, illum præclaram & fauorabilem operam nauaturum; qui materiam sterilitate ipsius rei & naturæ damnatam, velut solum colono desperatum proscinderet, irrigaret, iactúmque semen fecundæ Poëseos calore animaret in

messem.

tem. eum deinde ingenij qualiſcunque fructum,
t exemplar imitaturis proponi poſſe.quando aliàs
:tores vereri non debeant, exilium quoque rerum
ilegijs impendi, & quodammodo proſtituere di-
ntiam; hoc eſt, tenere modum, non de maximis
ıtaxat, ſed multò maximè de minimis quibuſque
us, diſertè, fusè & copiosè dicendi. eliciatur aqua
umice; quædam à laude devia laudare nitantur:
cùm meritæ veræque laudis obuenerit copia, faci-
s atque elegantiùs tractent. facilè enim deficere,
i non niſi ipſum Virtutis oculum ſuſpicere conſue-
:it. ſapienter Romanos Oratores priùs de tribus
ellis litem mouiſſe, quàm de trecentis leonibus,
os in vnum ſpectaculum & munus Iulius Cæſar
xit. Inde dimanaſſe Veterum luculentas Deſcri-
ones admirantium Apes, Formicas earúmque Reſ-
blicas. quàm ſcitè Philoſtratus retexuit texta Ara-
æ! quanto calore alius in Muſcam deferbuit! Qui-
m Bubonem aquilæ prætulit. Paſſer Catulli, Co-
mba Stellæ, Pauoni Luciani nil conceſſerint. Ouum
yci Puteani quantis encomijs ouat! Idem auctor
æcitatem commendabilem facit, tenebras dulces:
edipodis noctem pluribus commodis illuminat. A-
us ex Neotericis cauſſam Pulicum defendendam ſu-
epit, felici, per Iouem, ſucceſſu. vtroque anti-
uior Hieronymus Vidas, ludum latrunculorum,
uem Scacchum nominant, ſerio certamine exhibet,
riumphátque; velut ſi Milites quercu & orno proge-
itos, ex ligneo Equo Troiano emiſerit, non in aſſe-
em, ſed arcem Priami. Hæc aliáque occinentibus
Amicis parendum duxi. Et verò, ita me bonæ Muſæ
ment, malim præeuntis Homeri veſtigia ſequi, quàm
quorundam noſtri Æui eroticas nugas lambere. ſcili-
:et illis ſolùm laurus debeatur, quibus nec Daphne
ampliùs virgo eſt. qui nullam hederam amant, niſi
myrto inflexam. vellunt coniugi ſuæ flauos tres ca-
pillos, & deſcribunt. colligunt Pellicis amatæ lachry-
mulas, Delphicáque paterâ incluſas conſecrant Ery-
cinæ. prolixo carmine mirantur Oculum, qui depræ-

 datus

datus est animam ipsorum. hærent in peplo Sponsæ & crepantibus sandalijs; Cupidinis vultu & cincinnis; arcu, pharetra & olorinis alis; & quæ iam dicere nolo, Apage hæc Aphrodisia Scriptorum; qui & Venerem habent, & veneres non habent; venustius facturi, si vel cochleam à celeritate commendarent.

Accipe nunc, Lector, & genium nostri Poëmatis. Turcas perhibent exacturos aciem ferri, in captiuorum nudis corporibus ad palum ligatis, nudos acinaces probare; obliquè, in decussim, velut in grandi fungo, neque sensuro, pro immani libidine vulnera scindentes. barbara feritas! At enim quid prohibet Stylum poëticum acui in Ranarum & Murium corpusculis. quando autem ea & vilia & exilia sunt; necessariò mixtum canendi genus vsurpatum. Quod humile, erigendum erat animosâ dictione, & assurgentis impetu, succollantibus tropis ac figuris. conducendæ & comportandæ scalæ, seu grallæ, è Parnasso; nonnunquam aërium Statij iter, cuius vsu Musculus excresceret eminus videndus, & Gigantem mentitus. Iam, Rana quî bella geret non cothurnata? nunquid non prægrauatos armis Tritoniæ, fortis sonitus tubæ ad Garamantas vsque difflabit? Quòd si omni tuba & semper vtaris, lacuum antrorúmque oblitus: vterque fatiscet & rumpetur exercitus. quin & gratia quædam bello decedet, quam illi ex monstris confecto, natura harum animantium & obuius lepor, paruitate ac vilitate suâ conciliat. Quare temperari calor debuit, cantus misceri: eadémque tuba modò remissiùs, modò fortiùs inflari. nimirum, vt flumina diuersis meatibus & ostijs, non alia, sed aliter fluunt. vt aues iam summa, iam ima petentes, non alijs pennis, sed alio volatu auram stringunt; quíque peritè ludunt testudine, nunc vnam aut alteram tantùm chordam depectunt; mox digitis raptim micantibus, confuso sono clariùs personant. ad eum modum Ranas iam lacubus suis reliqui, iam in alto æquore inter Tritones collocaui, semper tamen Ranas. qualiter & formicæ in crystallo figurata, maiores se ipsis, etsi ipsæ

appa-

rent. denique Murem exhibeo Morem: vtenā-
instar montis ædificem, vsus vel palpandâ Hy-
bole; vel plerumque manifestâ Ironia, quæ om-
V. libros velut anima percurrit. Atque hæc com-
moraui instruendæ Iuuentutis gratia; non com-
uendi supercilij Doctiorum.

FACVLTAS R. P PROVINCIALIS
Societatis Iesv per superiorem
Germaniam.

*Atrachomyomachiam Homeri, à Iacobo Balde, Socie-
tatis nostræ Sacerdote, latino Carmine descriptam & au-
am: quia existimatur legi posse cum fructu: ego Wolf-
angus Grauenegg, Societatis* Iesv *per superiorem Germa-
iam Præpositus Prouincialis, potestate ab admodum R. P.
I. Mutio Vitellesco, Præposito Generali, mihi factâ, sub
ypos venire permitto. Atque vt hoc constet, hisce meum
omen subscripsi, & officij mei Sigillum appressi. Ratisbonæ
4. Maij 1637.*

WVolfgangvs Gravenegg.

NOMINA RANARVM:

Borborocœtes	*In cano cubans.*
Calaminthius	*Ab arundine seu calamis.*
Craugasides	*Clamator.*
Crambophagus	*Braßicam vorans.*
Hydromedusa	*Aquarum Regina.*
Hydrocharis	*Aquâ gaudens.*
Hypsiboas	*Altisonans.*
Limnisius	*Paludosus.*
Limnocharis	*Palude gaudens.*
Praßiphagus	*Porrum comedens.*
Pelusius	*Limosus.*
Pelobates	*Gradiens per lutum.*
Physignathus	*Buccas inflans.*
Pileon	*Volutans se in luto.*
Polyphonus	*Multisonus.*
Seutlæus	*Olerinus.*

Vocantur etiam *Glauci. Caruleus populus.* Rex Batrachorum Physignathus, *Paludanus.*

NOMINA MVRIVM.

Artepibulus	*Pani insidians.*
Artophagus	*Panem comedens.*
Cnissodioctes	*Nidore perfusus.*
Embasichytros	*Ingrediens in Ollam.*
Lichopinax	*Liguritor patellæ.*
Lichenor	*Lambens caudam.*
Meridarpax	*Particularum raptor.*
Pternoglyphus	*Pernarum excauator.*
Pternotroctes	*Pernarum rosor.*
Sitologus	*Frumentator.*
Sitophagus	*Frumentum comedens.*
Troxartes	*Rosor panis.*
Tyroglyphus	*Casei excauator.*
Troglodytes	*Habitans in cauernis.*

Accessere ad hos Bellatores Re, *&* Nomine, *&* Fatis *ita volentibus Maritus & Coniux, Rex & Regina Caria* Mausolus & Artemisia. *Rex & Regina Murium. quos etiam Mauros, Maurusios, Æthiopes, Musulmannos, Musulmannigenas appello.* Felis *seu Catus dicitur, Æluras, Panurgus, Maumyas.*

Batra-

Batrachomyomachiæ

LIBER. I.

Caussa & origo Belli.

INuisas acies, Latióque ignota tot annis
Prælia Ranarum cum Muribus, asperáque arma
Hinc canere incipimus. tantæne animalibus iræ,
O Superi, minimis! & stragem, & vulnera magna
Et scelus, & furias, & quid non denique campus
Sordidus à tabo, densísque instratus aceruis
Portauit. galeæ vndantes, caluæque supinæ
Supra vnum iacuere globum. tardata meatu
Flumina, & hærentes alibi torpore Paludes,
Tunc magis astrictæ cumulata ob funera, segni
Dormiuere situ. Tu, quem formosa reuinctum
Cæsaries, Grynee, decet; quíque improba flantem
Sibila fatali iaculo Pythona coruscas,
Phœbe faue: profit, tua me retulisse trophæa.
Incurre hoc notum tibi pectus, & indue vultum
Fatidico pallore Dei. tua si bona semper
Optaui: si vera cano maioráque bella,
Quam Thebanarum spectárunt agmina Matrum,
Captáque prociduis senserunt Pergama muris.
Principio tantæ caussas & semina cladis
Musa mihi memora, & fidibus prælude remissis.
I. Fortè Myocephalus fessus, sitiénsque propinqui
Libabat latices stagni. nat pendula barba;
Os inspicatum micat, & se proluit vndâ.
Hæc tacitè secum: nisi corpore lubricus essem,
Ingenióque sagax; quàm me prope Felis adunco
Correptum pede, viuentem misisset in Orcum.
Hactenus euasi. posticâ illudere sannâ
Quid vetat, & longas aures ostendere victo?
Atque ea voluenti se se aspectabilis offert
Limnocharis, talíque strepens sermone lacessit.
Fare age, quò tendis? cur nostra (abruptáque verba
Mersit aquis saliens, iterúmque euoluit ab imo

Molle caput) cur noſtra venis ad littora Maure?
Vnde domo? qui te talem genuere parentes?
Ex quo fonte fluit generoſi ſanguinis humor?
An ceras etiam fumoſa per atria monſtras?
Quot ſtatuæ ſimiles tibi ſtant in curribus altis,
Qui naſo careant, quorum os venerabile fractum,
Commemora, viſum non aſpernate Sodalem.
Talia Limnocharis; cùm ſe Phyſignathus algâ
Extulit, obtutu defixus in Hoſpitis atri.
Et verò, NIGER EST, hunc tu caue, percitus inquit,
Flaua Soror, ſuſpecta nouæ commercia linguæ.
Illa leui ſaltu iungens ſe cærula Fratri,
Deſine dulcis, ait, vani, Cognate, pauoris.
Quem metuis, ſi nos Omen non fallit, amabis.
Namque ſitim noſtro dignatus ponere fonte,
Prætulit hunc fluuio ſummis è montibus orto.
Atque vtinam diſcat, quæ regna colamus & oras;
Fors noſtras laudabit opes. ego lapſa ſub vndas
Sternam molle vadum, vitreúmque ornabo cubile.
Dixit, & ad Socias Gauiſa palude reuiſit.
II. Aſſenſit Glaucus dictis, ac corpore moto
Percuſſas ſulcauit aquas, propioràque carpens
Littoris, inflatas laudes ſpumoſiùs efflat.
Ille ego magnanimus putrium Regnator aquarum.
Hydromeduſa parens Pelago, Pater imperat aſtris.
Altum à Sole genus, per tot faſtigia nati
Ducimus, & paribus luſtrantur ſidera cunis.
Vitales bibimus radios, cùm Cynthia plenis
Vultibus effulget, noctemque vlciſcitur atram;
Excipimus iubar, & claris aduoluimur aſtris.
Noſtra coronatæ ſunt puluinaria ripæ.
Semideos, Phœbóque ſatos Hyperione multa
Commendant: placidi mores, concordia virtus
Et quæ Romanæ volucris facundia vincit
Roſtra, nec aſpectum metuit ſtupefacta luporum.
Noctes atque dies, iuſſi iniuſsíque forenſes
Clamore extrahimus lites: vix clauditur vllo
Curia iuſtitio. NOS, NOS, mihi crede, NATAMVS!

Totq; Lacus regimus, quot maxima flumina Nereûs?
Quid præter Iouis Oceanum, magníque Tridentis
Iura deest? sed & hunc Sceptrum non vilius æquat.
At tu Quisquis ades, qui fuscæ licia barbæ
Vngue manu mulces, & prætentata flagellas;
Quanquam etiam pelium video, truculentáque signa
Militis, ausuri iusto concurrere Marte:
Da Generis seriem stirpémque, & nomen auitum.
Quas sentis stellas, quali carbone notaris?
III. Æmulus hæc contra: (vocémq; argutat, & vris
Mille dolis) an adhuc Nomen tu quærere nostrum!
Quod licet occultum specubus vallemus & antris;
Protrahit in lucem tamen illud acuta Cati vis;
Venantis pedibus manibúsque, & in aëra iactat.
Quod caput est: certant Homines quoque tale mereri:
Et capiunt, quando facinus sunt grandius ausi.
Inter aues, intérque Deos, Satyrósque vagamur
Conuiuas; madidóque datur procumbere disco.
Ille ego Psicharpax Troxartæ filius ingens.
(Erexítque caput moto versabile collo,
Quantum non valeat serpens diductus in auras;
Cum reparat vires, virúsque assibilat astris.)
Mater Lichomyle suauissima, Pternotroctæ
Progenies. tu magna crepas primordia Gentis;
Æquoreos Proceres, & iunctam sanguine Tethyn;
Nympharúmque toros, & structa palatia musco.
Ostrorum sanies, electrum, & coccus & aurum
Quid faciunt Ventri? natum me paupere tecto
Non pudet, & tutam dat quiuis angulus arcem.
Incolat exosus Superis, vel proditor aulas
Marmore subnixas Pario: mihi cespite paruo
Hærenteis Fortuna casas sine crimine seruet.
Frugalémque penum. Malo non magna timere
Atria, & incolumis paruâ considere Mensâ:
Quæ pedibus malè fulta tribus, baccásque, fauumque
Offerat innocuum: quàm cum formidine leti
Suspectas epulas è vestro tollere ponto,
Contentus ditione mea, nec fata Iouémque

Accuſo, terrâ ſpeluncíſque abditus atris.
Secum habitat felix. hic totum poſſidet Orbem,
Cui natura, Satis. nullum tam nobile regnum,
Non eſt imperium maius, quàm nulla cupido.
Titanem iactas Phaethontis origine clarus.
Et nos aſtra fouent: & nos Clymenæa vocamur
Pignora: ſidereos & nos adſcripſit in ortus
Signifer. haurimus communia ſemina cœlo.
Nec iactare lubet, potiùs virtute paterna,
Quam Patre nitendum, & priſcæ rubigine matris.
Qui bonus eſt, bene natus hic eſt. contemnere vileis
Exuuias iuuat, & nomen ſibi quemque parare.
Præterea turges, ambíſque Orator haberi
Garrulus. hoc cœlum terráque ac ipſa queruntur
Tartara. Cùm paruo tua vox ſit corpore maior,
Oráque diſtendas: caue, ne rumpare lagena
Fictilis, éque luto tantùm compacta paluſtri.
Quid mihi cum cantu, labríſque ſonantibus Odas?
Sperno Pegaſides. viridem thymbramque, ederaſque,
Et celebreis curas, afflatáque carmina rodo.
Qui vates durare cupit; mihi ſupplicet, vnctas
Detque manus: aliàs fruſtra ſperauerit æuum.
Quamuis ipſe foret Geticis è rupibus Orpheûs:
Cui migrent ſiluæ, cui vallem deſerat Oeta,
Oſſáque cum profugo properent ad barbita Pindo.
Sum Sophus: haut qualeis nûtriuit porticus olim,
Exeſos ſcabro vultu, maciéque timenda.
Odi Socraticos pluteos, vacuúmque catinum
Pythagoræ; Cynici deteſtor Dolia Trunci.
Nos Epicuræi, ſaturamur perna Epicuri.
Stoicus inclamet: Sapiens inquirat Honeſtum.
Aſt ego præ reliquis, quid Dulce, quid Vtile, noui.
Quæ bona ſint, quæ mala: probi quæ ſtilla palati
Oblectet genium: quo Chia vel Itala ficus
Inuenienda cado: quâ maſſicus humor in vrnâ.
Curſores Apium lædat; lactuca colonos
Aſtiua reduces; noceat meſſoribus hydrops,
Quo ſtrumoſa tumet creſcente cucurbita morbo.
Sanus

s ego largo prouentu sesama posco;
e laboratam Cererem, tremulásque placentas.
a loquor: Libycum juuat ire per altile, captas
ices; cæsis dentes infigere damis.
t Iunonis aues, Ioue conniuente, profundus
sumsi ridente gula. Mihi cæditur agnus,
ıalius mihi spumat aper; Dryadumque fugaces
ciæ cedunt, & tela sequentia ceruum.
is flore fruor: niueis mihi funditur imber
didus vberibus capræ. iam parturit Hybla,
lectúmque thymum mittit: iam Liber in vua
it, & Autumni pubescens sanguine palmes.
uid referam vires, insculptáque prælia saxis?
atore Deo plerique ardemus, vt Aetna
cano. Natura ferox & dura domari,
enteis iras paruos stipauit in artus.
ice, Qualis ego: (mirúsque apparuit ore
elio) quàm sim pernix (saltauit) & acer:
nflictus lusit simulacra) & mobilis: (antrum
us intrauit, subitóque emersit ab antro
inus obuerso: nihil ocyus) aspice, Quantus
rgam: (tumuítque ingens luctator in auras,
quam Bistoniâ se metiretur in hasta.)
d refert? dolus an virtus: pugnamus aperto
te quidem: cæco tamen expugnamus, & omneis
simus insidias. magna est fiducia noctis.
n sopor inuasit stertentem frigidus hostem;
remum taciti proflantis somnia calcem
rdemus. dolet ille, & nostro sæuit in astu.
le: quòd ad lectum suspensa papauera tigno,
libus auulsis, felix audacia carpat.
putrem penetramus humum, fossísque cauernis,
ines alimenta negent, subuertimus vrbeis.
V. Finierat: tunc sic breuiter Physignathus orsus.
scule quis tantos animos tibi suggerit ardor?
gijs vt te talem Iliacísque fatiges
dibus, & plenis jactes præconia plaustris.
dideram solùm Ranas audire loquaceis:

Largior eloquij vani tua pulmo per ora
Palpitat, inflanti gentilis carbasa famæ
Æolus aspirat, ventósque immittit habenis.
(Musculus adstabat surrecto pectore visus
Plaudere.) cur retices peioris fata metalli
Aspera? lugendos non vno funere menses?
Audio Vos subigi pedicis, breuibúsque latere
Muscipulæ clausos Gyaris, paruáque Seripho.
Esse Aliud Quiddam, quod formidabile viuit;
Viuit, & immani Pantheræ concolor, instar
Tisiphones agitat Mures, & Sanguine vestro
Luxuriat; vobísque pilis, dum ludit in orbem,
Vtitur, & sæuo variat spectacula luxu.
Alter ad hæc: simplex! quid ab omni parte beatum?
Non ideo miseri, quia nos discrimen & horror
Circumeant, pestisque nocens, Strix improba noctis.
Ille miser, cui nemo furit, nemo inuidet: omnes
Illacrumant, minuúntque metus, fugiúntque cupressum
Cum gemitu. timeant; dum me regnare timentem
Aspicias. tantùm summi formidine nutant,
Si nescis: magnos etiam vox vna leones
Terret, & attonitos medio certamine sistit.
Tunc rubras agitat cristas, passúsque sonoros
Laudat, & agnoscit vires Gallina Mariti.
Vt taceam: quod Vos puerilis Natio diris
Exagitet; meritæque trabi pendere ligatos
Cogat, & effodiat trepidantia viscera ferro.
Denique ego Felem fugio (Deus augeat alas)
Inque vicem mea tela fugit Numidarum elephantus.
Sic ait, & talitrum colliso euerberat vngui,
Demittítque pedes. Abiturum Batrachus alto
Insequitur fremitu. Siste ô fortissime, pressum
Siste gradum. dignus, quem nostram ducat in aulam
Limnocharis. quæ non, ô quæ formosa videbis!
Qualia dona feres! Neptuni gaudia viuo
Fonte bibes, quo se malit Galatea lauare.
Affluis vuarum gemmis & ficubus: esto.
Scire decet, quod nec mea sit de plebe ferina.

Illa duplex. gemini census fecunda ministrat
Hinc tellus, hinc vnda dapes, vtrinque beato.
Finio. rumpe moras; dabitúrque hac sorte potiri.
Nare nequis. erimus Nauis. portabere dorso:
Tam bona nec Typhin, nec Iasona vexerit Argo.
Dixit, & explicuit substratum in littore tergum,
Sessorémque vocat. Quid agat Parasitus auaræ
Vesanæque gulæ? nauim conscendat? & istam!
Et viuam! & fragilem! & nullo moderamine notam?
Ferreus ille fuit, quisquis rerum ordine rupto
Argolicam primus tædam deiecit in æquor.
Atqui etiam mergi Fratres è carcere iactos
Sæpius accepit. quid si Fortuna seuero
Insuper vsa ioco, solitis hoc fraudibus addat:
Vt sine lege Reum damnatum & Culeus arctet,
Iunctáque mordenti serpens & simia gallo;
Aut Animal, quod nocte videt, Styx edidit atra.
Námque dari Feles, non vana est fama, marinas.
Ire neget? pudor est, non esse in fata ferocem.
Ingenij quoque cura vagi (mutabile semper
Musculus) & pellex nouitatis plena voluptas
Irritat. cuperet lustrare tapetia, cultis
Nereidum thalamis, miræ pendentia telæ.
Audijt hæc vitreo doctam sub gurgite Tethyn
Felici duxisse manu, crystallina visu.
Vnde instar speculi, multo quod fulgure pascens,
In medium latè radijs coëuntibus orbis
Omnia multiplicet; visúsque racemus in vno
Crescat, & ex primo geminetur imago secundi.
Visa Ceres pariter reddat cum fœnore fruges.
V. Annuit, exoptátque vehi. tamen antè carinam
Dispicit: an rimas agat, an vitiosa fatiscat;
Nulláne fraus lateat cæcam molita charybdin.
Ter iam scandentem natiuâ puppe leuabat
Batrachus. extimuit toties, renuítque leuari,
Defluxítque loco. redijt ter dira cupido.
Nimirum cùm dicta Dies, præfixáque mortis
Tempora venerunt, tandem parere necesse est.

Luctari fortaſſe potes, potes edere queſtus,
Et timidam tardare moram: tamen ibis, & ibis
Serius aut citiùs, miſeras tamen ibis ad vmbras.
Nec lachrymis mutare licet functa, nec arte
Imperia. hæc vrgent. hæc te tam multa cauentem
Pſicharpax mandata trahunt. circumſpice terram;
Quidquid agas, mergére tamen. ludibria debes
Parcis. I morere, & Parcis ludibria ſolue.
Iam iam ſublatus, Fatis vrgentibus, alto
Mandatur properè ſciſſi pede remige fluctus
Aethiopem portant. natat vncta liburnica limo.
Sarcina Pſicharpax tranſtrum complexus inhæret;
Ne ſemel excuſſus, præceps labatur, vt Helle,
Et ſibi fatali det nomen lugubre ponto.
Sic hyemem extremam tentat, nullíſque mouetur
Ventorum Pelagíque minis Mercator, & vndis
(Suadet enim veſana fames, auríque cupido)
Exiguâ fretus credit trabe corpus. euntem
Littore deplorans miſeratur & adgemit vxor,
Et nati tremulis contingunt carbaſa palmis,
Mirantúrque ſonos remorum, & brachia tendunt.
Prouehitur Maurus. quandoque aſpergine cauda
Diluitur: mollíſque pili fuligine tinctâ
Infremuit; velut Ionijs ſi fluctibus hauſtus
Speraret totam Balænæ in fornice mortem.
Fortè inopina caput tetigit ſtrictura procellæ,
Dulce lepor tantùm, tremulus cincinnus aquarum:
DI maris & terræ! queîs non barritibus ille
Auia compleuit latè loca. Suppara verti
Aegræo damnata freto, deſidere ſiluas
Xerxis, & antennas merſâ cum claſſe putares.
Sidera veſtra fides. riſerunt nautica clarùm
Sidera, cum magno geminatus Orione Caſtor:
Turbaque Pleïadum lachrymoſis humida nimbis,
Tunc primùm madidos derſit pollice vultus.
At non ſic humeris Europam, Naufragus inquit,
Diuinus tulit ille ſuam trans æquora Taurus,
Antè, roſas ſparſère Deæ; pòſt, lilia, caltham,
Verbe-

Verbenas, cyanen. Tritones inter amicos
Frenatûmque Proci violis Delphina meauit.
Totus in hoc lusu gaudens insanijt æther.
Nulla mihi casum restant inhibere volenti
Cornua: nec paruam fas est sperare phaselum.
Hæc vlulans (vocemque timor mutauit & horror)
Assultum sorbebat aquæ. pars optima vitæ
Mersa tremit pedibus, medióque in pectore mors est.
VI. Ecce aliud! sunt & Lacubus sua grandia Cete.
Eluctatus enim subitò comparuit ingens
Hydrus, & erexit vastum se vortice ab imo
Sublimis, multúmque suus: velut arbor in amne.
Qualis in Archemorum cecidit malè liuidus anguis,
Dum procul Hypsipyle: tractu post terga soluto
Immanis cerni, membrorúmque agmine tanto,
Quanto qui gelidam spiris complectitur Arcton.
Territus aspectu toruo Physignathus vndas
Percutit, & visâ rapidè declinat ab Orca,
Subducítque ratem. labat, heu, labat inclytus olim
Musculus, & fluctu moriens versatur ab omni:
Susque modò, modò deque; supráque infráq; volutus
Gyratur, sentítque admota forfice Parcas;
Iámque aliquod filum circa præcordia ruptum.
Quis iuuet? absentes alij. stetit vnicus vnus
Lichopinax in colle procul, notissimus Afer,
Conscia nequicquam pereuntis in æquore fratris
Fata repulsurus. Quis enim mutauerit vnquam
Ambages æui, deductáque pensa Sororum,
Et Iouis in solido Leges adamante notatas?
Semineces oculos vbi sustulit alter ab Alto;
Ingeminat, Succurre tuo: nec plura precari
Lympha allapsa sinit, totúmque ingurgitat inguen.
Dulcis amor vitæ rursus tentare coëgit:
Lichopinax: clama terras, mare, nubila, siluas.
Lichopinax clamat terras, mare nubila, siluas:
In vanum. rapiunt surdi suspiria venti.
Quòd superest, mollem tumulum placidumque Charontem
(Vnde etenim naulum daret?) & mitem Aeacon optat

Eminus, & stridet carmen miserabile lessi.
Quale parens gemit Halcyone, cum pendula ramis
Pignora decussit Boreas, nidósque loquaceis
Mersit aquis, toto responsant littore questus.
Aut quali Heliades super Eridanum fumantem
Fraternam fleuere necem: pulcræ antè puellæ,
Nunc deploratæ tam longo tempore siluæ.
Iámque supinatus (nam totum Scylla procellis
Verberat impactum) conuerso ad sidera rostro
Psicharpax, animámque trahit, dentésque supremo
Frigore collisos, in talia murmura pulsat.
Siqua Deos tangit pietas, Astræáque viuit,
Castigátque Reum torto Rhamnusia plumbo:
Et te pœna manet Physignathe, nec Rhadamanthi
Effugies vncum. Sunt & sua Tænara Ranis,
Neptunúsque alius Stygio terrore verendus:
Ad quem nunc propero, & deceptos affero maneis.
Te Rota, te Vultur, refugo te Tantalus horto
Exspectat: Saxúmque tua ceruice recumbet
Sisyphium, & quidquid Furiæ coxere nefandum.
Haut equidem fortis. si Martem in pectore gestas,
Et cædes, & pugna placet; gladiator arenam
Strauisses, nostri vires sensure lacerti.
Proditor es. justo fuerant stringeda duello
Cominus arma tibi, multóque exercita palo:
Spectasses in Mure Marem. tamen vltor ab astris
Imminet, & nostram placabit Iuppiter vmbram.
Vltima vox. animam dein singulauit in vndas
Flaccidus: obriguítque gelu deforme cadauer;
Ingressámque oculos velauit palpebra noctem;
Tempore quo, primâ caligine subditus Orbis
Induitur, fessúmque dolet discedere solem.

LIBER II.

Panoplia vtriusque exercitus.

I. INterea certam tristi de funere famam
Lichopinax affert,& amaro murmure proflat
Quod loquitur, furor est:omnes sunt classica voces
Extemplo concussi animi : spirántque calores
Vindictæ, Natóque pater præludit inulto.
Troxartes fuit. hic Genitor Psicharpagos ardens
Intumuit tragicâ plùs quàm regaliter irâ.
Non secus ac Tigris surreptis fetibus orba
Accubat ingenti saxo, furiosáque luctu,
Ac sparsa in virides maculas ruere ardet, & amens
Nescit, cui ruat ; aut qua se vertigine Parthus
Abstulerit prædator eques : iámque arua rapinæ
Incusat cursu & siluas; frustráque repletis
Vberibus pulsat. tremit omni valle Niphates.
Tantus penè dolor Mauri patris. ille tremendus,
Dum noctem excubijs trahit infestísque querelis ;
Insomnis geminas,quas Mures credidit,Vrsas
Tardiùs Arcturi solito sua plaustra mouentis,
Auxiliúmque, & opes,& robur,& arma rogauit.
Vos nostra de gente sati ; quibus inter amœna
Sidera concessum est Fratrum spectare labores
Absque metu. neque enim summos irrumpet in axes
Vestráque vastabit Quadrupes carecta panurgus,
At nos nunc alios maneis sentimus & hostes.
O ! date calcandas pedibus, date sternere Ranas.
II. Postera lux nebulas nondum dimouerat atras
Et iam turba coït, veniunt vno agmine ciues ;
Et Circumscripti,Lichenore Consule, Patres
Musulmannigenæ? barbâ venerabilis ætas.
Longa Senatorum series. Subsellia Consul
Occupat, in gradibus numerus seruatur & ordo.
Troxarten,qui rarus honor,fert vrna curulis ;
Vrna vetus,redolens vinum, vappámque sequacem,
Præ foribus lictor pronus; cui parua securis,
Arrosâ fasces ; perijt, qui reserat, ense,

Artophagi frater, correxit gratia pœnam:
Nam viuus tumulandus erat: potuítque mereri
Supplicium maius, quàm prædo cannabe dignus.
Namque olim fuerat furca laqueísque trahendus;
Rustica quod Baucis testatur,& ipse Philemon,
Noti Dis homines. in quorum paupere censu
Sæpe est grassatus, baccásque atque intyba solus
Abstulit,& dulci lactis se proluit haustu.

III. Atratus Genitor princeps sic inchoat ore.
Quod,Socij,Fatum, vel Erynnis ventilat angueis?
Quis mouet Aelurus succensam sulphure caudam?
Omnibus opprobrijs petimur. Conspirat iniquis
Et sæuitur Fortuna dolis,petulánsque furorem
Exercet, totúmque parat subuertere regnum.
Quid non sæuitiæ reperit mortísque libido
In nostrum truculenta caput! quâ Dædalus arte
(Ingenium crudele!) nouus fabricauerit Arcam
Sarcophago similem, scitis; congestáque crebrò
Funera testantur. Labyrintho peior & omni
Carcere; quos semel inclusit,dimittere nescit.
Persephones Specus est. non illâ Theseus vllus,
Non Ariadna suum valet extricare Maritum.
Tanta mali rabies. Phalarim mallemus & ignem,
Aeráque dira pati, totóque ardere juuenco.
Iusta queror. cùm me triplici Lucina parentem
Fecisset sobole, spe tanti Nominis vnâ:
Orbauit penitus sterilem Libitina senectam.
Infregit primi jugulum turpissima Nati
Alecto: cuius tenuem vel nominis vmbram
Est nobis memorare nefas,& prisca parentum
Relligio prohibet. nimîum feralis Hyæna;
Sæuior hyberno Boreâ, velocior Euro,
Asperior salebris, astutior aucupe tecto,
Tigride mobilior, torrente rapacior Hebro,
Durior & scopulis, & fetâ immanior vrsâ:
(Intremuere omnes) Catus est. (iterum intremuere)
Alter dum capreas pendenteis figere quærit,
Incidit in foueam; quam quisquis struxerit,opto:

Vt tellus illi pedibus super ima dehiscat.
Vltimus occubuit medijs, (ah! vltimus) vndis.
Vndis: cui siccam debebant Numina mortem.
Mortem: cui longam spondebant stamina vitam.
Obruor inferijs. luctûs exquirite caussas;
Si forsan Graio Felis sermone locuta:
Si pluit aut cæpis, aut, quod pudet edere, Ranis.
An cœlum barbáque minax pallente Cometes
Dirum portendit nobis quoque Muribus omen?
Quidquid id est, sentimus onus: stellamque nocentem
Saturni, Martísque rubram, metuenda Dynastis
Sidera. Psicharpax indignâ fraude subactus
Oppetijt. quis iam micas furabitur alter?
Ille meam ac vestram poterat nutrire saginâ
Caniciem, paruóque annonam ducere sumtu.
Nunc & sacra fames squallentibus imminet antris,
Et macies primos occidet torrida Mures.
Scilicet has clades semper patiemur inulti?
Arma, quid ambigimus? coniunctis viribus arma,
Arma decet tandem iusto præferre dolori;
Iuráque Naturæ ferro conuulsa tueri.
Dixit, & ingenti persuasit prælia saltu.
Sic cernes toruas etiam ad certamina matres,
A boue, quæ timidæ steterant, maiore moueri.
Hærebant fixis pedibus priùs arma minari
Non ausæ: neque enim firmârunt cornua densis
Stragibus & truncis, aut protriuere tot hostes,
Quot senior. qui si notis depulsus ab aruis
Erepto vitulo, secum sua bella peracta
Ruminet, & toties Riualis vulnera cæsi:
Tunc quoq; se taurum meminit. ferus ergo cruentum
Mugit, & excitum præcurrit & instruit agmen.
Pascua tota sonant, & tota armenta sequuntur.
IV. Exin quisque domum. Leges: vt signa parati
Exspectent, vbi se bis lauerit æquore Phœbus.
Vt sicâ potiùs qui mos solemnis Iberæ
Militiæ, telísque latus breuioribus arment;
Quàm longo mucrone, vel ærisonâ thomphæa;

Vt

Vt iuncti pugnent, vt tessera certa petatur:
Cotibus vt gladios acuant, vt corpora curent.
Promisere animos, fremitúmque reciprocat Echo
Camporum, & totæ resonant ad classica siluæ.
Discedunt: qualis remeans Getula per arua
It leo: cui catulum Garamas è rupe propinqua
Sustulit. ille furens iam nunc incurrere malit
Absenti, totáque fame descendere in armos.
Rimatur nemus interea, siccásque cruore
Delambit fauces: nam solâ strage futurâ
Pascitur, & validè conceptas digerit iras.
Paullò aliter pygmæa phalanx. quanquam ipsa videri,
Non pygmæa velit; sed fratribus æmula Phlegræ.
Olim etiam timidi fulmen meritura Tonantis.
Diripiunt noctu cellas, spoliísque potiti
Sese armant. verrunt hypogæa, hypocausta, culinas.
O! quoties tacitis Dea lapsibus obuia Somno
Luna, suo postquam prædones vidit ab axe
Scrutari Sanctósque Lares, Arásque Focósque;
Substitit, & patulæ caput acclinata fenestræ,
Tantùm non claros concusso splene cachinnos
Edidit, & pronam commouit pondere bigam.
V. Tertia discussis tenebris Aurora leuabat
Purpureas nubes: toties mutauit habenas
Hesperus; atque ignara sibi contrarius astra
Mutato decepit equo, solemque reduxit
Phosphorus, & dulceis impleuit lumine fraudes.
Hinc vbi rauca ciens turmas, Titane reuerso;
Insonuit tuba, pérque cauas vox edita valleis:
Tum cunctis arsere animi, viuúsque per armos
Impetus, ínque vno sexcenti pectore Martes.
Castra locant, vbi putre solum scrobs arida laxat;
Aut si quod collis tergo pendente leuari
Molle supercilium secreta cubilia præbet.
Stat succincta phalanx. habiles leuioribus armis
Intra orbem. cataphracti alij dant agmina circum,
Induti squammas Halecum semesarum.
(Armatura grauis, Siculísque excusa caminis)
Colli-

Folliculis alij, vacuóque legumine velant,
Impediúntque pedes. alij vestigia figunt
Vt Lapithæ Fauníque; & se jumenta lupatis (cent:
Circumagunt, equitésque & equos poppysmate mul-
Ocrea ducta fabis, bellis in cruribus hæret.
Calcar honos. alio stimulo non indiget altæ
Laudis amans Sonipes, & qui se protinus ipsum
Cursurus fodicat. Mures bellantur honori.
Primorum assultu poplitum diffinditur aër.
In partem extremam moles erecta recumbit.
Hinnit ager: plaudunt acies, quatit vngula campum.
Dant gladios tepidis virgulta erepta fauillis:
Lucidáque in clypeos sinuantur cornua fractæ
Laternæ, seuúmque micant vmbone rotundo,
Arx capitis munita riget. micat ardua cassis,
Cassæ testa nucis. cristæ vaga pluma columbæ,
Et septem crines rapti de funere Felis.
Fundis pisa rotant Balearibus, horrida pisa:
Quàm longas Macedo solitus vibrare sarissas;
Tam paruas jaculantur acus; infectáque pingui
Lardo pila linunt, vt Thrax sua tela veneno.
Hæc attrita nigras cogunt splendescere ad ollas:
Non nocitura mihi, quàm jactum ancile per auras,
Longáque taurinis excussa phalarica neruis.
Iámque adeò vexilla volant, lacerata vetustæ
Stamina lodicis, zephyro crispata remisso;
Diuersos errante sinus variantia tractu.
Fluctuat aëria Catus exporrectus in vndâ,
(Ludibrij genus!) & tutò per nubila sæuit.
Ingreditur Mures vitam indignata voluptas.
Sic júuenem, primus quem Martis anhelitus afflat,
Quadrupedem rapiunt incensi naribus ignes
In campos; vnóque loco consistere nescit.
Nunc hos, nunc illos sublato corpore gyros
Arduus inscribit, crurúmque volumina torquet
In numerum: laudat Domitor, cursúsque negatos
Altibus miratur equi: vix frena remisit,
Et jam transmissâ fossâ Pharsalica rura

Peruolat, áque tuba promiſſum flagitat hoſtem.
VI. Dux tanti deerat belli, qui pluribus vnus
Imperium ferret, Sociûmque educeret enſes.
Ambitio, nimis acre malum, blandita tyrannis,
Et plus quàm ciuile nefas; dulcedine quanta
Irritas animos, quæ non & pectora verſas?
Dum Sceptrum ſibi quiſque rapit de plebe, coorta
Seditio ſcindit vulgus: furor omnibus idem
Æſtuat, in medijs bacchantur jurgia caſtris.
Ac niſi Cælicolûm Rex ſubuertiſſet iniqua
Conſilia, ignotúmque ducem prodire dediſſet;
In ſua conuerſum, putri manantia tabo,
Viſcera ſtrinxiſſet pubes Mauruſia ferrum,
Vltrà Cadmææ nociturum crimina meſſis.
Artepibulus enim vetitis temerarius armis,
Contemtore Deûm cæſo Meridarpage, faſces
Spiciferos, trabeæque nigræ ſperauit honorem.
Aggreditur, dubiúmque ad iuſti fata duelli
Prouocat; vt Capaneus olim Alcidamanta Laconem:
Imperet hic, iugulum, Circo mea vota probante,
Alterius qui tanget acu, certamine victor.
Sit vulnus judex. Magnus tamen Embaſichytrus,
Lichenórque, ſcelus ſocijs agitantibus obſtant.
Seruate has vires, & non niſi Rana tremendas
Sentiat: optati triſtiſſima copia leti
Iam dabitur: tunc has iras ſatiare licebit.
Sic fati, auulſos hortantur iungere roſtra.
Illi indignantes, multúmque obliqua tuentes,
A Furijs alios ſcelerum ſeruantur in vſus.
Intonuit ſubitò læuum. tunc omnibus aures
Arrectæ: quem fata Ducem, quem deſtinet æther;
Quidue loqui prægnans dignetur fulmine nubes.
VII. Ecce Myocephalos inter ſublimior vnus
Virgatus fuſco ſagulo, plenúſque cruentæ
Felis odore recens maculoſo ab Hylactore fuſæ
Proſilit, atque iſthæc: Ciues, ego veſtra capeſſam,
Si finitis (neq; enim nunc primùm ſtringimus enſes
Vulnificos) ego bella geram, ventóque ſecundo
Victri-

Victrices vpubas aquilarum more leuabo.
Sperandi caussas sedato audite tumultu.
MAVSOLVS dicor; Coniux ARTEMISIA: Cares
Reximus innumeros, olim super æthere noti.
Postquam nos letum vitâ decrusit, vterque
Versus in hanc vestram, seruato nomine, formam
Migramus: neque pœnituit (Dis gratia) domi.
Ante, sacro Patrij insignes diadematis auro;
Vndanteis populi fluctu frenauimus vrbes.
Et me sæpe quidem iam tum vexata tributis
Omine non falso raptorem turba vocabat
Argutum: ac vestræ non degenerare cohorti,
Publica fama fuit. nocturnæ conscia fraudis.
Vt taceam, quo me luxu tumulauerit vxor:
Quis mea non celebrat vates pendentia viuo
Marmore surgentis miracula Mausolei?
Quis me laurigeris, dum mansit vita, trophæis
Clarior, hostileis euulsit sæpiùs alas?
Oceanum straui tabulis, & monstra marina
Funibus implicui, nymphásque ad littora traxi.
A Puero vir eram. reliquorum bella sub Æmo
Sudata, vt ludum contemsi, & militis vmbram.
Sciui artes: Thracum cæstus, falcésque Geloni,
Illyricos arcus, & magnæ verbera fundæ,
Discúmque Oebalium, voluendáque turbine gesa
Audacis Galli. per tanta pericula si quid
Creditur extanti, iuuat experientia Martis.
At vos in Ranas luctu suadente mouetis.
Ardua res! hærent in aquis: vligine densa
Vallantur, clausósque lacus obsepit arundo.
In tuto pugnant, propriique in margine regni.
Vestra peregrinis Bellona sedebit in aruis
Et genus & proauos, stirpémque animumq; fidemque
Prodigitis: cæcum si non ductore perito
Tentatis tranare vadum. contermina ponto
Deuergunt loca Glaucorum. vigilantibus apta
Insidijs. cedunt decliues vndique ripæ,
Conturbántq; gradus quem vestrûm aliquando lacunæ

Saltem parua tulit. Sed nos caua robora siluis
Exscidimus quondam, & cuneis turbauimus æquor,
Totius Æoliæ flabris ad vela vocatis.
Ingenteis potui contemnere nauita phocas:
Et timeam in cæno recubantem Borborocœten?
Nimirum postquam bibimus de flumine Lethes,
Tantarum nobis subiere obliuia rerum?
Haut ita me Diui oderunt, & adhuc mihi nondum
Excidit omnis homo: multúmque his artubus Afri
Clausimus, & nostro est in pectore Punicus astus.
Aspicite hanc pellem, furuúsque informe, quod ausus
Tollere ego: (exuuias ostendit Felis inaneis.
Intremuere iterum, ac puduit tremuisse videri)
Cùm fetore suo iam terram auráſque grauaret:
Sublatum miros rigidi thoracis in vsus,
Quo tectum aspicitis, nostro disculpsimus ense.
Vestiat Herculeum nodato vellere corpus
Bellua Massylis è saltibus obuia clauæ:
Stet victrix mea fama mihi. decernite tandem,
Quantum indignari deceat. quid in otia luctum
Soluimus, & dignas maribus malè perdimus iras?
Viribus vtendum est, quoties Occasio tempus
Suggerit: è manibus nescit dilapsa reuerti.
Dum Ranæ se fonte lauant, muscóque teguntur
Securæ, nostróſque metus in littore rident:
Dum gliscunt proni magna ad discrimina sensus
Iusto odio, squallórque recens horrore juuatur;
In mortes & in arma Ducem descendere fas est.
Discite fortunam, letíque inuadite amorem.
Si qua est, in vestris hæret victoria neruis.
Assensere omnes: pedibúsque choreumate motis
Applausere omnes. Clypeo Mausolus in altum
(Quadra fuit) Sociorum humeris super ora leuatus
Æthiopum, fessísque crepat stridoribus aër.
Sic vltura scelus Paridis manus omnis Achiuûm,
Vindictâ flammante viros, conuenerat olim:
Iámque aderant magnis clypeatus montibus Aiax,
Et gemini Atreidæ, & nasus sapientis Vlyssei

Et barba Antilochi: sed Dux quæsitus Achilles.
Hunc procul inuentum submisit Deiodamia,
Vastatorem Asiæ, tanto gauisa marito.

VIII. Mittitur extemplo, qui bellum nunciet hosti:
Tyroglyphus (námque hic visus metuisse) ferocis
Musculus ingenij, magno latus Embasichytro.
Ille vbi Ranarum curuantia littora venit:
Portenti species, albóque simillima Muri!
Siue Explorator summa speculatus ab algâ,
Viderit atratas acies: seu proditor emtam
Vendiderit mercede fidem: seu numine Diuûm
Rumorem belli vulgauerit ipsa Megæra:
Tyroglyphus Ranas omneis offendit in armis
Sollicitâ seruare suas indagine ripas.
Obstupuit, séque & Mausolum, & castra perosus
Suppressit cum voce gradum. vt si fortè viator
Hausturus fluuium, calcato gramine tectam
Serpentem premat; & pressam pede viderit ore
Linguam exertantem, & fulgentia colla tumentem;
Attonitus cedit retrò, mortíque propinquum
Damnat iter. vultum exsanguem dementia versat.
Haut aliter pallens iráque metúque biformi
Iam relegebat iter. Sed enim stimulum addidit acrem
Artophagus comes indignans: monuítque timore
Expulso mandata noui deponere Regis.
Ille: quid hæretis riparum in margine viles
Abiectæque animæ? indictum bellum omnibus esto.

IX. Commouit se tota palus à sedibus imis,
Bisque refusarum colluxit sulcus aquarum.
Accipio, Regnator ait Physignathus, omen,
Bellandíque modum. grates hoc ense rependam;
Et verò facile est certamine vincere Mures:
Qui nucibus ludunt, non sunt ad seria nati.
Arma mihi infertis. quianam? Psicharpaga leto
Demisi. quo teste nefas tam grande? natantem
Deieci de puppe mea. quis nostra coëgit
Marmora, & vndantem remetare Palæmonis aulam?
Decepi tenerum, támne alba in corpore nigro

Mens erat, vt liquidos speraret scindere fluctus?
Non genitus Nasamone leo, non vngula Pardi
Attentet; non Rhinoceros, natúsque sepulcro
Cinnameo Phœnix: & nempe hoc Musculus ausit?
Quem parit ad risum facilis natura iocari.
Si nescis: stabilis sunt hæc diuortia Mundi
Distinctæque vices. ex quo commercia rerum
Saturni triplex Heres partitus in assem,
Diuisere sibi Fratres mare, Tartara, cœlum,
Sorte cuique datâ: scelus est violare Caducum
Alterius. fixas accepit in æthere Stellas
Primus, & erranteis cohibet statione Planetas.
Neptuno famulantur aquæ, dulcísque ministrat
Cymodoce Phorcísque chorus. tenet infera Pluto,
Diues nocte suâ mundum quatit ille sepultum.
At non ætherius saxo Deus elicit vlla
Flumina; nec madido Nereûs ferit astra tridente;
Imperiúmue Sibi Cereris Gener æquoris alti
Arrogat, angusti contentus limite regni.
Cætera, Sors eadem spacijs discriminat æquis.
Aligeræ volucres persulcant aëra pennâ
Remige; Squammigeri pisces freta remige pinnâ.
Psittacus in ponto, nullus tabescat in aura.
Est genus amphibium quoddam terraque marique
Assuetum; vnde etiam ludit terrâque marique.
Nos sumus hoc: & quem viridi Crocodilon in ara
Frugibus ac Sistris veneratur tinnula Memphis.
At vapidi Mures, & noxia talpa colonis
Immerguntur humo penitus, latitántque cauernis,
Infernóque Ioui parent, & Felibus Orci.
Quis Deus hæc docuit? genitor famosus Apollo.
Quisquis is est, crede augurijs. Oracula fibræ
Et nostræ spirant: veniens sententia Delphis
Hæc in verba fluit. Qui regna aliena lacessit,
Extremum discrimen amat, nescítque decorè
Fortunam tractare suam. sapientior odit
Immodica, & votum non vltra extendit in Orbem.
Ne nostras igitur lymphas, neu littora radant
Terri-

Terrigenæ; neu sustineant sine folle natare.
Subtus habent Stygijs propiores manibus ædes,
Cæcum, immane, ingens, plenum bubonibus antrum;
Si regnare volunt. illâ dominentur in aulâ.
Disrumpi potuit sarcasmis talibus ictus
Tyroglyphus moriens, pellémque exire nigrantem,
Ac nisi Parca cutem, naturæ prouida, denso
Stamine neuisset, nodosáque fila ligâsset:
Disrumpendus erat. Pergit Physignathus ingens;
Sed quid ego indoctis hæc inter prælia? vade
Legate, ínque vicem Mausolo hæc dicta reporta;
Aduenio fuerere, & bellum bellare, quod optat.
Inuideo tantùm, quod me priùs ille vocârit.
Sic fatus, capulum junci quassauit acuti.
Insequitur strepitus Sociorum, & in arma ruentum
Clamor. aquæ resonant, incisáque calcibus vnda
Spumat, & impulsis subsultant classica ripis.
Qualiter ad diram Phœbæi Amphionis Vrbem,
Dum iubet Aonij sceptris Etheoclea regni
Cedere Tidides. vix hoc immugijt aulæ:
Iam totæ infesto fremuerunt murmure Thebæ.
X. Egressi in turmas abeunt. Physignathtus alto
Editus in solio, quod præbent vimina, censet.
Maluarum folijs muniti crura, orichalco
Betarum reliquum defendunt corpus: in vsum
Scutorum aptatur contortis brassica nodis,
Altiùs erigitur juncus. fit cochlea cassis.
Tunc sic Hypsiboas iussus procumbere Marti
Altisonans: quemque extremo Gradiuus ab Æmo
Audijt, & iactâ signum dedit eminus hastâ,
Mauors: seu Getici culmen subsidis ad Hebri,
Et reficis fessos secto Diomede jugales:
Seu Rhodopen glaciandus amas, intérque puellas
Peltigeras (sunt & nobis tua cognita furta)
Partiris spolia, aut crustas de Strymone tiudis.
Adsis, & nostræ cupias sudare phalangi.
Auspicijs armare tuis immania vota

Poſcimus, haud iniuſta tamen: da ſternere Mures.
Nam te ſæpe dolos meditantem nocte ſerenâ,
Ne noret obſeſſus, ſtrepitu maiore juuamus.
Da vires, da tela pater, bellúmque ſecunda.
Talibus Hypſiboas Tubicen de more creatus.
Clamorem tollunt. quantum non Eurus ab ortu,
Non audita procul de nube tonitrua vincant,
Nec percuſſa freto rabidùm latrante Malea.

LIBER

LIBER III.

Iouis, Diuumque Concilium.

I. Vidit vtramq; aciem iam dudum è cardine Mundi
Cælicolûm Sator: & multo se numine torquens
Acciri iubet armorum bellíque potentem.
Vade, age, Cyllenæe, apta talaria plantis:
Sumptâ cum petaso virga, per nubila lapsus,
Fratrem quære tuum, gelidum delatus in Hebrum.
Protinus ima petit Deus, & videt amne lauari
Sanguineo Martem, mersósque euoluere truncos.
Talis, ait, mihi vise Patrem. te summa Tonantis
Iussa petunt. Secat ille viam, & luctatus in altum
Protollit corpus, currúmque ascendit ahenum
Confestim. neque enim liceat mandata morari.
Antè Pauor, post terga Dolor latus ambit vtrumque
Ferri densa seges coëunt examine mistо
Tum variæ Mortes, tum strictis ensibus Iræ.
Ipse per obstanteis armato corpore nubes
Fertur, & euincit lapidosos grandinis imbreis.
In galeam quoties rectum iubar incidit æthræ:
Fulgurat, & nitido Soli sua tela remittit.
Qui sic ante Iouem præsens: heic Iupiter adsto,
Quem quæris. quid enim mandas? vacuabo profunda
Imperia: ósque tuum, fiet manus ista, nec vllus
(Scis tamen ipse) tibi tam prono numine seruit.
Rex Superûm alloquitur. Sic nempe assurge, Patremq;
Disce tuum. iam expone, nouus quis miles in Orbe
Se tibi deuoueat. viden, vt numerosus ab vndis
Batrachus; vt campos latè diffusus obumbret
Musculus; & sese cubitis tribus altior extet.
Túne impleuisti solitis hæc pectora flammis,
Anne Soror? Tristem vox improuisa Gradiuum
Perculerat; quæríque aliquid tam vile pudebat.
Nam dignum sperabat opus: noua Pergama fundo
Vertenda, & solo structos Amphione muros.
Talis enim, talis clades & fama deceret.
Ergo Iouem nimio vesanum nectare credit:

Infremuítque sono : quibus, ohe gloria ! fungis
Præficimur ? si bella iubes; sint digna relatu,
Sint Patre digna meo. ne prælia, deprecor, ista
Vel Tyberis nôrit, vel turbidus audiat Ister.
Antè quidem Mures vidi, Ranæque vocanti
Annuimus. mirabar ego, quis primus in iras
Patre genus tantas, ignaro Marte, dedisset.
II. Vix ea : cum risu Genitor prorupit aperto :
Séque coruscantis Nati complexibus ingentem
Infudit, rigidis quanquam haut illæsus ab armis;
(Quippe vmbone ardens & duro filius ære)
Hæc acies, inquit, nostra est : ego Iuppiter auctor
Incussi stimulos. sat dira noualia Cadmi
Sustinui, ærisonam segetem deflente colono.
Sat Thebis, Argísque datum, trucibúsque Mycænis.
Iamq etiam nimium lachrymarũ ac sanguinis hausit
Effeti, tellus manantibus ebria riuis.
Et piget, & tædet detrusos corpore mancis
In toties alios artus transferre, modúmque
Addere crescendi. Tandem placet edere bella,
Quæ squallore suo prosint mortalibus ægris,
Erudiant Orbem. sine nunc, sine ludicra certet
Turba, capax leti, sed iniqui criminis expers.
Magna catenatis innectant vulnera sulcis
Ignari, rumpántque nigris mucronibus ora :
Dum se non homines feriant, truncandáque dextra
Induerit iugulo Patris, extractúmque cruorem
Sparserit in postes. modò nos Titania pubes
Non iterum incestet, captiuáque sidera calcet.
Anne nouum bellorum vterum fecunda minatur
Oedipodis coniux, & crimina proijcit astris
Ex gnati suscepta toro? quod vidimus olim,
Damnauítque sui genitrix Iocasta mariti.
Par illud, diri quæ non mouere Nepotes
Prælia ? seruârunt odia ipso in funere, sæui
Ad tumulos, & ad vsque rogum, supremáque busta.
Stet fixum dein bella veto, quibus Orbis abusus
In sua damna ruit, totúmque impleuit Auernum
Stra-

Stragibus, & nimijs lassatus Portitor vmbris
Integra transmisit Lethææ secula ripæ.
Sin iterum dabitur Dircæo cernere campo
Prodigium Veneris sese regerentis in ortum,
Materno in thalamo recubans; aut cœna Thyestæ
Altera terruerit solem: mea sidera testor;
Non ego, non tantùm torquebo fulminis alas;
Aut telis, Gradiue, tuis vlciscar amores:
Sed Liparam, atque ipsos Ætnæ vibrabo caminos,
Méque super. Mars alta trahens suspiria ab imo
Pectore (bellorum námque illum cura remordet)
Ingemit, & tali vocem clangore resoluit. (mam
III. Reddo tubas, reddo arma tibi mihi barbita su-
Posthac & calathos, pigríque trapeta Lyæi:
Et quia tela vetor; telas vrgebo, colúmque;
Fractáque pensa geram; iactóque per aëra thyrso
Cum thyasis fugiam, sæuo stimulatus amore.
Pulcer ego Mars sum; colimur, numenque putamur
Scilicet, & nostris submittitur ensibus Orbis.
Si populos æterna quies amplexa coronet,
Quid viuo? an satis est Mures collidere Ranis?
Prô cæli terræque pudor! (pallebat, & altum
Sed toruum ridens inter lamenta fremebat)
Qui rapuere Noti promissa? obliuia carpunt
Te quoque? mandabas: I Mars sate sanguine nostro
In Scythiam, nec iussa time, tibi stringere ferrum,
Tyrrhenásque tubas, tempestatésque cruentas,
Et mortes & bella dabo. regat ille disertum
Florentémque chorum Musis addictus & hortis;
Ille nemus vitésque colat, vel flumina frenet;
Armorum tu iura tene, rebúsque secundis
Aduerte implacidos vultus; ne mollior ætas
Torpeat, & luxus vitijs effeminet Orbem.
Nec diffide: Viros dabimus, Sponsósque Dearum
Horrendos, qui te ferro flammáque iuuabunt.
Pace tua (bellóque meo) si dicere fas est;
Fictum per Stygiæ iurasti stagna paludis. (ba
Námque vbi nunc Cadmæa Phalanx, & natus in her-

Vt iuncti pugnent, vt tessera certa petatur:
Cotibus vt gladios acuant, vt corpora curent.
Promisere animos, fremitúmque reciprocat Echo
Camporum, & totæ resonant ad classica siluæ.
Discedunt: qualis remeans Getula per arua
It leo: cui catulum Garamas è rupe propinqua
Sustulit. ille furens iam nunc incurrere malit
Absenti, totáque fame descendere in armos.
Rimatur nemus interea, siccásque cruore
Delambit fauces: nam solâ strage futurâ
Pascitur, & validè conceptas digerit iras.
Paullò aliter pygmæa phalanx. quanquam ipsa videri
Non pygmæa velit; sed fratribus æmula Phlegræ.
Olim etiam timidi fulmen meritura Tonantis.
Diripiunt noctu cellas, spoliísque potiti
Sese armant. verrunt hypogæa, hypocausta, culinas.
O! quoties tacitis Dea lapsibus obuia Somno
Luna, suo postquam prædones vidit ab axe
Scrutari Sanctósque Lares, Arásque Focósque;
Substitit, & patulæ caput acclinata fenestræ,
Tantùm non claros concusso splene cachinnos
Edidit, & pronam commouit pondere bigam.
V. Tertia discussis tenebris Aurora leuabat
Purpureas nubes: toties mutauit habenas
Hesperus; atque ignara sibi contrarius astra
Mutato decepit equo, solemque reduxit
Phosphorus, & dulceis impleuit lumine fraudes.
Hinc vbi rauca ciens turmas, Titane reuerso;
Insonuit tuba, pérque cauas vox edita valleis:
Tum cunctis arsere animi, vinúsque per armos
Impetus, ínque vno sexcenti pectore Martes.
Castra locant, vbi putre solum scrobs arida laxat;
Aut si quod collis tergo pendente leuari
Molle supercilium secreta cubilia præbet.
Stat succincta phalanx; habiles leuioribus armis
Intra orbem. cataphracti alij dant agmina circum,
Induti squammas Halecum semesarum.
(Armatura grauis, Siculísque excusa caminis)
Folli-

Follicul:s al:j, vacuóque legumine velant,
Impediúntque pedes. alij vestigia figunt
Vt Lapithæ Fauníque; & se iumenta lupatis (cent.
Circumagunt, equitésque & equos poppysmate mul-
Ocrea ducta fabis, bellis in cruribus hæret.
Calcar honos. alio stimulo non indiget altæ
Laudis amans Sonipes, & qui se protinus ipsum
Cursurus fodicat. Mures bellantur honori.
Primorum assultu poplitum diffinditur aër.
In partem extremam moles erecta recumbit.
Hinnit ager: plaudunt acies, quatit vngula campum.
Dant gladios tepidis virgulta erepta fauillis:
Lucidáque in clypeos sinuantur cornua fractæ
Laternæ, sæuúmque micant vmbone rotundo.
Arx capitis munita riget. micat ardua cassis,
Cassæ testa nucis. cristæ vaga pluma columbæ,
Et septem crines rapti de funere Felis.
Fundis pisa rotant Balearibus, horrida pisa:
Quàm longas Macedo solitus vibrare sarissas;
Tam paruas iaculantur acus; infectáque pingui
Lardo pila linunt, vt Thrax sua tela veneno.
Hæc attrita nigras cogunt splendescere ad ollas:
Non nocitura minùs, quàm iactum ancile per auras,
Longáque taurinis excussa phalarica neruis.
Iámque adeó vexilla volant, lacerata vetustæ
Stamina lodicis, zephyro crispata remisso;
Diuersos errante sinus variantia tractu.
Fluctuat aëria Catus exporrectus in vndâ,
(Ludibrij genus!) & tutò per nubila sæuit.
Ingreditur Mures vitam indignata voluptas.
Sic iúuenem, primus quem Martis anhelitus afflat,
Quadrupedem rapiunt incensi naribus ignes
In campos; vnóque loco consistere nescit.
Nunc hos, nunc illos sublato corpore gyros
Arduus inscribit, crurúmque volumina torquet
In numerum: laudat Domitor, cursúsque negatos
Altibus miratur equi: vix frena remisit,
Et iam transmissâ fossâ Pharsalica rura

Peruo-

Peruolat, áque tuba promissum flagitat hostem.
VI. Dux tanti deerat belli, qui pluribus vnus
Imperium ferret, Sociûmque educeret enses.
Ambitio, nimis acre malum, blandita tyrannis,
Et plus quàm ciuile nefas; dulcedine quanta
Irritas animos, quæ non & pectora versas?
Dum Sceptrum sibi quisque rapit de plebe, coorta
Seditio scindit vulgus: furor omnibus idem
Æstuat, in medijs bacchantur jurgia castris.
Ac nisi Cælicolûm Rex subuertisset iniqua
Consilia, ignotúmque ducem prodire dedisset;
In sua conuersum, putri manantia tabo,
Viscera strinxisset pubes Maurusia ferrum,
Vltrà Cadmææ nociturum crimina messis.
Artepibulus enim vetitis temerarius armis,
Contemtore Deûm cæso Meridarpage, fasces
Spiciferos, trabeæque nigræ sperauit honorem,
Aggreditur, dubiúmque ad iusti fata duelli
Prouocat; vt Capaneus olim Alcidamanta Laconem:
Imperet hic, iugulum, Circo mea vota probante,
Alterius qui tanget acu, certamine victor.
Sit vulnus judex. Magnus tamen Embasichytrus,
Lichenórque, scelus socijs agitantibus obstant.
Seruate has vires, & non nisi Rana tremendas
Sentiat: optati tristissima copia leti
Iam dabitur: tunc has iras satiare licebit.
Sic fati, auulsos hortantur iungere rostra.
Illi indignantes, multúmque obliqua tuentes,
A Furijs alios scelerum seruantur in vsus.
Intonuit subitò læuum. tunc omnibus aures
Arrectæ: quem fata Ducem, quem destinet æther;
Quisdue loqui prægnans dignetur fulmine nubes.
VII. Ecce Myocephalos inter sublimior vnus
Virgatus fusco sagulo, plenúsque cruentæ
Felis odore recens maculoso ab Hylactore fusæ
Prosilit, atque isthæc: Ciues, ego vestra capessam,
Si finitis (neq; enim nunc primùm stringimus enses
Vulnificos) ego bella geram, ventóque secundo
Victri-

Victrices vpubas aquilarum more leuabo.
Sperandi caussas sedato audite tumultu.
Mavsolvs dicor; Coniux Artmisia : Cares
Reximus innumeros, olim super æthere noti.
Postquam nos letum vitâ deturbsit, vterque
Versus in hanc vestram, seruato nomine, formam
Migramus : neque pœnituit (Dîs gratia) dom.
Amè, sacro Patrij insignes diadematis auro;
Vndanteis populi fluctu frenauimus vrbes.
Et me sæpe quidem iam tum vexata tributis
Omine non falso raptorem turba vocabat
Argutum : ac vestræ non degenerare cohorti,
Publica fama fuit. nocturnæ conscia fraudis.
Vt taceam, quo me luxu tumulauerit vxor :
Quis mea non celebrat vates pendentia viuo
Marmore surgentis miracula Mausolei ?
Quis me laurigeris, dum mansit vita, trophæis
Clarior, hostileis euulsit sæpiùs alas ?
Oceanum straui tabulis, & monstra marina
Funibus implicui, nymphásque ad litora traxi.
A Puero vir eram. reliquorum bella sub Æmo
Sudata, vt ludum contempsi, & militis vmbram.
Sciui artes : Thracum cæstus, falcésque Geloni,
Illyricos arcus, & magnæ verbera fundæ,
Discúmque Oebalium, voluendáque turbine gesa
Audacis Galli. per tanta pericula si quid
Creditur extanti, iuuat experientia Martis.
At vos in Ranas luctu suadente mouetis.
Ardua res ! hærent in aquis : vligine densa
Vallantur, clausósque lacus obsepit arundo.
In tuto pugnant, propriique in margine regni.
Vestra peregrinis Bellona sedebit in aruis
Et genus & proauor, stirpémque animumq; fidemque
Prodigitis : cæcum si non ductore perito
Tentatis tranare vadum. contermina ponto
Deuergunt loca Glaucorum, vigilantibus apta
Insidijs. cedunt decliues vndique ripæ,
Conturbántq; gradus quem vestrûm aliquando lacunæ

Saltem parua tulit. Sed nos caua robora siluis
Exscidimus quondam, & cuneis turbauimus æquor,
Totius Æoliæ flabris ad vela vocatis.
Ingenteis potui contemnere nauita phocas:
Et timeam in cæno recubantem Borborocœten?
Nimirum postquam bibimus de flumine Lethes,
Tantarum nobis subiere obliuia rerum?
Haut ita me Diui oderunt, & adhuc mihi nondum
Excidit omnis homo: multúmque his artubus Afri
Clausimus, & nostro est in pectore Punicus astus.
Aspicite hanc pellem, furiúsque informe, quod ausus
Tollere ego: (exuuias ostendit Felis inaneis.
Intremuere iterum, ac puduit tremuisse videri)
Cùm fetore suo iam terram auráfque grauaret:
Sublatum miros rigidi thoracis in vsus,
Quo tectum aspicitis, nostro disculpsimus ense.
Vestiat Herculeum nodato vellere corpus
Bellua Massylis è saltibus obuia clauæ:
Stet victrix mea fama mihi. decernite tandem,
Quantum indignari deceat. quid in otia luctum
Soluimus, & dignas maribus malè perdimus iras?
Viribus vtendum est, quoties Occasio tempus
Suggerit: è manibus nescit dilapsa reuerti.
Dum Ranæ se fonte lauant, muscóque teguntur
Securæ, nostróque metus in littore rident:
Dum gliscunt proni magna ad discrimina sensus
Iusto odio, squallórque recens horrore juuatur;
In mortes & in arma Ducem descendere fas est.
Discite fortunam, letíque inuadite amorem.
Si qua est, in vestris hæret victoria neruis.
Assensere omnes. pedibúsque chorenmate motis
Applausere omnes. Clypeo Mausolus in altum
(Quadra fuit) Sociorum humeris super ora leuatus
Æthiopum, fest isque crepat stridoribus aër.
Sic vltura scelus Paridis manus omnis Achiuûm,
Vindictâ flammante viros, conuenerat olim:
Iámque aderant magnis clypeatus montibus Aiax,
Et gemini Atreidæ, & nasus sapientis Vlyssei

Et

Et barba Antilochi: sed Dux quæsitus Achilles.
Hunc procul inuentum submisit Deiodamia,
Vastatorem Asiæ, tanto gauisa marito.
VIII. Mittitur exemplo, qui bellum nunciet hosti
Tyroglyphus (námque hic visus metuisse) feroces
Musculus ingenij, magno satus Embasichytro.
Ille vbi Ranarum curuantia littora venit:
Portenti species, albóque simillima Muri!
Siue Explorator summa speculatus ab algâ,
Viderit atratas acies: seu proditor emtam
Vendiderit mercede fidem: seu numine Diuûm
Rumorem belli vulgauerit ipsa Megæra:
Tyroglyphus Ranas omneis offendit in armis
Sollicitâ seruare suas indagine ripas.
Obstupuit, séque & Mausolum, & castra perosus
Suppressit cum voce gradum. vt si fortè viator
Hausturus fluuium, calcato gramine tectam
Serpentem premat; & pressam pede viderit ore
Linguam exertantem, & fulgentia colla tumentem;
Attonitus cedit retrò, mortíque propinquum
Damnat iter. vultum exsanguem dementia versat.
Haut aliter pallens iráque metúque biformi
Iam relegebat iter. Sed enim stimulum addidit acrem
Artophagus comes indignans: monuítque timore
Expulso mandata noui deponere Regis.
Ille: quid hæretis riparum in margine viles
Abiectǽque animæ? indictum bellum omnibus esto.
IX. Commouit se tota palus à sedibus imis,
Bísque refusarum colluxit sulcus aquarum.
Accipio, Regnator ait Physignathus, omen,
Bellandíque modum. grates hoc ense rependam;
Et verò facile est certamine vincere Mures:
Qui nucibus ludunt, non sunt ad seria nati.
Arma mihi infertis. quianam? Psicharpaga leto
Demisi. quo teste nefas tam grande? natantem
Deieci de puppe mea. quis nostra coëgit
Marmora, & vndantem temerare Palæmonis aulam?
Decepi tenerum, támne alba in corpore nigro

Mens erat, vt liquidos ſperaret ſcindere fluctus?
Non genitus Naſamone leo, non vngula Pardi
Attentet; non Rhinoceros, natúſque ſepulcro
Cinnameo Phœnix: & nempe hoc Muſculus auſit?
Quem parit ad riſum facilis natura iocari.
Si neſcis; ſtabilis ſunt hæc diuortia Mundi,
Diſtinctæque vices. ex quo commercia rerum
Saturni triplex Heres partitus in aſſem,
Diuiſere ſibi Fratres mare, Tartara, cœlum,
Sorte cuique datâ: ſcelus eſt violare Caducum
Alterius. fixas accepit in æthere Stellas
Primus, & erranteis cohibet ſtatione Planetas.
Neptuno famulantur aquæ, dulcíſque miniſtrat
Cymodoce Phorcíſque chorus. tenet infera Pluto,
Diues nocte ſuâ mundum quatit ille ſepultum.
At non ætherius ſaxo Deus elicit vlla
Flumina; nec madido Nereûs ferit aſtra tridente;
Imperiúmue Sibi Cereris Gener æquoris alti
Arrogat, anguſti contentus limite regni.
Cætera, Sors eadem ſpacijs diſcriminat æquis.
Aligeræ volucres perſulcant aëra pennâ
Remige; Squammigeri piſces freta remige pinnâ,
Pſittacus in ponto, nullus tabeſcat in aura.
Eſt genus amphibium quoddam terraque maríque
Aſſuetum; vnde etiam ludit terrâque maríque.
Nos ſumus hoc: & quem viridi Crocodilon in ara
Frugibus ac Siſtris veneratur tinnula Memphis.
At vapidi Mures, & noxia talpa colonis
Immerguntur humo penitus, latitántque cauernis,
Infernóque Ioui parent, & Felibus Orci.
Quis Deus hæc docuit? genitor famoſus Apollo.
Quiſquis is eſt, crede augurijs. Oracula fibræ
Et noſtræ ſpirant: veniens ſententia Delphis
Hæc in verba fluit. Qui regna aliena laceſſit,
Extremum diſcrimen amat, neſcítque decorè
Fortunam tractare ſuam. ſapientior odit
Immodica, & votum non vltra extendit in Orbem.
Ne noſtras igitur lymphas, neu littora radant
Terri-

Terrigenæ; neu sustineant sine folle natare.
Subtus habent Stygijs propiores manibus ædes,
Cæcum, immane, ingens, plenum bubonibus antrum:
Si regnare volunt, illâ dominentur in aulâ.
Disrumpi potuit sarcasmis talibus ictus
Tyroglyphus moriens, pellémque exire nigrantem,
Ac nisi Parca cutem, naturæ prouida, denso
Stamine neuisset, nodosáque fila ligâsset:
Disrumpendus erat. Pergit Physignathus ingens;
Sed quid ego indoctis hæc inter prælia? vade
Legate, ínque vicem Mausolo hæc dicta reporta;
Aduenio furere, & bellum bellare, quod optat.
Inuideo tantùm, quod me priùs ille vocârit.
Sic fatus, capulum junci quassauit acuti.
Insequitur strepitus Sociorum, & in arma ruentum
Clamor. aquæ resonant, incisáque calcibus vnda
Spumat, & impulsis subsultant classica ripis.
Qualiter ad diram Phœbæi Amphionis Vrbem,
Dum iubet Aonij sceptris Eteoclea regni
Cedere Tidides. vix hoc immugijt aulæ:
Iam totæ infesto fremuerunt murmure Thebæ.
X. Egressi in turmas abeunt. Physignathus alto
Editus in solio, quod præbent vimina, censet.
Maluarum folijs muniti crura, orichalco
Betarum reliquum defendunt corpus: in vsum
Scutorum aptatur contortis brassica nodis.
Altiùs erigitur juncus. fit cochlea cassis.
Tunc sic Hypsiboas iussus procumbere Marti
Altisonans: quemque extremo Gradiuus ab Æmo
Audijt, & iactâ signum dedit eminus hastâ,
Mauors: seu Getici culmen subsidis ad Hebri,
Et reficis fessos secto Diomede jugales:
Seu Rhodopen glaciandus amas, intérque puellas
Peltigeras (sunt & nobis tua cognita furta)
Partiris spolia, aut crustas de Strymone trudis.
Adsis, & nostræ cupias sudare phalangi.
Auspicijs armare tuis immania vota

Poſcimus, haud iniuſta tamen: da ſternere Mures.
Nam te ſæpe dolos meditantem nocte ſerenâ,
Ne noret obſeſſus, ſtrepitu maiore juuamus.
Da vires, da tela pater, bellúmque ſecunda.
Talibus Hypſiboas Tubicen de more creatus.
Clamorem tollunt. quantum non Eurus ab ortu,
Non audita procul de nube tonitrua vincant,
Nec percuſſa freto rabidùm latrante Malea.

LIBER III.

Iouis, Diuumque Concilium.

I. VIdit vtramq; aciem iam dudum è cardine Mundi
Cælicolûm Sator! & multo se numine torquens
Acciri iubet armorum belliq́ue potentem.
Vade, age, Cyllenæe, apta talaria plantis:
Sumptâ cum petaso virga, per nubila lapsus,
Fratrem quære tuum, gelidum delatus in Hebrum.
Protinus ima petit Deus, & videt amne lauari
Sanguineo Martem, mersósque euoluere truncos.
Talis, ait, mihi vise Patrem. te summa Tonantis
Iussa petunt. Secat ille viam, & luctatus in altum
Protollit corpus, currúmque ascendit ahenum
Confestim. neque enim liceat mandata morari.
Antè Pauor, post terga Dolor latus ambit vtrumque
Ferri densa seges coëunt examine mitto
Tum variæ Mortes, tum tristis ensibus iræ.
Ipse per obstanteis armato corpore nubes
Fertur, & euincit lapidosas grandinis imbreis.
In galeam quoties rectum iubar incidit ætheris:
Fulgurat, & nitido Soli sua tela remittit.
Qui sic ante Iouem præsens: heic Iupiter adsto,
Quem quæris. quid enim mandas? vacuabo profunda
Imperia: ósque tuum, fiet manus ista, nec vllus
(Scis tamen ipse) tibi tam prono numine seruit.
Rex Superûm alloquitur. Sic nempe assurge, Patremq;
Disce tuum. iam expone, nouus quis miles in Orbe
Se tibi deuoueat. viden, vt numerosus ab vndis
Batrachus; vt campos latè diffusus obumbret
Musculus; & sese cubitis tribus altior extet.
Túne impleuisti solitis hæc pectora flammis,
Anne Soror? Tristem vox improuisa Gradiuum
Perculerat; quæríque aliquid tam vile pudebat.
Nam dignum sperabat opus: noua Pergama fundo
Vertenda, & solo structos Amphione muros.
Talis enim, talis clades & fama deceret.
Ergo Iouem nimio vesanum nectare credit:

Infremuítque sono: quibus, ohe gloria! fungis
Præficimur? si bella iubes; sint digna relatu,
Sint Patre digna meo. ne prælia, deprecor, ista
Vel Tyberis nôrit, vel turbidus audiat Ister.
Antè quidem Mures vidi, Ranæque vocanti
Annuimus. mirabar ego, quis primus in iras
Putre genus tantas, ignaro Marte, dedisset.

II. Vix ea: cum risu Genitor prorupit aperto:
Séque coruscantis Nati complexibus ingentem
Infudit, rigidis quanquam haut illæsus ab armis;
(Quippe vmbone ardens & duro filius ære)
Hæc acies, inquit, nostra est: ego Iuppiter auctor
Incussi stimulos. sat dira noualia Cadmi
Sustinui, ærisonam segetem deflente colono.
Sat Thebis, Argísque datum, trucibúsque Mycænis.
Iamq etiam nimium lachrymarũ ac sanguinis hausit
Effusi, tellus manantibus ebria riuis.
Et piget, & tædet derrusos corpore maneis
In toties alios artus transferre, modúmque
Addere crescendi. Tandem placet edere bella,
Quæ squallore suo prosint mortalibus ægris,
Erudiant Orbem. sine nunc, sine ludicra certet
Turba, capax leti, sed iniqui criminis expers.
Magna catenatis innectant vulnera sulcis
Ignari, rumpántque nigris mucronibus ora:
Dum se non homines feriant, truncandáque dextra
Induerit iugulo Patris, extractúmque cruorem
Sparserit in postes. modò nos Titania pubes
Non iterum incestet, captiuáque sidera calcet.
Anne nouum bellorum vterum fecunda minatur
Oedipodis coniux, & crimina proijcit astris
Ex gnati suscepta toro? quod vidimus olim,
Damnauítque sui genitrix Iocasta mariti.
Par illud, diri quæ non mouere Nepotes
Prælia? seruârunt odia ipso in funere, sæui
Ad tumulos, & ad vsque rogum, supremáque busta.
Stet fixum dein belli veto, quibus Orbis abusus
In sua damna ruit, totúmque impleuit Auernum
Stra-

Stragibus, & nimijs lassatus Portitor vmbris
Integra transmisit Lethææ secula ripæ.
Sin iterum dabitur Dircæo cernere campo
Prodigium Veneris sese regerentis in ortum,
Materno in thalamo recubans; aut cœna Thyestæ
Altera terruerit solem: mea sidera testor:
Non ego, non tantùm torquebo fulminis alas;
Aut telis, Gradiue, tuis vlciscar amores:
Sed Liparam, atque ipsos Ætnæ vibrabo caminos,
Méque super. Mars alta trahens suspiria ab imo
Pectore (bellorum námque illum cura remordet)
Ingemit, & tali vocem clangore resoluit. (mam
III. Reddo tubas, reddo arma tibi mihi barbita su-
Posthac & calathos, pigrísque trapeta Lyæi:
Et quia tela vetor; telas vrgebo, colúmque;
Fractáque pensa geram; iactóque per aëra thyrso
Cum thyasis fugiam, sæuo stimulatus amore.
Pulcer ego Mars sum: colimur, numenque putamur
Scilicet, & nostris submittitur ensibus Orbis.
Si populos æterna quies amplexa coronet,
Quid viuo? an satis est Mures collidere Ranis?
Pro cæli terræque pudor! (pallebat, & altum
Sed toruum ridens inter lamenta fremebat)
Qui rapuere Noti promissa? obliuia carpunt
Te quoque? mandabas: I Mars sate sanguine nostro
In Scythiam, nec iussa time, tibi stringere ferrum,
Tyrrhenásque tubas, tempestatésque cruentas,
Et mortes & bella dabo. regat ille disertum
Florentémque chorum Musis addictus & hortis;
Ille nemus vitésque colat, vel flumina frenet;
Armorum tu iura tene, rebúsque secundis
Aduerte implacidos vultus; ne mollior ætas
Torpeat, & luxus vitijs effeminet Orbem.
Nec diffide: Viros dabimus, Sponsósque Dearum
Horrendos, qui te ferro flammáque iuuabunt.
Pace tua (bellóque meo) si dicere fas est:
Fictum per Stygiæ iurasti stagna paludis. (ba
Námque vbi nunc Cadmæa Phalanx, & natus in her-

Miles, qui toties nos ſpe lactauit inani?
Cùm quererer noſtræ diſpendia ſortis iniqua,
Sic ſolatus eras. ô quæ tibi præmia ſurgent,
Qui virtutis honos! cum parturientibus aruis
Diſtendet legio glebas, clypeíque reciuſo
Incipient vernare ſolo. rumpentur ahenis
Germinibus ſulci, ſubitas ſeges exſeret haſtas,
Aſpectu metuenda ſuo, de ſemine dentis.
Vidi equidem, placuítque mihi. ſic creſce, precabar,
Sic multum me plena tume ſublimis ariſta.
Vix ea fatus eram: cùm formidabile campus
Intonat, ínque manus ſubitas ſe ſpica reſoluit.
Ac ſi vnà natus tubicen turmale dediſſet
Exitio ſignum, meſſis ſe meſſuit ipſam.
Diſcluſæ reſonant galeæ: ſuper æquore toto
Interciſa crepant ferratis funera culmis.
Arboream ſobolem tamen altera protulit ætas,
Infantéſque viros ſurſum Dodona leuauit,
Non fecunda diu. Platanus mox mollia cœpit
Pignora, & imbelles tellus proferre myricas.
Magnó animo æqualeis artus, & digna videri
Corpora conſpexi rurſus, viréſque recepi:
Cùm fetus grandæua ſuos, hirſutáque duri
Coniugis effudit catúlos in montibus vxor.
Abſque metu turbam illa ſuam, quam ventre ferebat,
Oſtendit Mundo: nec ad hoc Lucina vocata eſt
Incaulam, vt tali parituram mole leuaret.
Non admota fuit lactentibus amphora mammæ;
Sed glaciem didicere pati, glandíſque medullam
Decuſſæ: niſi cùm noſtro fors ſidere mater
Lautior intriuit mananteis vberis offas.
Hinc virtus ſolidata ſtetit; nutritáque veri
Militis excreuit firmatis gloria neruis.
Gnatos maioreis coliphia querna replebant,
Tota fames vno pendebat ab ilicis ictu:
Laſſatíſque cibi ſtridore molaribus, auſi
Lætum aliquid, caſulæ colluctabantur in vmbra.
Turgida digeſtas ructàrunt guttura baccas.
Poſt

Post faciles somnos in apertis frondibus, aut in
Pellibus Hyrcanis, flantéisque ad prælia rhonchos.
Corneus horum aliquis, soli conuersus Eoo
Diduxit scopulos, collo tenus abditus antris.
Sub noctem, in valles instar torrentis ab alto
Culmine decurrit. reducem manifesta ferebant
Signa, sub axillis spirantes eminus alæ.
Hoc hominum genere.& tantis mea bella gerebam
Auspicijs: donec successit inertior ætas,
Substituens Psyllos habitúque, animóque pusillos;
Myrmidones: gentem, quæ dum cohibetur in arcto,
Vt stipula in flammis crepitat: risúmque furore
Prouocat, vngue gruis vacuas rapienda per auras.
Huc mea deuenit laudata potentia quondam.
At tu etiam Ranas nunc vis mihi iungere; Ranas!
Et mures mandas in campum educere, Mures!
Quos dabimus superis ludos? quæ fabula fiam;
Iussisses si cogere apes, quia numen in illis
Est aliquod, Regúmque licet cognoscere mentem;
Forsitan huic vni poteram vigilare labori

IV. Talia Mars: tali fuit illum voce secutus
Iuppiter. ô nimiùm noster, reliquísque tremende
Cælicolis; qui te tantùm per seria ducis.
Non ego perpetuis Bellum cohibebo catenis,
Vt rebare, tuum: vel Iani clausa tenebo
Limina. nonne vides, qualem tibi Romulus vrbem
Struxerit? hæc toto latè dominabitur Orbe,
Tuque simul. Britonum terras ignotáque nautis
Æquora, & extremam Thulen Calpénque subibis.
Longa Ducum series Italûm tua castra sequetur.
Displicuere tibi Serranus, Brutus, & ingens
Fabricius, pugnánsque mea pro rupe Camillus?
Mutius in flamma, Coclésque in ponte reciso?
Æmilius sibi bisgeminus, ter Horatius vnus?
Et Curius, qui messor eques, trabeatus arator?
Contemtórque Afri, Sacráque in morte superbus
Regulus, & diues Paupertas nobilis Anci?
Hos, puto, laudasti. sicut cùm Clælia Virgo

Per medium fluuij tractum captiua natauit;
Castaque confodit calidum Lucretia pectus,
Vindex ipsa sui. vidi exsultare, comásque
Comere te, quando Consul de vomere raptus
Induit ante boues chlamydem, & quâ ligna cecidit,
Percussit sonteis, torquatáque colla securi.
At non infractus cedet Cato talibus Heros,
Marcellíque truces, formidandísque Metelli,
Velocésque moræ Fabij (do nomina rerum,
Ne tantum dare verba putes) hæc numina Romæ
Accedent. falces hastas, scabríque ligones
Arma dabunt; verso pugnabunt sarcula ferro;
Inque Tybri æratæ collident rostra carinæ.
Omnia nec mens est, nec fas expromere fata.
Tunc tu nulla mihi dices conuitia vultu
Turbidus, & gladium rarò vagina recondet.
Crescet honor Ducibus, cristatáque gloria pellis
Efferet alta caput, laudémque in sanguine quæret.
Cæsar erit, Pompeius erit. quid quærimus vltra?
Hos satis est cognôsse Duces: quos nulla vetustas
Obruet: in totum cum famâ venerit æuum
Et Gener & Socer, & fluuius Rubiconis, & audax
Transitus, & mediam tumulans Pharsalia Romam.
V. An te plura iuuant? Europæ filia nostræ
Diuitijs felix, & Agenoris aurea Neptis:
Torua genas, quæ nunc vario se nomine vestit,
In siluis intérque feras assueta vagari;
Tunc habitura tamen constans Germania nomen,
O quibus! ô quantis frangetur adultera bellis.
Regna cadent; excelsa ruent: depressa ferentur
Altiùs. occumbet multis cœlum omne: grauabit
Tellurem sanguis, ponto miscebitur æther.
Nempe quot ipse parens Rhenus vomet arma bicornis
Assurgens altè: fratérque binominis Ister,
(Quippe & Danubius nascente vocabitur vndâ)
Pandere cuncta tibi vereor portenta malorum.
Quæ Furiæ per castra ferent, inopináque crescent.
Cum gleba steriles incultáque terra iacebit

Certatura Tagum Nilúmque bibentibus aruis.
Sub galeis Ætas omnis sudabit, & annos
Ornabit spolijs, & ad improuisa trahetur
Tympana. Subsident emotis oppida portis;
Et quæ suspensis vicinæ nubibus Arces
Hærebant instar scopuli; sua claustra stupebunt
Conuelli. Quas non artes Gens illa modósue
Inueniet, quibus expugnet! Salmonea cernes
Non vnum, nostrum fulmen currúsque sonanteis
Qui referat: patiárque libens iaculabile sulphur
Flammato sparget tractu tonitrale metallum.
Tot credas bellare Ioues. circumfluus aër
Diruet incensus subitò, laxatáque findet
Machina, & euertet nutanteis turribus vrbes.
Inter quas vnam si tu quoque, Nate, videres
Fumantem, & faciem Troiæ flammásque ferentem.
O quid agis, Virgo thalamum violare parata,
Fide Seni, qui te dictis castigat amicis.
Sic tibi dilecto viues seruata Marito;
Non aliter: nam si pergis contemnere veri
Amplexum Sponsi, peregrináque basia præfers;
Bellona vltrices attollet pronuba tædas.
De Sene, cui mallem miserandam fidere Nympham,
Pauca tene. Vix vllus erit, quem sistere possis,
Quem conferre velis. Virtuti immania vota
Iam Iuuenis faciet, ferróque inflectet oliuam.
Afra sitis, Rhodopæa fames, Alemannica bella
Maiorem pascent. censebitur vna voluptas,
Duratas sulcare niues, ex casside frigus
Lambere, & hybernis gelidam sub pellibus Arctos
Aspicere, vt ponto mergi tardata repugnet.
Hic nec ab euentu pendebit strenuus; & cùm
Ferrea bis septem consumserit ordine lustra,
Ipse sibi suus augur erit, plenúsque triumphis
Campo decedet. per cuius Nomen & Vmbram
Posteritas iurare volet, sed & alter, & alter,
Contendent æquare Ducem. seu Cimber aperta
Regali Tritone ferox prorumpet in arma:

Seu qui falcatis renouabit monſtra quadrigis,
Non niſi calcato poſiturus Cæſare ferrum:
Seu qui ſtante potens ſua ſtagna Aquilone ſecabit
Victor, & ingentem propellet ab æquore claſſem.
Ille valebit equis remíſque, & ſtragibus Orbis
Collapſi vtetur: docilis laruaſque mináſque
Spargere, & ignauam promiſſis tundere plebem;
Virginis auſpicium caluæ ſtudioſus vtraque
Obſeruare manu, vultu ridere doloſo;
Dum propior patriæ, atque admotus ad vbera Regni,
Armatis precibus Germanum emulgeat aurum.
Finio. quæ Fato voluente ſequentur, ab iſtis
Qualia nunc tecum ſoror admolitur in Hebro,
Crede mihi, tantùm diſtabunt prælia bellis:
Quantum Sarmatico ſecedit Muſculus vrſo,
Et ſuperat minimam Balæna Britannica Ranam.
(Mauors ingenti diduxit labra cachinno:
Malles plorantem, tantus fuit horror in illo)
Quo ſenſu aſpicies, Fili, tot funera paſſim
Sparſa iacere ſolo? quantum bibet alta cruoris
Fraxinus? affixas quot non tua lancea caluas
In nubes porrecta geret? refer ergo quietam
In melius mentem, & placidè noſtrum accipe ludum:
Dum narrata tibi decerpat prælia tempus:
Interea dabimus belli præſaga futuri
Hos, ſimulacra, Neoptolemos: non apta ferendis
Corpora vulneribus. tamen Antra Lacúſq; loquentur
Quid factura hominum ſcelerata nocentiùs Aula,
Munitúmque Nefas reſidens in turribus altis.
Triſtia Sphynx inuenta parat. quæ Muſculus armis;
Hæc & homo bellator aget, peioráque magni
Laruatâ facie ſtatuent exempla tyranni.
Nil ſine conſilio eſt. Ranarum in tergore fata
Portantur, cladíſque ingens ænigma recumbit.
VI. De genibus Mauors (ſed enim mox ſurgere iuſſus
Grates lætus agit; placatáque fulmina Patris
Laudat, & aſſiduum Brontem promittit in Ætna.
Immiſcétque preces; ſi non auerſa tibi mens;

Huc quoque conueniant nostræ, tua cura, sorores.
Annuit: & Maiâ genitus mox fertur in Idam,
Cyprúmque, Gnydiásque arces, & Mænala Luco
Æmula Taygeti, vicináque fana Cybelli.
Quæque gemelliparo noua claruit Insula partu.
Accitíque omnes Diui. Latonia Ceruis
Inuehitur, serpente Ceres, Tritonia curru
Quadriiugo; Bromius geminis cum lyncibus intrat;
Cum Phrygibus Superûm Mater Turrita iubatis.
Gaudenteis Erycina regit sublimis olores.
At pedes, & nullo Tirynthius appulit ingens
Vectus equo, pompæ & luxûs pertæsus inanis.
Villosus partem spatiosi tergoris implet
Fuluâ pelle leo. quercu fulcitur adultâ.
Ipse secat medias, sectásque viriliter auras
Calcat, & ingenti duplicat vestigia passu
Immodicus: nondum decimum promouit ab Oeta;
Iam reliquis vicinus adest, Martémque salutat.
Conseruere manus; tremuítque à pondere nubes
Insiliente Dei. manifesta pericula casûs
Mulciber expauit, sapiens à vulnere primo.
Et placuit Fabri timor omnibus. vnica Iuno
(Caussa latet) se Concilio subtraxit: ab arcu
Quod suspensa suo, cum fletu nunciat Iris.
Adsunt & Fluuij: quorum ne absentia terris
Obsit, & arentes discedant puluere ripæ;
Nympha trahit fontes, vrnámque vicaria voluit.
Primi aderant Venti. tamen hos reuerentia cogit
Postremos fieri. qui, cùm termalibus æthram
Perfurerent flabris, immansuetóque susurro
Atria complerent; Ioue solùm hiscente steterunt,
Occlusísque manu presserunt sibila labris.
VII. Tunc sic Omnipotens; ô nostro effusa cerebro
Progenies: (veneratur eum, decuitque minorem
Poplitibus fieri, & demissam accedere terræ)
Cernis, (& ostendit) quantus se exercitus aruis
Inferat. armorum campus repletur ab vmbra.
Auxilio dignata tuo lectissima bello

Pecto-

Pectora, prætentâ Mures defende Medusâ.
Nam virides Ranas Præses Latona juuabit.
Da specimen, quod sis nostro de vertice nata.
Et dabo, Pallas ait : neque enim parebo monenti.
Scilicet hanc mundi fæcem Patrona tuebor
Hostes Diua meos ? mea qui Delubra pererrant
Semper, & incestis deformia sordibus implent.
Quid ? quòd Erythræis pretiosa monilia conchis,
Sertáque sacrilego morsu decerpta profanent.
Quid ? quòd ab ætheriâ flagrantem Lampade Succum
Méque bibant, rorémque sacrum pallentis oliuæ.
Quid ? quòd in augusti cælestia serica Pepli,
Nostrâ picta manu, rabies malesana nocendi
Impulerit, totámque, (nefas) corruperit artem.
Mitius vt flauæ numen regale Mineruæ
Inter Mygdonias contemserit vna puellas,
Corpore suspenso damnata furoris Arachna.
VIII. Hæc effata, simul Peplum mirabile monstrat
Ambesum. quæ bruta fames intacta reliquit;
Sunt testes artis, sunt argumenta decoris.
Ipsæ relliquiæ laudem noménque merentur.
Ingenium posuit formas, solertia filum,
Materiam dispensat acus, variátque figuras.
Omnia vel viuunt, vel sunt mendacia vitæ.
Vera putes, sed ficta placent simulantia verum.
Summa ; Trophæa Iouis, statuit quæ plurima Mundo.
Nondum fuscus erat primâ languine malas
Sub genitrice Rhea, nec adhuc juuenile vagatus;
Iam propiora polo sensit discrimina, Patri
Ereptus. tinnit Corybas, suáque æra fatigat,
Saturno natum sene prætereunte puellum.
Et verè vagit puer, & sua Cymbala verè
Curetes quatiunt, tanquam si sentiat auris.
Juppiter in Latio dormit, placidámque quietem
Quam dedit hæc tellus, meliori munere pensat.
In fruges fecundat humum, Cererémque maritat
Lenæo. non vlla manus tam fallere docta,
Támque minùs, teretes digitos felicius egit

In tramam. ardenteis cupias decerpere gemmas;
Vſque adeo maturat acus. multúmque propinat
Ante diem. niueo vincit candore ligustra
Synthesis: alternis sublucet purpura filis.
Iurares spirare crocum; vaccinia nigro,
Et violas humileis violæ pallore notari.
Concipit & linum Zephyros. naſcentibus herbis
Permiſtæ ſerpunt hederæ: coniungitur vlmo
Fœderibus textis è lana pendula vitis.
Quà flauum trahitur filum, flauiſſima meſſis
Inſequitur: quà ſanguineum, vindemia labris
Spumat, & in Phrygiam procumbunt orgia telam.
Addidit & fontes, qui paſſim in ſindone ſudant,
Bullit ab argento trepidátque argentea lympha,
Sparſáque deducti percurrunt carbaſa riui.
Addidit & certis diſtincta Elementa corymbis,
Sopito famulata Ioui, & mulcentia ſomnum.
Nec confuſa jacent: Naturæ cernitur ordo.
Terra ſtat, Vndâ fluit, meat Aër, emicat Ignis.
Terra pedes tangit, pectus circumfluit Vnda;
Per nares Aër meat, & capite emicat Ignis.
IX. Parte aliâ Veli deſcripſerat horrida bella
Centimanûm, & longè Inarimen ſuper æthera jactâ:
Se quoque pugnantem, durantémque Ægyde vultus
Marmoreos. Petulans & commeritus laqueum Mus
Hoc ipſum fedauit Opus, roſítque maligno
Dente tenax: perijt luſus felicis imago,
Soláque diuini ſuperant emblemata limbi.
Quo dedit expreſſum facinus crudele Belarti,
Anguipedes inter quondam ſummóſque Gigantes
Principis. hic alio Frandildus nomine dictus,
Semideus, poſtquam Iouis eſt ſuſceptus in aulam;
Ambitione ſacrâ flagrantia feruidus arma
Corripuit, totum debellaturus Olympum.
Sed cùm iam fureret traherétque in vincula ſtellas;
Excidit infelix, immanibus excidit auſis.
Et fruſtra ſtolidos impleuit numine faſtus.
Quippe toro proſtans, & ſe poſiturus in vmbrâ

Fraxineam incubuit Martis porrectus in hastam,
Impiáque æterno conclusit lumina somno.
Nec non & pretium qui formidabile pacti
Iurârunt commune nefas, tumidúmque Mimantem
Porphyriúmque trucem, natúmque Damastora Caco;
Marcenteis epulis Socios nimióque Lyæo,
Nudati feriunt gladij, jugulósque resoluunt
Incisos redit in phialas nutantiáque orbe
Sigmata permistus scelerato sanguine Bacchus.
A Satyris præceps data funera fune trahuntur
Contorto. cælum omne tonat, tellúsque remugit
Iam lenior: respirat ager, pérque auia siluæ
Iam secura canit Pastorum fistula Mopsum:
Et sibi gratatur tutos Amaryllis amores.
Omnia Palladius se tota Pallade póllex
Fecit, & arguto glomerauit singula tactu.
Quisque decens rerum color est. conuiuia fumant;
Ex auro surgunt mensæ. funduntur ab ostro
Vitra, relucentes attollunt vasa smaragdi.
Pænè etiam fremitus cædentum auditur, & vnà
Cæsorum stridor. Perfossa cadauera fetent
Tam nebulis pertusa, vt abesse notetur ab ore
Spiritus, & paullò tamen ante fuisse sub ore.
Hîc discat mors ipsa mori. Sulcata cicatrix
Eminet, & grandes buxo signantur hiatus.
Florida quà summus clausit subtemina margo:
Viuus adhuc, turgénsque minis Frandildus & ità,
Vt turpi macie curísque exesus anhelet,
Ad jubar Imperij, radiato fingitur arcu;
Mercurio responsa dare, & contemnere Diuos.
Cæruleo grandes oculi de stamine turgent.
Nasus agit rhonchos. rugis frons abdita bysso
Flauenti, barbæque vapor diducitur atrâ.
Cætera vastator Mus cernere texta negauit.
X. Talia dum cupido defixi lumine lustrant,
Mirantur Diui; simul indignantur: & atros
Musulmannigenas inuersa cuspide damnant.
Hosne ego defendam? Virgo Tritonia reddit?
Hosne

Hostae ego; quam jacio, sese priùs induet hasta
In folia & frondes: atque hastam jecit in auras.
Hunc vterum (monstrátq; Iouis caput) ipsa verendum
Dedecorem! si tela tamen fatúmque minaris;
Eligo Gorgoneis Ranas vmbrare cerastis.
Ignosce: & Ranas odi. nam semper amantem
Otia, cùm somnum sub lauro fessa vocarem;
Scilicet infestis à me pepulere querelis.
Dixerat. extremas voces Latona probauit,
Multa fremēs super his: Lycidas quis nominat, inquit,
Saltanteis in aquis, tantùm ad conuitia natos?
Æstus erat, totúmque Leo succenderat axem;
Ardebant nimijs exusta caloribus arua,
Nósque siti. gemino soboles portata lacerto,
Vbera pulsabant tremulis siccata labellis;
Desisto; narrare pudet. nil duriùs vnquam
Sensimus. hausturam latices vis rustica stagno
Arcuit, & limo venam turbauit aquarum.
Quid tale ausa fuit Niobe? quam nostra peremit
Filia post Natos, justo damnauimus ore
Barbara corda virûm. saliat, trepidétque, vomátque
Nunc licet, & clamet submersa palude caterua;
Raucáque perpetuis consumat litibus æuum.
At quàm pulcra mihi vano Tegeaticus Ales
Prælia promisit flatu? quid ad ista vocauit
Dedecora? infami juuat hoc excesse theatro.
Illusæ sumus. abscedo. abscessitque marinis
Rupibus illapsa, & Delo se condidit altâ. (tumulens
XI. Concussum est magno Superum genus omne
Obque eadem tacitè certamina ludicra mussant.
Iámque soror Phœbi, iam Phœbes frater, & angues
Ægide concutiens, stimulos abirúmque sub alto
Corde volutabant, subituri mœnia Cyrrhæ.
Præcipuè Venus, vt Mures in casside vidit,
Non nisi dilectæ pennas fixisse volucris
Contemtu, teneros sensus testata decoris
Fletibus, & crudum sic est affata Maritum.
Ergo meæ tantùm galeis, ludibria belli,

Affiguntur aues? túque ad scelera ista silebis
Saeue? (silebat enim) quin & sæuissime rides?
(Riserat) hoc merui mulcens post prælia fessum?
Thrax ingrate mihi. si coruus & atra deesset
Noctua: non quererer. nunc Cypria luditur ales.
I tamen, & nostrum Coniux vlciscere probrum.
Mauors, seu simulans, seu verè percitus ensem
Nudabat, iamiámque ruens in bella ruebat,
Inflexus precibus. voto Saturnius obstat,
Et Mures jugulare vetat: neque te decet, addit,
Huc ferri rapidum, & vileis abscindere vitas.
XII. Vos porrò sanguis meus, & formosa voluptas,
Cælicolæ: túque alma magis Dictynna, decúsque
Phocidos intonsum Pataræ, & Filia nostri
Sincipitis: quæ bella parem, cur talia cogam;
Accipite hæc animis, altóque recondite sensu.
Scitis, & in vestris etiamnum mentibus hæret
Terrigenûm furiale nefas, dira ausa Typhœi
A pede conuulsos vibrantis in æthera montes,
Cùm stetit Ossa super contorta niualis Olympum.
Quis non expauit? Pangæa volantia ruptis
Vallibus, in nostram cecidissent pænè Sororem.
Machina tunc, sedésque Poli turbata: refugit
Signifer: audiui in cunis vagire minora
Sidera, & interitum non interitura timere.
Fulmen erat dubium, nisi nostra rotâsset in hostem
Dextera, quem vinctum cohibet Trinacria ferro:
Sudat vbi curuum caput ad sua membra retorquens.
An reliquas memorem, quas magno pectore curas
Interiore premo? quanto sudore cauemus,
Ne leges Natura suas violata queratur!
Iam fastum elido, iam torqueo pectus auarum:
Iam cæcas crucio fraudes, irámque retundo.
Nunc cadit in pœnam pœnæ secura libido:
Euertóque toros, & proscribendum Hymenæum.
Non vnus de Matre nepos effunditur heres,
Sæpe sui Patris frater. punire fatigor:
Et pudor est, toties pauefactum auertere solem.

Atque

Atque vtinam interea, vel paruo tempore, fessi
Vestrûm aliquis caperet frena imperiosa Tonantis;
Disceret inuidiam tumidis auellere votis;
Et modico vilis contentus farre polentæ,
Mallet in exiguis pauisse mapalibus agnos.
Est aliquid, summum Mundi, mihi credite, pondus
Ferre, nec oppositis frangi vel cedere Fatis.
Secula donamus: cœlestes voluimus orbes;
Torquemus nimbos: fruges vbi sicca negârit
Tellus, in dulceis vxorem soluimus imbres.
Quod Ver molle rosis, Æstas cingatur aristis,
Temperet immitem Brumam confinis Iacchus,
Musto prælà fremant: nostrum sunt omnia munus.
Num quisquam idcircò vel nos mortalis adorat?
Vel colit obsequio supplex? periurat & odit,
Imponit linum capiti, spoliátque coronâ
Cæsariem; radítque femur, si bractea fulget.
In Fano dat tura; domi clàm deuouet Orco,
Dira petunt, non casta satis, non digna mereri;
Quæque palàm nollent Plebis constare Tribuno.
Sunt, qui me fatuum credunt, minimúmq; Deorum,
Insanúmque vocant, quoties incanduit æther.
Ignibus abruptis, peccanti indulgeo? credunt
Et surdum, tanquam Laruæ sua vota dicarent,
Sic colimur. qui nunc stat in alta Iuppiter ara;
Vrceus antè fuit, vel fragmen inutile peluis.
Parcitur argento: de vili ducimur ære.
Quòdque diu sonipes versauit in ore metallum,
In nostram effigiem liquefit: primordia testor
Elysiæ Noctis: nisi me Natura rogâsset,
Vt regerem; pridem voluisse abscedere cœlo.
Atqui ego nunc seriem pœnarum & vulneta verso
Infligenda Reis. cogam, Ioue digna, fateri
Inuenisse Iouem magni tormenta doloris.
Sint Argos, Thebæque, ioci nunc seria restant.
Excessit scelus omne modum: cum crimine crescat
Vindictæ mensura meæ, seque impleat ipsam.
Hæc caussa aduentûs vestri, mea Pignora. quanta

Sup-

Supplicia exposcam præterlabentibus annis;
Quot mortes manesque vagos: in imagine solâ
Cernetis Belli, quod Mus & Rána mouebunt.
Parua mora est: iam se accingunt, aptántque lacertos,
Me dante hos animos, furiásque afflante sonoras.
Quidquid eis diri eueniet; deducat in omen
Posteritas, Fatúmque vocet; credátque latere
Tristius, atque oculis deflendum ex marmore cæsis.
Quod rationis inops patitur putredo; sequentis
Vmbra mali tantùm est, & primæ linea mortis.
Queis animus putet: qui versat in vlcere mentem;
Qui pecudum ritu viuit, cùm pulcrius illis
Sortitus lumen, se cælo extendere possit:
Qui caprum in venis, bubonem in pectore nutrit;
Qui fastu tumet, aut rapto lasciuit in auro;
Qui flatu violat stellas, & numina poscit
Detrahere: illum, illum mala nota Gigantibus, illum
Bella prement non visa priùs, verísque labores.
Sancio; ne porrò nostræ penetralia mentis
Nudet, & excutiat quisquam solertius Vrnam;
Sancio; ne absenti Latonæ Tantalus vllus
Quæ statui, quæque hac pugna durante videbit,
Euulget. dignas dabit illa superbia pœnas,
Nunc agite, & curis placidè super astra remissis;
Dum veluti Prætor, Romani gaudia Circi,
Do gladiatorum Ludos; Consúlque cruento
Amphitheatrales illustro Munere nubes;
Pensilis Orchestræ cuneos insidite. Dixit.
Maiores sedere: Deûm succincta minorum
Turba stetit. Fluuiorum humeris & grandibus vrnis
Æolidæ incubuere; iacet pars maxima retrò.

Prælium & conflictus.

I. IAmque remensus iter per vasta silentia noctis
Tyroglyphus, reperit Mausolum forte seuera
Iura suis dantem,& timidum de tristibus actis,
Culpantemque moras. non iussa exspectat, ad arma
Vociferans; date tela viri; Physignathus omnis
Egreditur; scelus, arma parat: non æstimat æquum
Legatos temerat. date tela. erumpite castris.
Erumpunt: quales Apri,quos tristior antro
Clausit hyems: simul insequitur venator,& hastam
Intorquet librans certæ irritamina vocis:
Ocyus vnà omnes frendent. stant horrida setis
Tergora: fulminei stringuntur in obuia dentes.
Pastor ad hæc pallet trepidans,& fronte relictâ
Histricis in morem surgunt horrore capilli.
II. Et iam intra iunci iactum bellator vterque
Stabat,& erectum tentabat figere pilum.
Admóratque tubam diffundere classica iussus
Hypsiboas. fremitum lituis maioribus augent
Conducti Culices (Cilices dixere Sabæi),
Principium tristi pugnæ ferale datum.
Sed suprema Iouis præuenit buccina signum.
Intonat, & nimbis Aquilo submugit hiulcis.
Calliope: námque ipsa Duces cognoscere belli
Diceris, & fatum cuiusque notare lapillo.
Quippe memor: seu quos inimica incendia Troiæ
Hauserunt; seu quos Simois demersit & æquor
Tyrrhenum, Siculúmque fretum,Dolopúmq; cruentæ
Deiecere manus, & Doricus abstulit ensis.
Da Vati memorare tuo, quô lancea primo
Quæque inter Mures Ranásque sit acta per auras.
Quod,genus occiderit: sint & sua nomina famæ.
Primus in aduersum fertur Physignathus hostem,
Armiger ad latus,& calamis impleta resectis
Cocytos: quamquam cursum natura retardat.
Intumuit virtus Sociorum prodiga vitæ

Exemplo, viréſque capit de rege propinquo.
Corripiunt ſpacia,& medio gradiuntur in orbe
Lunatámque aciem reddunt: hac arte laborant
Effuſi circo Cephalos includere furuos.
At Mauſolani protecti corpora ſcutis
Antè dolo aduerſo, latè in contraria vertunt,
Cornuáque extendunt equitum. Dictator amarum
Præfurit, & totas ſecum jubet ire cateruas.
Qualis in arma leo fuluâ cum coniuge vadit,
Si quando ſtimulauit Arabs: negat ille timere,
Sed ruit horrendum aſſultans,catulíque ſequuntur.
Iámque adeò miſcent facies, hærétque viro vir
Conſertus. denſis acubus iunctíſque ſerenum
Aufertur. pudor eſt, obnixæ cedere turbæ.
Vt ſi tabe niuis verno iam ſole ſolutæ,
Montibus hybernis, geminus de vertice torrens
Deſcendat, pugnéntque ſuam confundere brumam;
Mox vbi conuallis mixtos anguſta recepit;
Ire ſimul ſpumant. tamen & violentior vnus
Fluctuat ambiguum, fluuióque immania iuncto
Saxa rotat: mox & totus luctatur in arua.
Sic Glauci Mauríque ruunt; ſonitúmque volutant
Acceptum latè loca: donec inertia paſſim
Corpora voluuntur tellure cauâ depreſſa.
Quot tumidi montes, præruptáque culmina ſurgunt
Carpathio in pelago fundum verrentibus Euris:
Funera tot diſperſa jacent, greſſúmque morantur.
III. Limniſij inſtantis telo cadit alite fixus
Sitologus: felix & non ignobilis olim
Miles in Atracijs campis, aptúſque legendis
Theſſalicæ ſpicis. cadit, heu, germanus eadem
Sitophagus cannâ. nam dum diſcrimina ferro
Diſſipat alterius; meruit procumbere fratris
Ante pedes. multùm ore pares & corpore toto;
Denati natíque ſimul. generoſus vterque,
Caſtoris ingenium, Pollucis & ora ferebat.
Illi traiectæ fauces hærente ſagittâ:
Huic medius pulmo junco ſtridente recluſus.
Nunc

Nunc inhumata iacent durante cadauera bello.
Ah! aliàs sæuas arguti euadere Feles.
Ecce volat sublimis acus contorta per auras
Limnisiúmque rapit. pauet auctor vulneris huius.
Séque ostentat agens tamen, & sua præmia poscit.
Artis opus: rectà vitæ in penetralia misit.
Sterneris hoc telo, pronáque extenderis aluo
Batrache subsiliens; tepidam non ampliùs vndam,
Sed Phlegethonteam posthac bibiture paludem.
Inde furore semel concepto sæuior arsit
Tyroglyphus: (námque ille fuit, quem missile tanto
Funere donârat.) veluti Gangetica Tigris,
Cùm semel armentum cœpit vastare, famémque
Sanguine permulsit; saturari immitis, obesa
Colla ferit maiore gulâ. Grex omnis in vno
Spirans ore tremit, gemit inter funera pastor.
Haut aliter Maurus propulsa per agmina præceps
Emicat; & simul hunc, simul istum diripit ingens.
Hunc recto gladio, tortis hastilibus istum.
Hic cecidit pronus, collabitur iste supinus.
Pileon retrò nuper plaudebat & antè:
Nunc retrò solùm: neque enim miser audeat antè.
Crambophago excutitur viridi coniuncta galero
Cochlea: sed vano (nam se sinuauerat) icta
Lancea transabijt. galeæ non ille cadentis
Sollicitus; solers autem metuénsque pericli
Fugit ad extremos. voluit Polyphonus euntem
Perculsus terrore sequi: qui poplite cæso
Sistitur, & multas vnà cum sanguine voces
Euomit, ac tristi maneis clamore salutat.
IV. Musulmannigenæ lætis successibus instant,
Caligántque bonis fatis, campóque fruuntur.
Integra iam legio patitur; cæsímque resectus,
Vel punctim fixus lacero cadit agmine miles
Batrachus. in pedibus non est spes vlla salutis.
Quis cumulum illius cladis stipatâque plaustris
Funera describat? cædenteis sustinet vna,
Altera pars cædit. quidam & fugientibus vsi,

In caput impingunt clypeos, in pectora testas.
Tam robusta priùs, conferta que Glauca iuuentus,
Perdita paulatim spacio vanescit inani.
Vt cùm semiferi caluere in prælia Thraces,
Indomitum cratera inter furiosáque vina:
Ingens feruebat numerus, pecus omne biforme,
Centauri: mensis vbi pugnauere remotis;
Vix vllus superest. silet euacuata taberna.
Hîc manus, hîc costæ poplitésque, immania membra,
Fedo more jacent. truncis rubet ebria fossa.
Limnocharis tanti quia Tyndaris altera belli,
Pellex Argiuæ non impar femina lenæ:
Territa conflictu (media in certamina traxit
Hanc quoque dirus amor) non sufficientibus armis:
Qua gaudet, repetebat aquam, Quis Fata retardet?
Illam erumpentem & multo conspexit opertam
Puluere Mausolus, quatiens fortè obuius hastam:
Et secum abduxit pedibus post terga reuinctis;
Gaudia seruilis lusûs post bella daturam.
Heu! misera & fedo mortis deuicta timore
Rana Helena, ah nescis veri discrimina Martis.
In galea. quid Fata fugis? fugientia pulsant
Agmina. præstaret ritu pugnâsse Camillæ.
Pulcriùs in media virtus succumbit arena.
Iam vastata phalanx, viduatáque cornibus ibat:
Námque alios alius super exporrectus in armis
Occubat Artophagi sica. qui se omnia in ora
Vertit, & in telum rapit obuia quæque: canistrum,
Et Cererem, non hos concessum munus in vsus.
Assuetus vitijs Lichenor prædo, cadauer
Exspoliat, quodcunque ferit; defossáque gibbo
Ranarum, illecebris inhians, spolia ampla requirit.
V. In modico cliui cilio, quod respicit Austrum,
Hypsiboas stabat, pugnantésque ore ciebat.
Illum Lichenor tractus nidore rapinæ
Olfecit, prædámque recens, mox ordine rupto
Occupat ascensum, tacitóque per edita gressu
Nititur, & stricto terret mucrone; quid inflas

Oſque cauum exerces? vires, ait, exſere, vires.
Tympana tolle tua; aut albenti ventre verutum
Accipe: (& ante ferox criſpauerat ora verutum.)
Ius ſacrum ſalui capitis prætendit, & orat
Hypſiboas veniam, ſancitam gentibus olim.
Cui nociturus enim Tubicen? quem lædat in alto
Colle ſitus, Martíque canens? Maurufius atet;
O nate in Phrygijs Lacubus ſegnſque palude,
Et non Oceano, vel bellatricibus vndis:
Quas voluit Tybris Pater, Ætolúſque Achelous.
Fruſtra iura citas; quando ſub judice ferro
Viuimus: hoc legum vindex, menſura rigoris.
A capulo, non à patulo Victoria rictu
Dependet. vincit miles, qui robore vincit.
Vix hæc effatus reſupino incurrit, & ictu
Deijcit. audiui Ducibus te, Batrache, certos
Delicias nutrire pedes. da hoc munere veſci.
Nobiliore nequis cellâ, tumulóque ſepultus,
Quàm ſit aqualiculus noſter, meliore recondi.
Sic ludit verbis, & crus prædulcis opimi
Amputat, ínque ſuam mittit ientacula peram.
Vix ea: cùm findens immani turbine campos
Aëris haſta volat, valido Lichenora flictu
Corripiens. trahitur diris deuotus & ardet,
Contemtúmque luit. ſubitum per & ilia telum
Exactum eſt læuúmque latus. quis torſerit auctor,
Agnoſci nequijt. quis enim? niſi Iuppiter ipſe
Ad Minoa citans ſontem. nam tempore ab illo
Muſulmannorum res eſt ſublapſa referri
Viſa retrò; obſcuráque manum de nube ſiniſtram
Tollere ſidereus Pater, atque auertere vultum.
Quondam etiam Ranas oculis Deus aſpicit æquis,
Immittítque animos, ſtimulátq; inſurgere in haſtas.
VI. Inclinatam aciem toto Phyſignathus agro
Colligit: ô ſegnes, qui ſic in bella venimus.
Ardor vbi vultúſque truces, promiſſáque vota?
At non & pigri clamoribus inter aqueſas
Naïades veſtróſque lacus: vbi ſigna choreis

Tritones dederint; tum vos ſtatione mouetis:
Tum pedibus quatitíſque ſalum, & vada cærula lapſis
Verritis, atque hilaris laſciuia regnat in alga.
Nunc, cùm pugnandum eſt, armis marcere remiſſis
Degeneres iuuat, & linguis pro viribus vti.
Si quibus & virtus, pudor & dolor, iráque luctu
Miſta ſuper, nec adhuc Neptunus pectore totus
Abſceſſit, ſanctúſque Tridens: noua fata, Deóſque
Ipſi ipſi faciant, meme & mea ſigna ſequantur.
Sic ait, ínque globum pulcrè moriturus & haſtas
Irruit. audentem furor & fortuna gubernant.
Qualiter eliſis contortum nubibus exit
Fulmen, & in terram cum ſtrage, fragore, tumultu
Præcipitante ruit; Mundúmque ex aëre lapſo
Territat igne volans, & ab omni parte timetur.
Tali, ſi qua fides, curſu Rex fertur in hoſtem.
Cætera plebs imitata. pudet ſine cæde reuerti.
Dat cuneus latè ſulcum diuiſus; & aſtu
Cornibus excluſis Phyſignathus omnia tentat;
Sæpe aliquid, quod nec ſuaſiſſet nobilis ira
Æacidæ. Mauros ille implacabilis, ille
Concitus Æthiopes vel ponè vel antè repertos
Perforat. Artophagus canná in pulmone receptâ
Voluitur, eiectâque animam, atq; in terga recumbit.
Eripit hoſtilem parmam, & defenſus vtraque
Pelobates, multorum humeris inopinus inhæret,
Applodítque ſolo, & ſeptena cadauera ſæpe
Vno continuat iunco, ferit inguina fortis
Tyroglyphi, galeámque rotat, vexilláque fracta
Diſcutit: & fixo comitem mucrone ſub vmbras
Mittit Pternophagum: aduerſo cui corpore plaga
Sedit, & ad coſtas cordíſque repagula venit.
Libratâ auerſum betâ caput Embaſichytri
Detruncat, corpúſque cadens proculcat eundo.
Hæc addens: iam nigra tibi dent Tartara cœnam
Cerbeream. neque enim poſthac guſtare licebit
Furtiuas epulas: ſed quam Proſerpina furno
Admouet, incenſam coquus ingredieris in ollam.

VII. Strauerat & plureis, nisi fortior Artepibulus
Tardasset cursum. ferus ille, atróque colore
Obsitus amentat, jaculúmque immane recedens
Expulit. it pars rapta veru, jugulúmque cruentat.
Concidit exanimis subitò : pus effluit atrum.
Non vtique hoc dignus leto. sed stare secundis
Quis potuit rebus, votóque beatior esse,
Quàm voluere Deæ ? maneis vlturus amicos
Insidiatorem Cereris Calaminthius vrget.

Huc sacræ Aonides, Vatis fulcite laborem.
Seu Turnus Diuûm inuidiâ defunctus in atrum
Memnona se vertit, maioráque membra subegit
Forma minore modo, minimósq; redegit ad vngues;
Seu ferus Hippomedon Crænæum flumine mersum
Mus factus post fata luit : nouus ecce duello
Exprimit Heroas veteres, animamque trilibrem
Artepibulus habet. stans obtruncatur, & ipsis
Viuit in exequijs. vmbræ cane Musa triumphum.
Contendit Glaucus vires : sonuere reducta
Vimina, & ingenti torserunt nubila iactu.
Musculus obliquo sinuamine corporis arcum
Eludit : tremuere quater cum cuspide nerui
Vibrantes ; quater exhausit solertia cannam.
Horrendum visu ! disrupto in fine tenore
Concita, & ad Ranam retrò dubitanda cauentem
Fata, per has venit, quas persulcauerat auras ;
Et pænè assiliens. An lusus ? an error ? an omen !
Eminus hæc : at non pariter, Calaminthius inquit,
Cominus euades pugnanti, ô perfide : nec te
Eripiet nobis cum tota Colchide coctum
Hippomanes, si quod linxti. pudor, arte profanâ
Militis in bello, & damnatis ritibus vti.
Si tibi mens non læua foret, justúmque probares
Et veniens à morte decus ; tua pectore nudo
Non in Thessalicâ virtus radice lateret.
Maure niger, DI te perdant ; & stridula circum
Occisi volitet funus Psicharpagos vmbra.
Congredere, vt glaciem quamcunque Artmisia sibi

Inſperſit Medea tuis, hoc enſe reſoluam.
Sic fatus, quem Troxartes aptauerat enſem
Falcatum ex beta, ter in orbem,& in aëra ductum
Vaginâ nudat, miſcétque immitia verba.
Terreri indocilis ſtat maſculus Artepibulus,
Obliquátque latus; cedítque, inſtátque, premítque
Cautus, & obſequio membrorum temperat ictus.
Hos cauet, hos pellit ſolers,& obumbrat & exit
Pronior, atque humilis tangi, mediúſque timoris.
Tu reptare putes. ſimulat tamen, oráque retrò
Abducens, magno niſu veſtigia figit.
Ex improuiſo tollit ſe in vulnera rectum,
Et fit eques. totóque alium ſtat corpore ſupra.
Alter ad hæc anceps; magicíſne rigeſceret herbis
Muſculus eſuriens in trulla fortè repertis:
Et timet & terret: terrendo aſſurgit in altum
(Quamquam ægrè) ſpernítque timens,& acinace lato
Sauciat,inflexámque ſecat radicitus aurem.
Dextra cadit: nihil ille notat metuítque ſiniſtri;
Nec cecidiſſe videt; (tamen vdi labe cruoris
Barba madet) perſtátque gradu. velut hiſpidus vrſus
Qui quadrupes lambit catulos; ſurgénſque tuetur,
Defendítque bipes. Natis à Muribus olim
Contigit exemplum tam rari militis vnum.
Batrachus indignans Fatis proprióque dolori,
Eductum gladium raptim caua tempora circum
Turbinat, & partem caulis iacit. ille remittens
Tela, micat roſtro, ínque pedes ſubducitur imos;
Et reſilit, ludénſque alios interſerit ictus.
Nec timet vrgeri. Capit ingens vulnus in armo;
Stat tamen.. inciſus pede poſteriore vacillat:
Stat tamen, & necdum cedit,conuitia Ranæ
Ingeminans. tandem caput à ceruice reuulſum eſt;
Stabat adhuc;donec truncum pede propulit hoſtis.
Sic quoque cùm cecidit,voluit nocuiſſe videri.
Fluxit in arma cruor,motu quo riuus in altum
Emicat, & ſpargit roranteis fontibus auras,
Quos retinere nequit collapſo fiſtula plumbo,

VIII. Parte aliâ Regina furens Artmisia fertur
Mausolumque iuuat, sæuítque, & Amazonis implet
Implacata vices. quacunque impugnat, hiatu
Dissilit externata acies; multáque dolendus
Cæde Paludanus Rex ardua funera plangit.
Hypsiboas claudus media tellure jacebat;
Quem tamen occurrens peltata Artmisia spernit,
Indignúmque ira reputans mactare superbit.
Non humileis vulgi maneis, & cædere molleis
Corporibus: sed enim Ranas in casside clausas
Expetit, aduersísque impingit pectus & hastam.
Prassiphagus cum Patre cadit; cum fratre sonorus
Craugasides: equites omnes. sed nullus eorum
A se ipso defensus equo est. confossa vomebat
Viscera Prassiphagus: telum pater ore momordit,
Craugasides reliquos animans ad prælia ciues,
Cantu imperfecto, mucronem faucibus hausit.
Et fuit hic cantus casu lachrymabile carmen:
Quale strepat coruus moriens, vel noctua dira.
IX. Iam neq; Troxartes, qui circum castra fremebat
Hactenus, ignauus pugnat; quamquam obsitus annis
Magnorúmque altor furum, gaudere senectâ
Posset, & emeritum guttur seruare rudenti,
Aut Feli. nimiùm memoris dolor iráque mistas
Exstimulant luctu vires, addúntque nocendi
Robur, & vlcisci carum Psicharpaga suadent.
Te petit & clamat, te vnum Physignathe poscit;
Te cupit occiso lachrymas pensare profusas,
Inferiásque sui Gnati deferre sepulcro.
Tigris vt effeta, atque olim satiata rapinis
Sola sedet, senio vires tardante; nec iras
Vnguibus educit, qualeis priùs. ast vbi clamor
In siluas ruit, & sæui reminiscitur hostis:
Pigros sese annos supplet, juuenésque furore
Transilit, & plus quam tigridi licet, audet in armis.
Dire senex, superísque inuise! quid vltima perdis,
Munera, quæ extremum Cerealia rodere posses!
Frustra in bella tuis vindex, & fata laboras

Corrigere: hæc tantùm fiunt meliora ferendo.
Dum furis & ftrides: vix horrida verba profari
Defieras: iam te calamo feptemplice fufum
Explicat in tergum, confurgens Borborocœtes;
Et jubet, vt natum Genitor miferande fequaris:
Ac referas, quanti Ranarum prælia conftent.
Mœfta necis facies. non vno vulnere ruptum
Corpus procubuit, miferando more: iacentis
Semineces micuere pedes: tamen ora palude
Auertit, quâ fubmerfum Pfichærpaga nouit.
Hoftis contemtum funus proiecit in vndas:
Hanc bibe, dixit, aquam, quam filius. ille grauatus
Armis defcendit. auris fuit vltima vifa.
Pergit ouans, additque alias pereuntibus vmbras;
Pternoglyphum, quanquam obfeffum durumq; fecari
Difclufo thorace ferit. prætenta caducis
Miffilibus laterna crepat. nux plurima iactu
Decidit è galea, vertéxque inglorius armis
Obftantum, mortfque patet. tamen omnia cautus
Spicula (non femper cautus, dilatáque mors eft)
Vitauit, focium inuoluens. fucciditur enfe
Lichopinax, nam nulla fuga eft. abdomine tardus
Delicijs farto, nequit euafiffe fequenteis.
Dentibus excuffis crepuerunt vulnere malæ.
Lychomylen (crudele!) rapit Pelufius vnco.
Mœfta precabatur: fed quid fufpiria rupi?
Quem lachrymæ tales vnquam mouere tyrannum?
X. Afpirat fortuna, fupráque pericula fertur
Qui magis eft audax. ventum ad tentoria regis
Memnonij. via vi tandem penetratur, ad imi
Carceris informeis cippos; vbi lurida turpi
Limnochatis fquallore jacet, validáque catenâ
Stringitur. hanc faluam decufsâ compede tollit
Herbofum in clypeum felix Seutlæus amore:
Et reliquis multùm mandat fua gaudia nymphis.
Illa Lacum repetens, fatífque exercita belli,
Otia damnato Mauorte paluftria præfert.
Arua rubent, & vix denfatis fufficit agger
Funeri-

Funeribus. passim cædes, vlulatus, & hastæ,
Et junci medijs rorantes ossibus extant.
Sæuus vbi, Rex increpitat Physignathus ingens,
Sæuus vbi Mausolus, & atro Artmisia vultu
Penthesilea furens? vbi vani gloria fastus?
Dictáque prodigijs nostras æquantia Phocas?
Illepedi fungi, nec curis apta seueris
Pectora. tunc celeres estis, cum mucida signum
Mappa dedit, patulásq; afflat grauis amphora nares,
Telorúmque vicem contorta tomacula supplent.
Infremuit Mausolus ad has cum Coniuge voces.
Illam adeò secum certa in discrimina ducit,
Certus & ipse necis; coniectâ sustulit hastâ
Praffixum; lateri Regis qui proximus hæsit
Armiger. heu, frustra toties laudatus in arcu
Et disco, glaucísque choro certante puellis.
Discissus medium. pars terræ affixa quieuit:
Pars permissa Noto; pars stagno iniecta natauit.
Regis ad exemplum fortis, sed dispare casu
Troglodytes (noctu solitus turbare cauernas,
Tunc acer miles, nec cuspide certior vllus)
Sudauit madidum prosternere Pileona.
Vim cohibet frater Pelusius; & bene magnum
Sustúlit è ripa saxum, limóque grauatum
Immanem torsit nixus post terga ruinam.
Labitur in terram, ceu toto oppressus Atlante
Mus trepidans, rigidósque pedes exporrigit arua.
Quid juuat audacem bello vincente fuisse
Troglodyten? quando tandem solertia forti
Defuit. incautus dum tela minatur & vrget,
Sorex indicio se prodidit atque peremit.
Vis sine consilio non est diuturna, suáque
Mole ruit. toties Ithaco Telamonius Aiax
Cesserit, & clypei rigidos septemplicis orbes
Substernat gladio, si quem librauerit astus.
Vera adeò paucos in bello Gloria ducit,
Aut sequitur. Sapiens iram moderatur, & intrà
Mentis castra tenet, frustra sua brachia iactat

Centimanus Briareus, cæco si nullus opacâ
Sol à fronte micet, totidem qui dirigat enses.
XI. Mausolus super vnus erat de pluribus: illum
Et sua Fata premunt, letíque animosa cupido
Admonet; vt celebri funus memorabile famâ
Includat. rapidas igitur mouet vndique turmas,
Quas desperatus coniungit, & vltimus horror
Mittit in auxilium. quot millia dissecat ore?
Quot Ranas vmbone necat? quot casside sternit
Incurteas! Scutlæum vno transuerberat ictu,
Et super incumbens fatur: mihi præstrue fossam,
Atque Vmbris memora, nostros mox affore maneis.
Lucraris mediam mortem, sensúmque doloris.
Ecce cadis dextrâ minimè, Scutlæe, pudendâ.
Rex ferit, & cæsum tristi caput immolat Orco;
Auulsítque caput. cadit ille extrema secutus,
Et moriens frustra patrias se vertit ad vndas.
Nil prodest, occise, tibi soluisse ligatam
Limnocharin: tamen illa tuos deflebit amores.
Te liquidæ viridi lachrymantur in amne Napææ;
Te Dea Leucothoe vitreis deplorat ocellis;
Tê bullâ lucente palus Mœotica plangit.
Nec tibi profuerat titulus regalis aquarum
Hydromedusa: nisi obliquatam concitus hastam
Fregisset, conuiua tuæ Pelusius aulæ.
Ipse quoque Hypsiboas per tot discrimina rerum
Saluus adhuc, à rege perit: qui cæcus in ira
Feruet, & extremum per strages quærit honorem,
Exspectátque suos obitus. Mirabile! tellus
Panditur. angustum Muris paruúmque foramen
Fit barathrum, mundíque aperit latebrosa nocentis;
Et pæne ad Stygios patuit noua semita maneis.
Qualiter immensas post strages ruptáque claustra,
Cum spelunca ingens tremuit succussa fragore,
Amphiarae, tuos currus niger hausit Auernus:
Et non præuisus Parcarum fila notâsti.
Sicut erat, clypeo gladióque instructus & ocreis
Mausolus, cedente subit tellure profundum
Absorptus,

Absorptus, cælíque sui descendit in antrum.
Longa acus infernas pupugit vicinior vmbras.
Gleba coit. frustra quærat vestigia casûs
Miles, & attonitus timeat monstrata viator.
Et nunc ille locus magno terroris honore
Vitatur. propiúsque cauent accedere Mures.
Fama est, huic ipsas tumulo decedere Feles.

XII. Glaucorum in castris lætas Victoria pennas
Explicat, & festo clamore incenditur aër.
Ranæ omnes mirante metu lætóque pauore
Insessæ, tantis vix audent credere Fatis.
Qualis vbi occubuit stabulorum terror & hostis
Sæpe lupus populatus oues, ouiúmque Magistros;
Gaudet ager, gaudent siluæ; memoresque coloni
Damnorum, super arboribus se fronde coronant,
Et debellati furis de clade queruntur.
Ipsi agni exsultant, & tondent lætiùs herbam
Securæ. pacem viridis modulatur arundo.
Tali more fremunt Ranæ, Diuósque quieti
Æquoris extollunt cælo; Phorcíque repexam
Caniciem, Phœbíque sui Genitoris & arcum
Et pharetram. veluti toto iam Marte peracto
Inclamant Pæana. mouens Lacus omnis ab imo
Ebullit fundo. per stagna virentia duci
Credas cæruleis in curribus Amphitriten.

LIBER V.

Belli & spectaculi Finis.

I O! nihil in vanis vnquam durabile rebus.
Sæpe suos versâ tumulat Victoria sorte
Victores. quædam Diuûm sunt munera, nunquam
Nota satis. noceant: nisi cum virtute fruaris.
Semper tuta time. nam quæ pacata videntur,
Interitum damnosa tegunt. discrimina tectâ
Plus odij, plus mortis habent. fallacia pulcrâ
Gaudia fronte latent. nunquam non inclyta virtus
Excubat, & celsâ tacitas speculatur ab arce
Peruigil insidias. hic est me iudice felix:
Qui licet exorsus defigere castra secundis
Alitibus, domitósque manu prostauerit hostes:
Prima quidem carpit, metuit tamen vltima finis.
Relliquias belli haut tutò contemserit vllus.
Nam luet: vt Ranæ, solitò properantiùs algam
Intempestiuis quæ vestiuere triumphis.
II. Concurrunt Mures damnatæ munera lucis
Magnanimi abijcere, atque mori cum Rege parati.
Ad quos sic fata est Artmisia Centaurea.
Audenteis video, macti, quos Coniugis hausti
Fata vocant: alacres aciem instaurate supremam.
Alternat Bellona vices, miserósque reuersa
Subleuat, & stimulis fibras maioribus implet.
Iam nunc edico - quisquis timet esse sepultus
Mausolo cum Rege suo, mortémque veretur:
Hinc abeat, mutétque manus & cingula ponat.
Qui pauet, ipse sui lictor, tormentáque clausa
Gestat, & à sese iusto configitur hoste.
Fortibus indigeo, quos ipsa pericula durant,
Ferratósque chalybs acuit. per Memnona iuro,
Cuius in ore sacrum gerimus nigrante colorem:
Sim licet è molli sexu, me occumbere malle,
Quàm fugere, aut partam vitio corrumpere famam.

Argia, Euadne, quæque est mihi numine maior
Hyppolyte (námque has bello viguisse puellas,
Dum vescebar adhuc hominum communibus auris,
Cognoui) residens animo memorabile nobis
Suggerit exemplum. pudeat non esse secutos
Facta viros, quæ feminei statuere lacerti.
Præmoneo: procul hinc migret, qui palpitat ante
Tympana, Ranarum choreis, non muribus aptus.
Tantáne dulcedo lardi, vitæque cupido
Nos retrahet? quid enim aspicior? coniungite sensus,
Sítque palàm votum, calido quod pectore fertis,
Bello an pace mori, labor anne ignaua voluptas,
Quid iuuat hos animos? fingamus in agmine vinci;
Gloria nos tumulat, cinerísque imponitur olla.
Pessima fata domi. segnes, à Fele perimus.
Nos catus; an catulus furiarum semine natus,
Vinculáque & tribuli, crepitánsque ciconia, ostro
Exspectant, digitóque Domus non altior vno.
Quantò Mausolus nostro felicior Orbe
Excessit. famæ ipsius longissima cauda
Nunquam abscindetur ferro: non dentibus æui
Rodetur, nullam mortis passura securim.
Suscitet accinctos animos Mauortius heros
Tyroglyphus: seruata Ducis vexilla videte.
Suscitet Artophagus; quíque inter stantia solùm
Funera censendus, nec vespillone profundo
Artepibulus eget, laudanda vel hostibus vmbra.
O pepones! si non istos imitamur, & enses
Inferimus tumulis, nullo terrore domandi.
An non sarcasmis aliàs vexamur amaris?
Speluncásque cauas latebrásque habitare silenteis
Dicimur, & solem nobis odisse propinquum?
Dedecus hoc abolere potest & vertere fundo
Ista dies. nondum toti, modò fortia agamus,
Excidimus; sequitúrque cruor de vulnere nostro.
Egregius nobis etiamnum Cnissodioctes
Restat, & horrendi Meridarpax nominis vltor,
Trans mare, trans Gades Ranas versurus abactas.

rruite, & noſtris iam tandem credite Fatis.

III. Irruit atra cohors, quò ſæua Artmiſia ducit.
Et primò inuentum (tanti ſtetit otia tutò
Degere) dilaniant ac ſpargunt Borborocœten
Vndique perfoſſum. vix vllus funera plura
Ediderat, Muréſque illis agitârat in agris.
Mitior Hydrocharis, ſed non & mitiùs hoſtem
Senſit. acus iugulum penetrat diſtricta, breuíque
Vicinum collo nimiùm caput. inſcia cædis
In placidis errabat aquis. proptérque ſalicta
Ludebat: cùm Maurus adeſt, timidámque trucidat.
Tunc quoque parua licet ſubitò de gramine tela
Carperet, obſeſſum corpus tuitura, tuendi
Naturâ dictante modum: tamen errat in ictu
Imbellis toties, & nunquam ſtrenua: quámque
Vibratura fuit, ſuccumbens porrigit herbam,
Os amp vTa ſolo, atque oculos traiecta trementeis
Subſedit: velut irriguo quæ regnat in horto,
Poſtquam meſſorum falces vrtica recepit;
Secta ruit, nullis manibus puerísue timenda.
Centum alij obliquis, rectis, crudelibus, altis
Vulneribus laceri, ſub portu gurgitis vdo
Bellaces efflant animas. Pelúſius vnco,
Quo prius induerat Mures, raptatus eodem
(Ludibrium fortuna parat) de nominis vſu
Iam verè mordebat humum. Calaminthius enſe
Transfixus; qua parte micant vitalia colli,
Oppetijt, calamum iam iam ſparſurus acutum.
Non inter cannas, ſicut ſperabat, & vluam
Compoſtus: ſed enim mediâ tellure relictus,
Viſceráque effuſus. Super hunc Dominator aquaï
Cùm peteret iunco Reginam, in Amazone ſiſtens,
Cniſſodioctæa cecidit Phyſignathus haſtâ.
Terra dedit ſonitum, motæ tremuere paludes.
Audijt & ſi quis vicinâ Mergus in vndâ
Tunc fortè hauſir aquam concuſſus membra fragore.
Seminecem dictis agitant. ſæuiſſime iactas
Neptunum regnare tuum: nunc denique ſentis
Nec

Nec noſtrum dormire Iouem, qui crimina plectat.
Hocce Pſicharpax cum vulnere mittit ad Orcum.
I nunc, & tumidas inflà Phyſignathe buccas.
Tundit humum pedibus moriens,atq; ore receptum
Verſat acumen acus. nihil hi juuere labores.
Ipſa etiam ferro cedens lorica fefellit:
Quam tamen ex betis flexam maioribus olli
Seutlæus geſtare dedit: qui læuibus hamis
Conſeruit ſciſsâ denſa internodia crenâ.
IV. Quæ rabies! credas rapuiſſe ſororibus atris
Stamina Ranarum,& pedibus calcare nefandis.
Creſcit in immenſum furor,atque inuenta ſub Hebro
Triſtia molitur, totámque exſcindere gentem.
Hoſtem vnum in cumulum denſato milite cogunt,
Inque globum juncti ſocio conamine Mures
Tormentum murale rotant: quo bellica motu
Vrgeri catapulta ſolet. detorta reſultant
Allia, ceparúmque pilæ. lita ſulphure tela,
Excuſſa ancillæ manibus, dum cuderet ignem
E ſilice. hic demum excidium fatale tuliſſet
Cæruleo Populo telorum ferreus imber:
Ni Superis aliter viſum. congeſta videbat
Funera (monſtrat enim Pietas) campóſque refertos
Stragibus innumeris, ſub Olympi valle propinquâ
Communis Natura parens: quæ pectore magno
Omneis,quos genuit, Natorum incluſit amores.
Et dulceis animarum ortus, conceſſa Deorum
Munera, complexu fouet & ſeruare laborat.
Ergo furens luctu, lachrymis prægrandibus ora
Sciſſa rigat, rapidíſque Iouem pulſare querelis
Inſtituit. ſtabat canos laniata ſeucros,
Nudatos exſerta ſinus, inaratáque vultum
Planctibus & pugnis, ſacróque horrore verenda.
Inualidæ ſummo nutant in vertice turres.
Vocem vbi ſingultus conciſáque verba reſoluit:
Taliter atratâ cum maieſtate profatur.
V. Magne Pater: quæ ſigna noto præſaga malorum?
Quas clades? iterúmne paras viuentia terræ
Secula,

Sæcula, ſubtili compacta Prometheos igne,
Ad deforme chaos primámque reducere maſſam?
Sed non hæc olim nobis promiſſa dediſti
Imberbis, nondúmque pater dignare per æuum
Annaléſque tuos, & priſcæ tempora Falcis
(Quamquam non opus eſt memori) tranſacta redire.
Inſpice,quas Lacheſis tabulas, te Fata mouente,
Scripſit: Amaltheæ pellis quid Diphtera Capræ
Contineat. ſacris olim mea iura ſub Aris
Inconcuſſa Themis ſemper ſtatura canebat.
Et ſteterant aliquot luſtris, quum crimina totum
Polluerent Mundum; nec iam tibi fulmina laſſo
Sufficeret iaculanda Cyclops,laſſatus & ipſe:
Fratrem immiſiſti populis; qui pronus aperto
Æquore, & effuſis ſuper oſtia fluctibus, altis
Montibus incubuit, ſcopulíſque extantior iuit.
Quid non paſſa fui? gremio quot corpora noſtro
Eripuit ſtygiæ Sulcator pallidus vndæ?
Illa tamen largo penſaſti fœnore damna.
Pænè fuit tanti,partem periſſe meorum.
Nam ſublime animans, quod tollit ad æthera vultus,
Deucalioneæ reparârunt ſemina dextræ.
Frigida fecundo tumuerunt ſaxa calore,
In formam mutata nouam. non pronuba Iuno
Exſoluit partus: ſed prægnans marmore funda
Euoluit pueros de coſtâ rupis acutæ
Deciſos. ſimulatque ſilex proiectus in auras;
Mox verus recidebat homo, cauítque ruinam.
Surrexere viri, conſurrexere puellæ:
Et paruæ Pyrrhæ, naſcendi ſorte peractâ,
Viderunt timidè maioris brachia Pyrrhæ.
Tunc etiam ventrem fecundum ſilua,marito
Flante Aquilone tulit; viridis cunabula fagus
Præbuit: è querno protruſi robore fetus
Aſpexere diem. vidi, & ſpirantia vento
Membra tuli. rupto nemoroſæ cortice matris,
Grande puerperium teſtatus puſio fluxit.
Innumeras frondoſa manus, diſtincta capillos,
Floruit

Floruit in summis felix Infantia ramis.
Tunc ego gaudebam, & magnis cingebar alumnis.
Tunc mea diuino turgebat rore papilla,
Luctanti distenta sinu. nam spes erat omneis
Sic reparare feras (ne dicam perdere) blandum
Velle Iouem. quid iam video? quibus Orbis in oris
Versor, vt aspiciam primis contraria fatis?
Támne altè insedit cordi? cogárne tueri
Stirpe tenus cæsâs ipso cum nomine Ranas?
Quod scelus hanc pœnā meruit? quæ caussa benignū
Euertit genium? quò spes tam fida recessit?
Ne mihi, ne vilem jacturam durior ore
Spernendámue voces. hoc Mauors Sarmata dicat;
Et qui Naturæ non experiuntur amores.
Tu, sate Saturno, calles, quo condita visco
Quæque traham: qui me affectus rapiántq; ferántq;
Nil equidem paruum reputo. stant omnia iusto
Pondere, & æquali complector singula curâ.
Tam mihi Rana leo, quam musca elephantus. ab imo
Ordior, & nullo discrimine misceo summa.
Musicus est ordo Mundi; mutúsque carebit
Concentu veteri, numerum si demseris vnum.
Vt sileam concepta semel voluentibus Austris
Per reliquas latè siluas incendia ferri.
Prima Palus, non Oceanus, siccabitur æstu,
Indigenis viduata suis. sors altera Pontum
Hauriet, ínque freto nantem Delphina necabit;
Inde boues grassata trahet, vastabit & vrsos;
Et ruet in Libyca stabulantem valle leonem.
Quid statuisse rear tam sæuo vindice dignum
Limnisios? miseror: iuncis squallentia regna,
Quásque alius Piscis fastu contemneret vndas,
Hydrocharis contenta colit; libratáque saltu
Te laudat sub aquis, sub aquas vbi fortè resedit.
Vtile deinde genus pretioso funere pascit
Mortaleis, mensísque argento infertur & auro.
Et quia cælesti gaudet Genitore Planetâ,
Præsentit sudum, & clari commercia solis.

Certiùs in Cyrrha nemo præsagia nouit.
Audio. vindictam mersi Psicharpagos Vmbra
Exposcit. satis exstincti commissa luerunt.
Strage lacus calidi fumant. cumulatur aceruo
Batrachus & campos operit. iam corpora desunt,
Quæ gladij cædant hebetes: & liuidus aër
Inficitur tabo. Nemesin mirare pudendam.
Si delirauit vitio Physignathus vnus,
Cur non & pœnam subijt Physignathus vnus?
Hic damnandus erat. merito sua fata querantur
Pendere supplicium populi pro rege coacti.
Scilicet expulso violârunt Pallada somno!
O durum facinus septena Cyclade dignum,
Fortasse & picea tæda, totóque Perillo.
Si qua tamen mansit, Latonæ deprecor iram,
Et fateor patrasse nefas, quo viua negârunt
Pocula. tolle omnem veniam: quæ bellua tandem
A pœnis immunis erit. numquámne caballus
Principis Othrysij, fessúsue laboribus Æthon
Cespitat? idcirco flauenti bile refusi
Cælicolæ insistant confringere crura reorum?
Quam lentè indignans vrget sarraca Bootes;
Sed saluis bubus. quoties Berecynthia mater
Ferrea conqueritur frena excussisse iugales?
Nec tamen exarmat. tuus, ô iustissime rerum
Arbiter, haut rarò quædam commiserit Ales
Flammiger, euulsis alis plectenda, vel igni,
Quem gerit. officio nam cùm poscente ministrat
Spicula, te rostro nonnunquam corripit vnco.
Non ideò genibus detractum in Tartara mittis;
Sed placet, & superis excusas nobile vulnus,
Vel leuiter parcente manu contingis ouantem.
Quid, precor, armauit solas penè improba totum
In Ranas Astræa Iouem? natiua rogamus
Quæ nituit quondam, rigidum clementia vultum
Explicet. immeritæ si non stat parcere Genti;
Saltem parce tibi. crescit successibus audax
Ambitio, scelerúmque parit portenta nouorum.

Finge (quod horresco referens) prostrata jacere
Agmina Glaucorum, & nullum superare nocentem;
Se Mausolani credent strauisse, suísque
Viribus asscribent. tumidi præcordia bello,
Terribiles animos cristásque & cornua sument;
Iactabúntque decus, coniuratásque mouebunt
In Superos acies, peioráque signa Ephialte.
Ecquid ages? strictum temnisnt Orionis ensem.
Anguiferos clypeos glaciantémque Ægida rident.
Cælum Fele caret. timeo ludibria Diuûm.
Quid non audebunt vobis præsentibus ausi
Talia? nonne vides, vt me vix ista gemente
Tristibus alloquijs, Meridarpax ventilet hastam?
Insurgit: neque desistet, dum fortior omneis
Expulerit vitâ Ranas. Succurre precanti,
En manibus lachrymísque precor: succurre ruenti
Naturæ, qui cuncta regis. Sic questa sub ipso
Conticuit luctu. Matrem solantur anhelam
Alma Ceres atque alma Venus, laudántque dolorem.
VI. Instabat ludi finis. Saturnius alto
Corde graues simulans curas, immotáque primo
Fata loco; duros vultus nec amabile numen
Fingebat. cùm nube caua se desuper alta
Demisit Iuno, pendénsque ingressa theatrum
Affudit Fratri genua, & sic orsa marito est.
Non nos, quod superis Munus spectantibus edis,
Respuimus tibi nupta Soror. (neq; enim ista potestas)
Quámque vicem misi, Dominam Thaumantias Iris
Excusare suam potuit. nam nos quoque Mures
Odimus. hæc caussa est tardæ Iunonis. ab ira
Nulla venit tum deinde timor (nam femina Coniux,
Et quamuis tua sim, tamen huic obnoxia curæ
Femina sum, facilísque aliquos admitto pauores)
Inuasit me deinde timor; ne forsan & ipsa
In ludo fierem ludus. Regina Dearum
Non semel incurri probrum, te Fata citante
Semper, & Vxorem salibus placante facetis.
Absentis ridetur Anis, (quod rettulit Hebe)

Laudantúrque pedes; contra ſplendere negantur
Sidera pennarum. collum non eſſe decorum;
Quo tamen ingenuum nullíque imitabile cygno
Fundatur carmen, toto mirante Cayſtro:
Quando nec ipſa gemat Philomela ſuauiùs, alas
Vberibus creuiſſe videns.. num flebile Pomum
Excidit, & Phrygius, qui me contemſit, Adulter
Poſthabitam Veneri? ſic & Lauinia virgo
Æneæ ſeruata fuit, quæ debita Turno;
Turno nempe Meo. nunquam non regia Iuno,
Prô dolor, in ſcenam ſub tali Coniuge venit.
Hanc quoque nunc poterat toties experta vereri;
Quippe memor: quòd cum tuus ille puer Ganymedes
Immortale merum nuper tibi porgere iuſſus,
Tantum infudiſſet, quantum non antè bibebas,
Dixeris ad menſam; lepidum te cogere bellum;
Quo nihil audierit, nec viderit improbius Sol.
Scilicet in Mures & Ranas armiger ibas
Quid ſi me, vt patrio proiectam vertice Natam,
His præfeciſſes! quo, dic, Cytherea Meúſque
Alcides, (Meus ille Meus) quo Bacchus, & alta
Spreuiſſet faſtu noſtrum Tritonia numen!
Vidimus iſta tamen de fuluâ prælia nube.
Vidimus, & ſi vera fides datur integra nobis.
Pronâ Naturæ queſtus audiuimus aure.
Iuſta gemens poſcit. flecti patiare rogamus.
Dixit, & amouit nimbos à fronte ſerena.
Continuò riſere faces lucentis ab ore,
Vernauítque rubor roſeus. quantúmque Diana
Pulcra Deas vincit; vincit tantùm ipſa Dianam.
VII. Surge Soror, latеríq; meo coniungere, Frater
Incipit. ah non es nobis dubitanda, nec vnquam
Diſplicuiſſe potes. Charites ſunt iurgia noſtra,
Sunt & amor. quìd vota facis? deſiſte precari.
Velle tuum, ſi vel ſolis in nutibus offers,
Iam ſperata tenes. cupimus te vincere noſtris
O! Iuno, obſequijs. vinci patiare rogamus.
Quæ pia Naturæ pro libertate rogaſti,

Pondus

Pondus habent. equidem fusas iam fisto querelas.
Et Ranæ viuent, & Musulmannicus hostis
Cedet agro. Sic effatus circumspicit Orbem,
Et toruo vultu dudum sua nubila cogit.
Dein Marti: rapidis immisse iugalibus, inquit,
Quantis ad Rhodopen te fers, I, comprime Mures.
Thrax sacer: insanam men' hanc compescere turbam
Sperasti Genitor? non si comitetur euntem
Caucasus, & vallis Nemees, succinctáque monstris
Africa, & inferni Patrui submissa quadriga;
Componam: tua sola potest, tua dextera tantum
Sola potest frenare nefas. molire tumultus
Ætherios, tostásque hyemes incudibus Ætnæ
Proijce per nubes: & adhuc pendebimus omnes,
Ne cadat invanum teli iactura trisulci.
Quod mirere, doli gnarus ludíque Gradiuus
Talia cùm dixit, potuit compescere risum.
Tu quoque si scisses Alcmenæ credite Fili
Arcanos, hæc bella, jocos: non tanta pudoris,
A patre delusus, cum damno probra tulisses.
VIII Cœperat accitum frigúsq; calórque coire,
Et circùm mugire lacus, tellúsque mouere.
Nil trepidant Mures, & fausta tonitrua credunt.
Apparent summis ardentes montibus hastæ,
Fasciáque atra polo mortes suspensa minatur.
Maurus, vt antè, salit. cum tempestate sonorâ
Excidit incensum fulmen, stringénsque sinistrum
Tempus, in ambustam cecidit Meridarpagos aurem.
Discutit ille nigrum caput experrectus, & æthram
Subsiliens spectat, libátque impunè fauillas.
Augentur flammarum vndæ, latéque coruscum
Sanguine pingit iter barbati sideris horror.
Visæ etiam fatuæ per tetrica nubila Feles,
Vt dedit è terra tracti vertigo vaporis.
Ecce repens telum rutilantibus euolat alis,
Disiecítque nucem galeæ, cristásque comanteis.
Musculus alta tuens se tantùm accusat inertem,
Excusátque Iouem. quoties vaga fulgura lucent,

His, ait, in Ranas, his, quisquis es, vtere flammis;
His meruere peti. Nimbo iam tertia cuspis
Torta, per abruptas lustrato calle procellas,
Inuoluit calido totum Meridarpaga fumo.
Exsultat nebulo variâ caligine septus,
Iratóque Deo fruitur, barbámque remulcet
Omnia missurus famosum in secula nomen.
Obstupuere omnes; fremuítque animosus Apollo.
IX. Ipse autem Alcides Patris miseratus honorem,
Quod genus hoc, qui talis, ait, contemtor & hostis
Musculus? an nostros iterum Regina labores
Prouocat, & geminis peioreis obijcit angues?
Aspicite, vt venas furijs agitatus & œstro
Sæuiat: excedit vires, quibus improbus ornos
Arcadias euertit aper, lugente colono:
Et quas Creta Bouis flammas exusta cruenti
Sensit: hic, hic, video, sudor manet vltimus Oetæ
Impositum, & primos vincet maiore triumpho.
Eurystheûs sileat: quid enim mandata capessam?
Me natura monet fesso succurrere Patri.
Sic fatus clauam ingentem, cui dextera lassa
Incubuit, toto libratam sanguine nixus
Sustulit in Mures, & tela immania ferro
Direxit; ceu terribileis Stymphalidas arcu
Fixurus. Cessa, mea magna potentia, cessa
Nate: quid in vetitum ruis hostem: Iuppiter infit.
Mene ipsum non posse feras has perdere? possem,
Si mens certa foret, trifido, nihil ambige, telo
Concutere obstanteis, penitúsque affligere fundo.
Sed mihi, quid deceat, non quod licet, arma tenenti
Occurrit. Laudíne foret tam abiecta ferire?
Dignior iste calor, natum ad sublimia fulmen
Præterit ignauos hostes. scopulosa zacynthus,
Quas habeat vires, quercúsque annosa loquatur.
Et tu (sed præstat modò dissimulare) loqueris.
X. At ne contemtum ferat impunitus, & astris
Exprobret iste niger, scrobibúsque Iauernio natus:
Atlantis generose Nepos, succingere pallam,

Ventorum transcende domum, conuexáque supra
Sistere, quà nitidus stellarum exercitus ardet.
Detrahe cælestem Cancrum, metuendus in arma
Proruat, & plectat sonteis, dirimátque rebelles.
Vadit Atlantiades, & qui videt omnia Phœbus,
It comes accinctus radios, & vertice lucem
Diffusus. quacunque meant, dignantia cedunt
Sidera; laxantur florentes ignibus orbes.
Aduentum testata Deûm Lyra turgida nullis
Flatibus insonuit: subsultauere Triones,
Phryxeúsque Aries. illos veneratus Orion
Submisítque caput, strictúmque recondidit ensem.
Tum prior Arcadiæ pulcer frondentis alumnus:
Felices, qui semper, ait, lucetis in auro
Signiferi Solis, magnósque euoluitis annos,
Hoc Domino carpente viam. nunc visere terram
De vestra statione iubet Saturnius vnum.
Cancer ades? linque has, quas reptans incolis vndas
Tantisper. dabitur retrò post bella redire.
Ille altis egressus aquis & lacte profundo
Fluminis ætherij, sequitur per inane volantem
Mercurium lapsus; circúmque & ponè refusâ
Mobilis ac titubans in gyrum fluctuat aurâ.
Vt cùm suspensis pedibus demissa cadit nix,
Mollis in omne latus tacitè subsidere nutat,
Haut aliter terræ appulsus. tunc tosta Syene
Mitiùs à flammis habuit, blandóque tepore
Vsa, dari longas mirata est turribus vmbras.
Carcinus à noto monstratas Sole paludes
Intrat, & adiunctis agmen graue fratribus armat.
Qui postquam in siccum latera exposuere, trucésque
Musulmannigenæ chelas sensere bisulcas:
Fit latè fuga, cum gemitu fremituque ruentum.
Ipsa citis agitur pedibus Regina; rotásque
Aurigámque & equum (sese omnia) fortiùs vrget;
Et quia desperat metuítque euadere, & instat
Vmbra maritalis, pariter cupit ire sub Orcum.
Dum dubitat, lapsantem absorbet cæca vorago.

Ætea-

Æternumque viro decus annumeranda meretur.
At non æquali cum Coniuge condita tumbâ,
Infelix, neque sub saxis tangentibus astra.
Diffugiunt alij partes Regionis in omneis
Confusi, referúntque oculos ad pristina pacis
Munera, consuetis exercentúrque rapinis.
XI. Interea quidquid Mures scrutatur in antris,
Illorum reditu exsultat; positóque pauore
(Quippe Cati stupuere malum, quod turpis egestas
Visa diu fuerat dirum ac lugubre minari,
Irrita cùm nullas traherent venabula prædas)
Spes hilares acuit, desolatásque cauernas
Obseruat, profugásque feras, solatia ventris.
Atque adeò iam nunc reuocant, quem nomine Gentis
Pellitæ misere queri, tristémque nouercæ
Fraudanti genios Naturæ intendere litem.
Indicunt iterum choreas, atque orgia noctis;
Suetísque inuigilant spolijs. gannitus & ingens
In Maumillonum plausus ditione resultat.
Vt si forsan equos, taurúmque armenta secuta
Abstulerit prædo; neque spes super vlla peculI;
Illa inopina tamen stabulum commune reuisant:
Ergo iterum felix toto pastore Menalcas
Subsilit, & dulci confundit gaudia fletu.
Aut Pelusiaci quantus per rura Canopi
Lætitiæ tremor exoritur: quum Nilus in vrna
Se cohibens ripásque intrà, dubitare colonos
Cogit, & optatæ timidos nil fidere messi.
Mox vbi restagnat præsens, tumidúsque per arua
Voluitur, & latè campos fecundus inundat:
Laudauere Deum, nec iam fugisse queruntur.
A cantu resonant agri, modulatáque ducit
Tibia linigeros. Nilus clamatur & Isis.
O! nunquam stimuli mites, vbi prima cupido
Inuasítque animos, & non satiabilis ardet.
Nulla mora est. vnum pedibus distringere Murem
Æluri instituunt, suadétque insana voluptas
Libari; si fortè sapor mutatus in armis.

Oceano nondum croceam Tithonia bigam
Extulerat quater, auricomis ducentibus horis;
Et iam funus erat Meridarpax flebile. Felis,
Iuppiter illius fuit, intonuítque labanti.
Itur ab Harpyis in circum. murmura funus
Nescio quæ, supra Catus horrida Thessalus efflat;
In partéisque secat, stantéisque aspergit, & ille
Princeps Maumyadum noua sanguine fœdera sancit,
Heu, quid ages? bellóne putas euadere Fata
Pternoglyphe, & mortis telum vitare sequentis.
Dum fugis, & Cancros felicibus effugis alis.
Te miserum! in Scyllam iuratósque incidis hosteis,
Hoc tibi grande malum si præcinuisset Apollo,
Stragibus optalles potiùs sub Borborocœte,
Cui elapsus eras, animámque impendere Marti,
Non ita Threicium Vatem, sectúmque cruentæ
Patris Echionij lacerârunt Penthea Bacchæ.

XII. Iuppiter his visis vultum demittere cœpit,
Vt solet abductus curis secretáque versans:
Tum taciti primùm Diui cognoscere caussas,
Et quòd Cælicolis poscentibus antè negasset
Agmina sulphureo Maurusia perdere nimbo,
Consilium laudare sacrum, maiúsque vereri.

Est aliquod fulmen, quod nec fabricare Pyracmon,
Nec Steropes conflare potest, nec Lemnius ipse
Attrectare audet, si non Stygis amne lauetur.
Ventorum deformis hyems, & Colchica pestis,
Aura nocens & dira lues, viridísque veneni
Succus, & Æmonijs exstillans frondibus humor,
Materies minima est, & adhuc tolerabile telum:
Quod tantùm in nanos colles incumbat, & alnos
Plebeias sternat, platanísque enode cacumen.
Accedunt ructus morientum, stridor Hyænæ;
Ira tremens, raptísque incensis vrbibus ignes;
Et vanescentis sanies exusta Cometæ.
His quoque miscetur rabies, ac spuma canina
Vranies collecta manu: cùm Sirius œstro
Percitus, allatrat flammato sidera rictu,

Adduntur colubri de Gorgone: bis tria Solis
Spicula lugentis, medio fulgore reciso.
Scobs ferri, quæ de pedibus perhibetur equorum,
Cum Pluto Siculas ad Sponsam frangeret arceis,
Succussis cecidisse trium; (nam quartus Alastor
Difficilis minui, totus riget ære maligno.)
Nec tamen vsque adeò foret insuperabile, si non
Iuppiter ipse suo jactum de vertice crinem
Tonderi patiens (& crinis sufficit vnus)
Inderet. hinc rapidas vires, animosáque flabra
Sumit, & egesto quatit alta ceraunia saxo.
Non ignis vulgare rubens hoc nobile Fulmen
Excoquit: eiectis opus est carbonibus antro
Tænario, taxóque informi, & si qua supersunt
Naufragij veteris fragmenta infamia Cauro.
Taliter excussum quondam cum turbine sensit
Pallenæa cohors, vno damnata sepulcro:
Effossáque manu Capaneûs flagrantia Thebas
Mœnia concutiens, totus lucebat anhelo
Pectore combustus, cinerémque efflabat ab ore.
Tantùm summa manus diuûm Patris, & neq; semper
Hoc torquet, validâ nisi cùm succensus ab ira est.
Tunc quoque stringebat quasi vibraturus, & altâ
Voce tonans: meruisse putas Meridarpaga, Nate,
Missile, quod voluo? tracta: crispare licebit.
Dum parcas homini, quiduis potes igne ferire.
XIII. Alcides animi largus, tunc largior ibat
Fulmen adorandum potiùs timidéque colendum
Impare sumturus dextrâ: iámque illud agebat
Chaoniam impacto rapturus verbere quercum.
Prodigium! negat emitti. ceu viueret ignis,
Sentiretque Deum consuetâ mole minorem.
Increpat Armipotens: quænam has ignauia vires
Eneruat, cohibétque Alecto inuisa lacertos?
Letifer anne iterum serpit per viscera Nessus?
Exprobrat & Iuno, laudans, fictúmque renidens;
Noster amor! téne ergo rear strauisse leones?
Fregisse Antæum? tu pensa colúmque tulisti.
Femi-

Femineas indute stolas, ac tempora myrto
Euincte. Alcmenâ satus & miratur, & ardet,
Et fremit, & rubet, atque iterum tentare laborat.
Sibilat implacidum sulphur, multóque cruentat
Sanguine mirantem (neq; enim hæc natura) Deumq;
Respicit. it cælo murmur. Venus aurea risit.
Audijt, ínque sinum risit Noua Luna bicornem.
At miser in rabiem versus Tirynthius altùm
Vritur, & bustum flagrat immortale futurus,
Si non excutiat, vires confessus iniquas.
Ausa & inausa manu nequicqaam vbi vertere cœpit,
Excutit. haut vltra lapsum: sed in aëre pendet.
Protinus Ales adest. ea corripit vnguibus vncis
Restituítque Ioui. qui lætus, parcimus, inquit,
Nate tibi. Patri posthac illudere cessa:
Et cautus mea tela time, non sternere vileis
Docta feras humileísque rubos: sed robur adultæ
Ætatis; sed enim Rhodopen Hebrúmque niualem,
Alcidesque meos; Hic non imitabile fulmen
Sentiet, hic demum: per quem resciuerit Orbis
Ludicra nos Ranis super, & super arma proteruis
Muribus auctores, dextrâ mouisse iocosâ.
Námque homines credent (vt gens est vana, malíque
Heu, nimium nimiúmque capax, atque omnia vexat
Censuris) Superos tantummodo ad otia natos,
Seu Pueros nugis consumere vilibus æuum.
Imperio Mundi nullas impendere curas;
Cunctáque in incertum mortalia tendere casum.
Quisquis is est, seu sit cerebro, seu poplite natus;
Ille faces, totúmque Iouem sua tela minantem
Attritus feret, & sitiet fugientibus vndis
Mersus, & à plenâ torquebitur arbore pomis.
Iuro per arcanas, instar mihi numinis, vndas;
(Concussítque comas) per fratris stagna profundi.
Si quando placitum nobis, hæc funera Mundo
Pandere, & exactos belli proferre labores:
Tunc ego te Phœbum; Vatem tu, Phœbe, mouebis.
XIV. Phœbus in hæc: (numeros, citharamque adiunxit eburnam.)

Magne Sator rerum: tibi ſe Delóſque, Claróſque,
Et Patara, & Tenedos, ſertíſque euincta Terapne,
Et Delphi & Phocis, & ſupplex à pede Montis
Parnaſſus noſter, cum toto inclinat Olympo.
Iuſſa, in facta libens; mandata, in carmina vertam.
Omne nemus cauſsâ Iouis, omnia marmora cogam
Admodulante Lyrâ choreas accedere noſtras.
Vnum iſtud vereor: (præſentio mente Futura)
Vt ne inter paucos, æuo labente, Poëtas
Vix vnum inueniam promtum facilémque monenti,
Qui moueat ſuper iſta tubam, quæ vidimus, arma.
Inuitos nempe exſtimulem, & cantare rogatos
Pegaſeá feriam pennâ, lauróque coronem!
Valle priùs Thymbræâ, & vtroque abſceſſero colle.
Tempus erit, ſtolidæ cum mentis inertia faſtu
Reddita deterior, quædam mortalia ſtringet
Pectora. erunt, ſua qui ſcitè jactare parati
Somnia in arcano, ceu noſtro immiſſa Cubili.
Me quaſi iam pridem toto cum fonte bibiſſent;
A monte in valles vnquam deſcendere nolint.
Detrectent tumidi gracilis leue carmen auenæ;
Materiæque exilis opus Priameïa Fata,
Iliacas acies, & in Hectora calcar Achillis
Defixum poſcent, ac ſola ad Pergama duci.
Vix dignabuntur metro cohibere leonem:
De vili Ranâ quid ſperem ac Muribus? ignem
Offero cantandum, quo Phyllis ſaucia flagrat;
Caſſandras laudare volent. placet vna Pelaſgûm
Victima, non totam redimita Polyxena frontem,
Vt videat cultros, atque aræ baſia figat:
Aut Argiua viris Argia ferocior, omneis
Acceptura neces, clauſuráque pectore caſto:
Si modo dilecti reperiret Coniugis oſſa.
Talibus exemplis cupient ſuper ardua ferri
Culmina Pieridum, totóque Helicone recepto
Donari ſeptem folijs, & imagine macrâ.
Non centum, non mille boues ad tenûia ducent.
Id queror; imbelles, ſegnes, ſine numine noſtro.

Non iussi, inuito me luctabuntur in altum;
Repere quos inter dumos & fraga decebat:
Ad juncum & corylos nullâ virtute mouendi,
Cùm tamen à minimis surgant ad maxima Musæ.
His adeò iam nunc infestum me minor ipsum.
Ite truces tumidíque, & nostro absistite luco.
Inuenient hæc Plectra manus, & fistula labrum.
Ipse tamen meus ALTER EGO, quem Mantua felix
Efferet in lucem, Culici canet antè sepulto
Et decus & lessum; quàm Turno in bella ruenti,
Nisóque Euryalóque, & Dardanio Anchisæ,
Et pubi Troianæ ab longo errore parentet.
Non igitur Tu, quisquis eris, qualem modò coram
Præcipio, oblatum verearis spargere bellum
Qualicunque tubâ. juuat ire per omnia vatem.
Sub cedro juuat & lentis cantare salictis.
Et pontum juuat, & modicas innare paludes:
Quanquam qui modicas, si me suadente Poëta
Nauigat. Hanc pugnam, Munus Iouis esse memento
Cælicolis sublime datum, caligine sacrâ
Plenum, ac mittendis in plurima secula fatis.
Nil mage secretum vel ab imâ Phocide, Delphísque,
Ac Tripode, & motâ stagni exardentis arena
Transfumat; nec dicit auis quocunque volatu;
Mystica nec Cereris Lampas, nec monstrat Eleusis.
Omnia portendunt. studeant euoluere verum,
Quorum ego compegi nitido præcordia sensu.
Sume animos facilémque Deum, GERMANE: canenti
Non abero. Momos, quibus est inamabilis vnguis,
Dens niger, inuisos alijs frenabo lupatis,
Quàm quibus ætheriam soleo frenare quadrigam,
Illorum ante oculos versetur Marsya victus,
Ora lacer, pellem exutus, totúsque cicatrix.
Et mihi sunt Arcus, & nostra sagitta cruorem
Elicit, & nostro sternuntur robora disco.
Ista Intonsus: at hæc intonso Iuppiter. aude
Aude aliquid Fili; patriúmque merebere vultum.
Qui solùm mea furta canunt, aut qui tua solùm,

Nil aliud, nósque ad mensam ridenda propinant
Numina; quo polles jaculo, prosterne frementeis,
Et resupinatos in puluere detege Fucos
Castalij mellis, sacratísque exue sertis.
Interea, ne feda lues & noxia serpat,
(Námq; vides Populum exsanguem, Vulcane, nigrísq
Muribus admixtas tumulo putiscere Ranas)
Funeream conuolue pyram, flammæque rogali
Hos bellatores impone, cadauera, cæsos.
Ligna ferant Satyri, aduoluántq; è montibus ornos,
Dixit, & ingenti concussit nubila motu;
Atlas quo tergum sentit super astra grauari.
Illum ascendentem retrò sua turba secuta est.
Amphitryoniades toruùm indignatus in Oetam
Concessit, quo prima ferox incendia monte
Pertulit: ambustum quippe & plenum ora fauillis,
Semper ab aduersâ puduit Iunone videri.

HABES

HABES, Amice Lector, Batrachomyomachiam Nostram, ex fonte Homeri: vtique enim non de palude, etsi de palustribus, deriuaui largiùs conceptum liquorem, gratiâ Iuuentutis. Ea sanguinis calore feruida, modico aquæ haustu sitim non restinguit. quæ ipsa caussa est, quare Orationes hinc inde dispersas, alternis proferentium animi sui sensa longiusculas maluerim. Quasdam agnominationes confinxi; vt, MVSVLMANNIGENAE, MAVMYADES, &c. quòd existimem similibus, Latini sermonis nitorem propterea non obfuscari: cùm tantummodò sint Nomina Propria & compellationes earum rerum, de quibus reliqua dicuntur. ita integrū panegyricon de laudibus fortissimi Ducis BLICTRI scribere possis. modò tibi talem Ducem proponas, quem BLICTRI voces. Quæ verò de altero significant, ea sacrosancta habere fas est, ab vberibus Latinæ Nutricis non depellenda. citiùs enim barbaros Vrbe Romanâ donaueris, quàm noua & barbara Verba. quod ipsum olim cuidam Cæsari in faciem obiectum est. deinde ex Mure dices me Elephantum fecisse. Quippe ni? tamen ex Musca fieri potest Elephantus, non terrendus à Musca, cùm terreatur à Mure. Et verò Homeri hæc Audacia est, cui irasci velle, est genuinum & dentes alios omnes perdere. nam siue laudes, siue irrideas; nihilominùs septem Ciuitates de cadauere cæci Poëtæ litigabunt. Quin potiùs ipsum poëma Homeri degustas: id ex Græco translatum, non liberiore paraphrasi, sed strictâ Interpretatione ad literam, vt ne de inuentis illustribus quidquam interuertatur, hoc loco subiungere placuit. Scimus gulam Ingeniorum variare: alijs videbitur superuacaneum: alij, nisi ponam, desiderabunt. Itaque Batrachomyomachia HOMERI in hunc modum se habet.

INcipiens primùm Musarum Cœtum ex Helicone venire, in meo animo preces concipio, gratia cantûs, quem nuper in tabulis meis super genua posui; litem immensam, tumultuosum opus Martis, præ me ferens hominibus in aures omnibus immittere: quomodo Mures in Ranas primas consecuti ierunt, terrigenûm virorum imitari opera Gigantum. Sic sermo inter mortales erat. tale autem habuit principium. Mus aliquando sitibundus, felis periculo euitato, propinquum in lacum teneram adposuit barbam, aquâ delectatus dulci. hunc vbi vidit Limnocharis obstrepera, verbum locuta est tale. O hospes, quis es? vnde venisti ad litus? quis te produxit? omnia verè dic, ne mendacem te intellexero. si enim te nouerim amicum dignum, ad domum ducam. dona autem tibi dabo hospitalia multa & bona. Ego Rex Physignathus sum, qui per lacum color Ranarum Rex dies omnes: & me pater Peleus olim genuit Hydromedusa mixtus in amicitia, apud ripam Eridani. & te quidem video pulchrum & fortem, eximium præ alijs sceptriferum Regem, & in bellis pugnacem esse: sed age citiùs tuum genus commemora. Huic autem rursus Psicharpax respondit, dixítque; curnam genus meum perquiris, ô amice, manifestum omnibus hominibúsque Diísque, & cælestibus volatilibus? Psicharpax ego vocor, filius Troxartæ patris magnanimi. mater Lichomyle, filia Pternotroctæ regis. genuit autem in tugurio me & enutriuit cibarijs ficubus & nucibus; & edulijs omnigenis. quomodo autem amicum facies me in natura nihil similem? tibi enim vita est in aquis, sed mihi certè, quæcunque apud homines, comedere consuetudo. neque me latet panis ter pistus à bene rotundâ mensâ; neque placenta extensa, habens multam sisamida? non sectio ex perna, non jecora albam vestem habentia; neque caseus nuper pressus à suaui lacte. Non suauia bellaria, quæ & Diui desiderant. neque quæcunque ad conuiuia hominum faciunt coqui, ornantes ollas condimentis varijs. nunquam ex bello malum effugi clamorem; sed statim ad pugnam iens propugnantibus mixtus sum. non timui hominem, quamuis magnum corpus ferentem, sed ad lectum iens, summum digitum mordeo, &

ffeo, & à pede accepi, & dolor non occupauit virum. suauis non aufugit somnus mordente me. sed duo valde omnia timeo per terram. Accipitrem & Felem, qui mihi magnum luctum adferunt, & decipulam molestam, vbi dolosum existit fatum. plurimùm Felem pertimesco, quæ optima, quæ me, per foramen perquirit. non comedo raphanos, non caules, non cucurbitas, non betis viridibus pascor, neque apijs. hæc enim vestra sunt edulia per lacum. Ad hæc autem subridens Physignathus contra locutus est. O hospes, valdè gloriaris ob ventrem sunt & nobis multa valdè in lacu & in terra mirabilia visu. Ancipitem enim dedit victum Ranis Saturnius Iuppiter: saltare in terris, & in aquis corpus cooperire. Si autem vis, & hæc scire facile est. portem te in humeris. tene autem me, ne aliquando pereas. sic gauisus in meam domum venies. Sic certè, inquit. & terga dabat Ille autem ascendebat velociter manus habens tenerum per collum: saltu facili. Et inprimis gaudebat, quando intuebatur vicinos portus, natatione gaudens Physignathi: sed quando iam vtique vndis purpureis submergebatur, multum lachrymabatur. inutilem pœnitentiam accusabat, euellebat comas & pedes stringebat per ventrem. cor concutiebatur insolentia, & in terram volebat videre Vehementer autem ingemiscebat timoris frigidi necessitate. caudam quidem inprimis extendit in aquis, tanquam remum trahens supplicánsque Dijs in terram venire, aquis purpureis submergebatur: multum autem clamabat, & talem dixit sermonem; ab ore autem pronunciabat: Non sic humeris portauit onus amoris Taurus quando Europam per vndam duxit in Cretam: vt me nauigans humeris superuectum duxit ad domum Rana, eleuans pallidum corpus aqua albâ. Hydrus autem ex improuiso apparebat horrendum spectaculum vtrisque. erectum super aquam habebat collum. Hunc conspicatus, ingressus est Physignathus, non quidquam intelligens, qualem socium perditurus erat per lacum. Ingressus est autem profunditatem lacus, & euitauit Parcam nigram Ille autem vt relictus est, cecidit supinus statim in aquam. manus autem

 stringe-

ſtringebat, & moriens ſtridebat. Sæpe quidem ingrediebatur in aquam; ſæpe autem rurſus calcitrans egrediebatur. mortem autem non poterat euitare. madentes enim pili plurimum pondus trahebant in ipſo. aquis autem periens tales locutus eſt ſermones. Non latebis vtique Deos Phyſignathe, hoc patrato, naufragum qui iecisti à corpore, vt à petra. non certè me per terram melior eras, ô peßime, pancratióque luctáque, & ad curſum. ſed deceptum in aquam me proiecisti. Habet Deus vltorem oculum. pœnam tu ſolues Murium exercitui, neque euitabis. hæc locutus, exſpirauit in aquis. hunc autem vidit Lichopinax ripis inſidens mollibus. qui vehementer vlulauit, & currens annuntiauit Muribus.

VT autem didicerunt mortem; ingreſſa eſt ira pernicioſa vniuerſos. & tunc præconibus ſuis iuſſerunt ſub diluculum proclamare ad concionem Troxarta, in domum patris infelicis Pſicharpagis, qui per lacum ſupinus natauit, mortuum corpus. neque iuxta ripas erat iam miſer. medio autem natabat ponto. Vt autem venerunt feſtinantes cum Aurora: primùm ſurrexit Troxartes ob filium iratus, dixítque ſermonem. O amici, tametſi ſolus ego multa mala paſſus ex Ranis: ſors mala omnibus facta eſt. Sum autem ego infelix, poſtquam tres filios perdidi. & quidem primum occidit rapiens inimiciſsima Felis, extra foramen captum. Alium rurſus viri crudeles ad mortem duxerunt vanioribus artibus, ligneo dolo excogitato, quam decipulam vocant, Murium perditricem. Qui tertius erat dilectus mihi & matri inclytæ: hunc ſuffocauit Phyſignathus in profundum ducens, ſed, agedum, armemur, & exeamus in ipſas, corporibus exornatis armis varijs. Hæc locutus perſuaſit armari vniuerſos: hos quidem vtique Mars, belli curam habens. Ocreas primùm circa tibias poſuerunt, effractis fabis viridibus, benéque aptatis: quas ipſi per noctem ſtantes comederunt. thoraces autem habebant calamis circumdatis à corijs, quos Fele excoriata ſcienter fecerunt. Clypeus erat Lucernæ medius vmbilicus, lancea longa acus; omnino æreum opus Martis. At

stis. At cassis in temporibus erat testa nucis. sic quidem Mures erant armati. Vt autem intellexerunt Ranæ, egressæ sunt ab aqua, in vnum locum profectæ: consilium coegerunt belli mali. Considerantibus autem ipsis vnde seditio, vel quis tumultus; Præco venit ferens sceptrum in manibus, Tyroglyphi filius magnanimi Embasichytros, nuncians belli malam famam, dixítque sermonem. O Ranæ, Mures vobis minitati miserunt, vt edicerem armari ad bellúmque pugnámque. viderunt enim per aquam Psicharpaga, quem occidit vester Rex Physignathus. sed pugnate, quæcunque inter Ranas egregiæ genitæ estis. sic locutus disparuit. sermo autem murium in aures ingressus, conturbauit mentes Ranarum superbarum. accusantibus autem ipsis, Physignathus dixit surrectus: O amici: non occidi Murem, neque vidi pereuntem: omninò suffocatus est ludens iuxta lacum, natatum Ranarum imitatus: at pessimi nunc me accusant, qui non sum in caussâ. Sed, age, consilium inquiramus; vt dolosos Mures deperdamus. etenim ego dico, vt mihi apparent esse optima. corporibus ornatis armati stemus vniuersi summas iuxta ripas, vbi præceps est locus. quando autem impetu facto in nos venerint, correptis galeis quicunque prope obuiam venerint, in lacum ipsos cum armis statim deijciamus. sic enim illis suffocatis, qui expertes sunt natandi, constituemus læto animo statim Murium occisorum hic trophæum. sic locutus armis induit vniuersos. Folijs quidem maluarum tibias suas circum cooperuerunt. Thoraces habuerunt viridibus latis à betis. folia brassicarum in clypeos bene aptauerunt. lancea acutus iuncus, vnicuique longus aptatus erat, & galea cochleis subtilibus capita circum cooperiebant. Munitæ autem steterunt in ripis altis, conquassantes lanceas. animo plena erat vnaquæque.

IVppiter autem vbi Deos vocâsset in cælum astriferum & belli multitudinem ostendens, potentésq; pugnatores multos & magnos, & lanceas longas ferentes; qualis Centaurorum exercitus procedit & gigantum, suauiter ridens interrogabat: qui Ranis auxiliatores vel Muribus, immortalium? & Palladem allocutus est O Filia, Muribus nunquid auxiliatura ibis? etenim tuum per templum semper exultant vniuersi, odore delectati, & cibarijs ex sacrificijs. Sic dixit Saturnius. hunc autem allocuta est Pallas: O pater, non certè ego vnquam Muribus, cum vexarentur, venirem auxiliatrix: quoniam mala multa mihi fecerunt, coronas destruentes & lucernas, caussa olei. Hoc autem meam valdè momordit mentem, quod fecerunt. peplum meum corroserunt, quod texui elaborando ex trama subtili, & stamen subtile neui, foraminaque fecerunt. at sutor mihi insistit exigitque à me vsuras: huius gratiâ irata sum Mutuata enim subtextum, & non possum restituere. Sed neque Ranis auxiliari velim: sunt enim neque ipsæ mentibus firmæ Sed me primùm ex bello redeuntem, postquam valde defatigata fui; somno indigentem. non permiserunt tumultuantes parum oculos declinare. ego insomnis jacebam caput dolens, donec clamauit gallus gallinaceus. Sed age cessemus Dij ijs auxiliari, ne aliquis vestrûm vulneretur telo acuto. sunt enim cominus pugnantes, etiamsi Deus contraueniret. omnes autem de cælo delectemur litem videntes. vt dixit, huic post paruerunt Dij alij. Omnes simul autem collecti venerunt in vnum locum.

AT venerunt Præcones duo signum belli ferentes. & tunc Culices magnas tubas habentes vehementer tubâ clangebant belli strepitum. cælitus autem Iuppiter Saturnius intonuit signum belli mali. Primus autem Hypsiboas Lichenorem vulnerauit lancea, stantem inter propugnatores, per ventrem in medium hepar. concidit ergo pronus & teneras puluere fœdauit comas. Troglodytes autem post ipsum jaculatus est Tileona. infixit in pectore solidam lanceam. hunc autem cadentem cepit nigra mors, & anima

ex cor-

ex corpore euolauit. Seutlæus occidit percusso corde Embasichytrum. Artophagus autem Polyphonum per ventrem percußit, qui cecidit supinus, & anima membra euolauit. Limnocharis, vt vidit pereuntem Polyphonum, Troglodyten petrâ molari vulnerauit, praueniens collum iuxta medium: huic igitur caligo oculos operuit. Lichenor autem ipsius obseruabat lanceam lucidam, & percußit (neque aberrauit) per hepar. vt autem intellexit Crambophagus, ripis profundis incidit fugiens. sed neque sic effugit in aquis: impulit enim ipsum. qui concidit, nec respirauit: tingebatur sanguine lacus purpureo. ipse iuxta littus extensus est, intestinis pinguibus impetu ruens in ilia. Limnisius autem in ripis Tyroglyphum spoliauit. Pternoglyphum conspicatus Calaminthius in timorem venit. saltauit ergo in lacum fugiens, clypeo proiecto. Hydrocharis autem occidit Pternophagum Regem saxo percussum per guttur. cerebrum autem ex naribus stillabat, polluebatur sanguine terra. Lichopinax occidit irreprehensibilem Borborocœten, lanceâ impetu facto: mox caligo oculos cooperuit. Prasiphagus conspicatus pede traxit Cnissodioctem, in lacu autem suffocauit, comprehensâ manu ceruice. Psicharpax autem vltus est socios mortuos, & percußit Pelusium in medium hepar. qui cecidit illi ante, anima ad infernum iuit. Pelobatus conspicatus luti manipulum iecit in ipsum, & frontem inunxit & excæcauit propemodum. iratus est certè ille, vbi cœpisset manu forti, qui iacebat in campo lapidem, ponderosum pondus terræ: hoc percußit Pelobaten sub genua. tota autem fracta est tibia dextra, ceciditque supinus in pulueribus. Craugasides autem vltus est, & rursus ibat in ipsum: percußitque medium per ventrem. totus ei intrò actus iuncus ingrediebatur, & humi effundebantur vniuersa intestina, extracta à lancea manu graui. Sitophagus autem vt vidit in ripis fluminis, claudicans ex bello recedebat, & angebatur valdè, saltauitque in fossam, vt aufugeret diram perniciem. Troxartes autem percußit Physignathum in pedis summitatem, qui celeriter, quoniam angebatur, saltauit in lacum fugiens. Troxartes vt vidit adhuc semiuiuum, qui antè ceciderat, & iterum

Æternumque viro decus annumeranda meretur.
At non æquali cum Coniuge condita tumbâ,
Infelix, neque sub saxis tangentibus astra.
Diffugiunt alij partes Regionis in omneis
Confusi, referúntque oculos ad pristina pacis
Munera, consuetis exercentúrque rapinis.
XI. Interea quidquid Mures scrutatur in antris,
Illorum reditu exsultat; positóque pauore
(Quippe Cati stupuere malum, quod turpis egestas
Visa diu fuerat dirum ac lugubre minari,
Irrita cùm nullas traherent venabula prædas)
Spes hilares acuit, desolatásque cauernas
Obseruat, profugásque feras, solatia ventris.
Atque adeò iam nunc reuocant, quem nomine Gentis
Pellitæ misere queri, tristémque nouercæ
Fraudanti genios Naturæ intendere litem.
Indicunt iterum choreas, atque orgia noctis;
Suetísque inuigilant spolijs. gannitus & ingens
In Maumillonum plausus ditione resultat.
Vt si forsan equos, taurúmque armenta secuta
Abstulerit prædo; neque spes super vlla peculI;
Illa inopina tamen stabulum commune reuisant:
Ergo iterum felix toto pastore Menalcas
Subsilit, & dulci confundit gaudia fletu.
Aut Pelusiaci quantus per rura Canopi
Lætitiæ tremor exoritur: quum Nilus in vrna
Se cohibens ripásque intrà, dubitare colonos
Cogit, & optatæ timidos nil fidere messi.
Mox vbi restagnat præsens, tumidúsque per arua
Voluitur, & latè campos fecundus inundat:
Laudauere Deum, nec iam fugisse queruntur.
A cantu resonant agri, modulatáque ducit
Tibia linigeros. Nilus clamatur & Isis.
O! nunquam stimuli mites, vbi prima cupido
Inuasítque animos, & non satiabilis ardet.
Nulla mora est. vnum pedibus distringere Murem
Æluri instituunt, suadétque insana voluptas
Libari; si fortè sapor mutatus in armis.

Oceano nondum croceam Tithonia bigam
Extulerat quater, auricomis ducentibus horis;
Et iam funus erat Meridarpax flebile. Felis,
Iuppiter illius fuit, intonuítque labanti.
Itur ab Harpyis in circum. murmura funus
Nescio quæ, supra Catus horrida Thessalus efflat;
In partéisque secat, stantéisque aspergit, & ille
Princeps Maumyadum noua sanguine fœdera sancit,
Heu, quid ages? bellóne putas euadere Fata
Pternoglyphe, & mortis telum vitare sequentis.
Dum fugis, & Cancros felicibus effugis alis.
Te miserum! in Scyllam iuratósque incidis hosteis.
Hoc tibi grande malum si præcinuisset Apollo,
Stragibus optasses potiùs sub Borborocœte,
Cui elapsus eras, animámque impendere Marti.
Non ita Threicium Vatem, sectúmque cruentæ
Patris Echionij lacerârunt Penthea Bacchæ.

XII. Iuppiter his visis vultum demittere cœpit,
Vt solet abductus curis secretáque versans:
Tum taciti primùm Diui cognoscere caussas,
Et quòd Cælicolis poscentibus antè negasset
Agmina sulphureo Maurusia perdere nimbo,
Consilium laudare sacrum, maiúsque vereri.

Est aliquod fulmen, quod nec fabricare Pyracmon,
Nec Steropes conflare potest, nec Lemnius ipse
Attrectare audet, si non Stygis amne lauetur.
Ventorum deformis hyems, & Colchica pestis,
Aura nocens & dira lues, viridísque veneni
Succus, & Æmonijs exstillans frondibus humor,
Materies minima est, & adhuc tolerabile telum:
Quod tantùm in nanos colles incumbat, & alnos
Plebeias sternat, platanísque enode cacumen.
Accedunt ructus morientum, stridor Hyænæ;
Ira tremens, raptísque incensis vrbibus ignes;
Et vanescentis sanies exusta Cometæ.
His quoque miscetur rabies, ac spuma canina
Vranies collecta manu: cùm Sirius œstro
Percitus, allatrat flammato sidera rictu.

Adduntur colubri de Gorgone: bis tria Solis
Spicula lugentis, medio fulgore reciso.
Scobs ferri, quæ de pedibus perhibetur equorum,
Cum Pluto Siculas ad Sponsam frangeret arceis,
Succussis cecidisse trium; (nam quartus Alastor
Difficilis minui, totus riget ære maligno.)
Nec tamen vsque adeò foret insuperabile, si non
Iuppiter ipse suo jactum de vertice crinem
Tonderi patiens (& crinis sufficit vnus)
Inderet. hinc rapidas vires, animosáque flabra
Sumit, & egesto quatit alta ceraunia saxo.
Non ignis vulgare rubens hoc nobile Fulmen
Excoquit: eiectis opus est carbonibus antro
Tænario, taxóque informi, & si qua supersunt
Naufragij veteris fragmenta infamia Cauro.
Taliter excussum quondam cum turbine sensit
Pallenæa cohors, vno damnata sepulcro:
Effossásque manu Capanêus flagrantia Thebas
Mœnia concutiens. totus lucebat anhelo
Pectore combustus, cinerémque efflabat ab ore.
Tantùm summa manus diuûm Patris, & neq; semper
Hoc torquet, validâ nisi cùm succensus ab ira est.
Tunc quoque stringebat quasi vibraturus, & altâ
Voce tonans; meruisse putas Meridarpaga, Nate,
Missile, quod voluo? tracta; crispare licebit.
Dum parcas homini, quiduis potes igne ferire.

XIII. Alcides animi largus, tunc largior ibat
Fulmen adorandum potiùs timidéque colendum
Impare sumturus dextrâ: iámque illud agebat
Chaoniam impacto rapturus verbere quercum:
Prodigium! negat emitti. ceu viueret ignis,
Sentiretque Deum consuetâ mole minorem.
Increpat Armipotens: quænam has ignauia vires
Eneruat, cohibétque Alecto inuisa lacertos?
Letifer anne iterum serpit per viscera Nessus?
Exprobrat & Iuno, laudans, fictúmque renidens;
Noster amor! téne ergo rear strauisse Leones?
Fregisse Antæum? tu pensa colúmque tulisti

Femineas indute ſtolas, ac tempora myrto
Euinćte. Alcmenâ ſatus & miratur, & ardet,
Et fremit, & rubet, atque iterum tentare laborat.
Sibilat implacidum ſulphur, multóque cruentat
Sanguine mirantem (neq; enim hæc natura) Deumq;
Reſpicit. it cælo murmur. Venus aurea riſit.
Audijt, ínque ſinum riſit Noua Luna bicornem.
At miſer in rabiem verſus Tirynthius altùm
Vritur, & buſtum flagrat immortale futurus,
Si non excutiat, vires confeſſus iniquas.
Auſa & inauſa manu nequicqaam vbi vertere cœpit,
Excutit. haut vltra lapſum : ſed in aëre pendet.
Protinus Ales adeſt. ea corripit vnguibus vncis
Reſtituítque Ioui. qui lætus, parcimus, inquit,
Nate tibi. Patri poſthac illudere ceſſa :
Et cautus mea tela time, non ſternere vileis
Docta feras humileíſque rubos: ſed robur adultæ
Ætatis ; ſed enim Rhodopen Hebrúmque niualem,
Alcideſque meos ; Hic non imitabile fulmen
Sentiet, hic demum : per quem reſciuerit Orbis
Ludicra nos Ranis ſuper, & ſuper arma proteruis
Muribus auctores, dextrâ mouiſſe iocosâ
Námque homines credent (vt gens eſt vana, malíſque
Heu, nimium nimiúmque capax, atque omnia vexat
Cenſuris) Superos tantummodo ad otia natos,
Ceu Pueros nugis conſumere vilibus æuum.
Imperio Mundi nullas impendere curas ;
Cunctáque in incertum mortalia tendere caſum.
Quiſquis is eſt, ſeu ſit cerebro, ſeu poplite natus :
Ille faces, totúmque Iouem ſua tela minantem
Attritus feret, & ſitiet fugientibus vndis
Merſus, & à plenâ torquebitur arbore pomis.
Iuro per arcanas, inſtar mihi numinis, vndas ;
(Concuſsítque comas) per fratris ſtagna profundi.
Si quando placitum nobis, hæc funera Mundo
Pandere, & exactos belli proferre labores :
Tunc ego te Phœbum; Vatem tu, Phœbe, mouebis.
XIV. Phœbus in hæc : (numeros, citharamque adiunxit eburnam.) D 2 Magne

Magne Sator rerum : tibi ſe Delóſque, Claróſque,
Et Patara,& Tenedos,ſertíſque euincta Terapne,
Et Delphi & Phocis, & ſupplex à pede Montis
Parnaſſus noſter, cum toto inclinat Olympo.
Iuſſa, in facta libens; mandata,in carmina vertam.
Omne nemus cauſsâ Iouis,omnia marmora cogam
Admodulante Lyrâ choreas accedere noſtras.
Vnum iſtud vereor : (præſentio mente Futura)
Vt ne inter paucos, æuo labente, Poëtas
Vix vnum inueniam promtum faciléṁque moneati,
Qui moueat ſuper iſta tubam,quæ vidimus,arma.
Inuitos nempe exſtimulem, & cantare rogatos
Pegaſeá feriam pennâ,lauróque coronem!
Valle priùs Thymbræâ, & vtroque abſceſſero colle.
Tempus erit, ſtolidæ cum mentis inertia faſtu
Reddita deterior, quædam mortalia ſtringet
Pectora. erunt, ſua qui ſcitè jactare parati
Somnia in arcano, ceu noſtro immiſſa Cubili,
Me quaſi iam pridem toto cum fonte bibiſſent;
A monte in valles vnquam deſcendere nolint.
Detrectent tumidi gracilis leue carmen auenæ;
Materiæque exilis opus Priameïa Fata,
Iliacas acies, & in Hectora calcar Achillis
Defixum poſcent,ac ſola ad Pergama duci.
Vix dignabuntur metro cohibere leonem :
De vili Ranâ quid ſperem ac Muribus? ignem
Offero cantandum, quo Phyllis ſaucia flagrat ;
Caſſandras laudare volent. placet vna Pelaſgûm
Victima, non totam redimita Polyxena frontem,
Vt videat cultros, atque aræ baſia figat :
Aut Argiua viris Argia ferocior,omneis
Acceptura neces, clauſuráque pectore caſto :
Si modo dilecti reperiret Coniugis oſſa.
Talibus exemplis cupient ſuper ardua ferri
Culmina Pieridum, totóque Helicone recepto
Donari ſeptem folijs, & imagine macrâ.
Non centum, non mille boues ad tenûia ducent.
Id queror ; imbelles, ſegnes,ſine numine noſtro.
Non

Non iussi, inuito me luctabuntur in altum;
Repere quos inter dumos & fraga decebat:
Ad juncum & corylos nullâ virtute mouendi,
Cùm tamen à minimis surgant ad maxima Musæ.
His adeò iam nunc infestum me minor ipsum.
Ite truces tumidíque, & nostro absistite luco.
Inuenient hæc Plectra manus, & fistula labrum.
Ipse tamen meus Alter Ego, quem Mantua felix
Efferet in lucem, Culici canet antè sepulto
Et decus & lessum; quàm Turno in bella ruenti,
Nisóque Euryalóque, & Dardanio Anchisæ,
Et pubi Troianæ ab longo errore parentet.
Non igitur Tu, quisquis eris, qualem modò coram
Præcipio, oblatum verearis spargere bellum
Qualicunque tubâ. juuat ire per omnia vatem.
Sub cedro juuat & lentis cantare salictis.
Et pontum juuat; & modicas innare paludes:
Quanquam quî modicas, si me suadente Poëta
Nauigat. Hanc pugnam, Munus Iouis esse memento
Cælicolis sublime datum, caligine sacrâ
Plenum, ac mittendis in plurima secula fatis.
Nil mage secretum vel ab imâ Phocide, Delphísque,
Ac Tripode, & motâ stagni exardentis arena
Transfumat; nec dicit auis quocunque volatu;
Mystica nec Cereris Lampas, nec monstrat Eleusis.
Omnia portendunt. studeant euoluere verum,
Quorum ego compegi nitido præcordia sensu.
Sume animos facilémque Deum, Germane: canenti
Non abero. Momos, quibus est inamabilis vnguis,
Dens niger, inuisos alijs frenabo lupatis,
Quàm quibus ætheriam soleo frenare quadrigam.
Illorum ante oculos versetur Marsya victus,
Ora lacer, pellem exutus, totúsque cicatrix.
Et mihi sunt Arcus, & nostra sagitta cruorem
Elicit, & nostro sternuntur robora disco.
Ista Intonsus: at hæc intonso Iuppiter. aude
Aude aliquid Fili; patriúmque merebere vultum.
Qui solùm mea furta canunt, aut qui tua solùm,

Nil aliud, nósque ad mensam ridenda propinant
Numina; quo polles jaculo, prosterne frementeis,
Et resupinatos in puluere detege Fucos
Castalij mellis, sacratísque exue sertis.
Interea, ne feda lues & noxia serpat,
(Námq; vides Populum exsanguem, Vulcane, nigrísq;
Muribus admixtas tumulo putiscere Ranas)
Funeream conuolue pyram, flammæque rogali
Hos bellatores impone, cadauera, cæsos.
Ligna ferant Satyri, aduoluántq; è montibus ornos.
Dixit, & ingenti concussit nubila motu;
Atlas quo tergum sentit super astra grauari.
Illum ascendentem retrò sua turba secuta est.
Amphitryoniades toruùm indignatus in Oetam
Concessit, quo prima ferox incendia monte
Pertulit; ambustum quippe & plenum ora fauillis,
Semper ab aduersâ puduit Iunone videri.

HABES, Amice Lector, Batrachomyomachiam Nostram, ex fonte Homeri: vtique enim non de palude, etsi de palustribus, deriuaui largiùs conceptum liquorem, gratiâ Iuuentutis. Ea sanguinis calore feruida, modico aquæ haustu sitim non restinguit. quæ ipsa caussa est, quare Orationes hinc inde dispersas, alternis proferentium animi sui sensa longiusculas maluerim. Quasdam agnominationes confinxi; vt, MVSVLMANNIGENAE, MAVMYADES, &c. quòd existimem similibus, Latini sermonis nitorem propterea non obfuscari: cùm tantummodò sint Nomina Propria & compellationes earum rerum, de quibus reliqua dicuntur. ita integrũ panegyricon de laudibus fortissimi Ducis BLICTRI scribere possis, modò tibi talem Ducem proponas, quem BLICTRI voces. Quæ verò de altero significant, ea sacrosancta habere fas est, ab vberibus Latinæ Nutricis non depellenda. citiùs enim barbaros Vrbe Romanâ donaueris, quàm noua & barbara Verba. quod ipsum olim cuidam Cæsari in faciem obiectum est. deinde ex Mure dices me Elephantum fecisse. Quippe ni? tamen ex Musca fieri potest Elephantus, non terrendus à Musca, cùm terreatur à Mure. Et verò Homeri hæc Audacia est, cui irasci velle, est genuinum & dentes alios omnes perdere. nam siue laudes, siue irrideas; nihilominùs septem Ciuitates de cadauere cæci Poëtæ litigabunt. Quin potiùs ipsum poëma Homeri degustas: id ex Græco translatum, non liberiore paraphrasi, sed strictâ Interpretatione ad literam, vt ne de inuentis illustribus quidquam interuertatur, hoc loco subiungere placuit. Scimus gulam Ingeniorum variare: alijs videbitur superuacaneum: alij, nisi ponam, desiderabunt. Itaque Batrachomyomachia HOMERI in hunc modum se habet.

Incipiens primùm Musarum Cœtum ex Helicone venire, in meo animo preces concipio, gratia cantûs, quem nuper in tabulis meis super genua posui; litem immensam, tumultuosum opus Martis, præ me ferens hominibus in aures omnibus immittere: quomodo Mures in Ranas primas consecuti ierunt, terrigenûm virorum imitari opera Gigantum. Sic sermo inter mortales erat. tale autem habuit principium. Mus aliquando sitibundus, felis periculo exitato, propinquum in lacum teneram adposuit barbam, aquâ delectatus dulci. hunc vbi vidit Limnocharis obstrepera, verbum locuta est tale. O hospes, quis es? vnde venisti ad litus? quis te produxit? omnia verè dic, ne mendacem te intellexero. si enim te noverim amicum dignum, ad domum ducam. dona autem tibi dabo hospitalia multa & bona. Ego Rex Physignathus sum, qui per lacum color Ranarum Rex dies omnes: & me pater Peleus olim genuit Hydromedusa mixtus in amicitia, apud ripam Eridani. & te quidem video pulchrum & fortem, eximium præ alijs sceptriferum Regem, & in bellis pugnacem esse: sed age citiùs tuum genus commemora. Huic autem rursus Psicharpax respondit, dixítque; cur nam genus meum perquiris, ô amice, manifestum omnibus hominibúsque Diísque, & cælestibus volatilibus? Psicharpax ego vocor, filius Troxartæ patris magnanimi. mater Lichomyle, filia Pternotroctæ regis. genuit autem in tugurio me & enutriuit cibarijs ficubus & nucibus; & edulijs omnigenis. quomodo autem amicum facies me in natura nihil similem? tibi enim vita est in aquis, sed mihi certè, quæcunque apud homines, comedere consuetudo. neque me latet panis ter pistus à bene rotundâ mensâ; neque placenta extensa, habens multam sisamida? non sectio ex perna, non jecora albam vestem habentia; neque caseus nuper pressus à suaui lacte. Non suauia bellaria, quæ & Diui desiderant. neque quæcunque ad conuiuia hominum faciunt coqui, ornantes ollas condimentis varijs. nunquam ex bello malum effugi clamorem; sed statim ad pugnam iens propugnantibus mixtus sum. non timui hominem, quamuis magnum corpus ferentem, sed ad lectum iens, summum digitum mordeo, &

ßeo, & à pede accepi, & dolor non occupauit virum. suauis non aufugit somnus mordente me. sed duo valde omnia timeo per terram. Accipitrem & Felem, qui mihi magnum luctum adferunt, & decipulam molestam, vbi dolosum existit fatum. plurimùm Felem pertimesco, quæ optima, quæ me, per foramen perquirit. non comedo raphanos, non caules, non cucurbitas, non betis viridibus pascor, neque apijs. hæc enim vestra sunt edulia per lacum. Ad hæc autem subridens Physignathus contra locutus est. O hospes, valdè gloriaris ob ventrem sunt & nobis multa valdè in lacu & in terra mirabilia visu. Anticipitem enim dedit victum Ranis Saturnius Iuppiter: saltare in terris, & in aquis corpus cooperire. Si autem vis, & hæc scire facile est. portem te in humeris tene autem me, ne aliquando pereas. sic gauisus in meam domum venies. Sic certè, inquit. & terga dabat Ille autem ascendebat velociter manus habens tenerum per collum: saltu facili. Et inprimis gaudebat, quando intuebatur vicinos portus, natatione gaudens Physignathi: sed quando iam vtique vndis purpureis submergebatur, multum lachrymabatur. inutilem pœnitentiam accusabat, euellebat comas & pedes stringebat per ventrem. cor concutiebatur insolentia, & in terram volebat videre Vehementer autem ingemiscebat timoris frigidi necessitate. caudam quidem inprimis extendit in aquis, tanquam remum trahens supplicánsque Dijs in terram venire, aquis purpureis submergebatur: multum autem clamabat, & talem dixit sermonem; ab ore autem pronunciabat: Non sic humeris portauit onus amoris Taurus quando Europam per vndam duxit in Cretam: vt me nauigans humeris superuectum duxit ad domum Rana. eleuans pallidum corpus aquâ albâ. Hydrus autem ex improuiso apparebat horrendum spectaculum vtrisque. erectum super aquam habebat collum. Hunc conspicatus, ingressus est Physignathus, non quidquam intelligens, qualem socium perditurus erat per lacum. Ingressus est autem profunditatem lacus, & euitauit Parcam nigram Ille autem vt relictus est, cecidit supinus statim in aquam. manus autem

ſtringebat, & moriens ſtridebat. Sæpe quidem ingrediebatur in aquam; ſæpe autem rurſus calcitrans egrediebatur. mortem autem non poterat euitare. madentes enim pili plurimum pondus trahebant in ipſo. aquis autem periens tales locutus eſt ſermones. Non latebis vtique Deos Phyſignathe, hoc patrato, naufragum qui jeciſti à corpore, vt à petra. non certè me per terram melior eras, ô peſſime, pancratióque luctáque, & ad curſum. ſed deceptum in aquam me proieciſti. Habet Deus vltorem oculum. pœnam tu ſolues Murium exercitui, neque euitabis. hac locutus, exſpirauit in aquis. hunc autem vidit Lichopinax ripis inſidens mollibus. qui vehementer vlulauit, & currens annuntiauit Muribus.

VT autem didicerunt mortem; ingreſſa eſt ira pernicioſa vniuerſos. & tunc præconibus ſuis iuſſerunt ſub diluculum proclamare ad concionem Troxarta, in domum patris infelicis Pſicharpagis, qui per lacum ſupinus natauit, mortuum corpus. neque iuxta ripas erat iam miſer. medio autem natabat ponto. Vt autem venerunt feſtinantes cum Aurora: primùm ſurrexit Troxartes ob filium iratus, dixítque ſermonem. O amici, tametſi ſolus ego multa mala paſſus ex Ranis: ſors mala omnibus facta eſt. Sum autem ego infelix, poſtquam tres filios perdidi. & quidem primum occidit rapiens inimiciſſima Felis, extra foramen captum. Alium rurſus viri crudeles ad mortem duxerunt vanioribus artibus, ligneo dolo excogitato, quam decipulam vocant, Murium perditricem. Qui tertius erat dilectus mihi & matri inclyta: hunc ſuffocauit Phyſignathus in profundum ducens, ſed, agedum, armemur, & exeamus in ipſas, corporibus exornatis armis varijs. Hac locutus perſuaſit armari vniuerſos: hos quidem vtique Mars, belli curam habens. Ocreas primùm circa tibias poſuerunt, effractu fabis viridibus, benéque aptatis: quas ipſi per noctem ſtantes comederunt. thoraces autem habebant calamis circumdatis à corijs, quos Fele excoriata ſcienter fecerunt. Clypeus erat Lucernæ medius vmbilicus, lancea longa acus; omnino æreum opus Martis. at

tis. at casis in temporibus erat testa nucis. sic quidem Mures erant armati. Vt autem intellexerunt Ranæ, egressæ sunt ab aqua, in vnum locum profectæ: consilium coegerunt belli mali. Considerantibus autem ipsis vnde seditio, vel quis tumultus; Præco venit ferens sceptrum in manibus, Tyroglyphi filius magnanimi Embasichytros, nuncians belli malam famam, dixitque sermonem. O Ranæ, Mures vobis minitati miserunt, vt edicerem armari ad bellúmque pugnámque. viderunt enim per aquam Psicharpaga, quem occidit vester Rex Physignathus. sed pugnate, quæcunque inter Ranas egregiæ genitæ estis. sic locutus disparuit. sermo autem murium in aures ingressus, conturbauit mentes Ranarum superbarum. accusantibus autem ipsis, Physignathus dixit surrectus: O amici: non occidi Murem, neque vidi pereuntem: omnino suffocatus est ludens iuxta lacum, natatum Ranarum imitatus: at pessimi nunc me accusant, qui non sum in caussâ. Sed, age, consilium inquiramus; vt dolosos Mures deperdamus. etenim ego dico, vt mihi apparent esse optima. corporibus ornatis armati stemus vniuersi summas iuxta ripas, vbi præceps est locus. quando autem impetu facto in nos venerint, correptis galeis quicunque prope obuiam venerint, in lacum ipsos cum armis statim deijciamus. sic enim illis suffocatis, qui expertes sunt natandi, constituemus læto animo statim Murium occisorum hic trophæum. sic locutus armis induit vniuersos. Folijs quidem maluarum tibias suas circum cooperuerunt. Thoraces habuerunt viridibus latis à betis. folia brassicarum in clypeos bene aptauerunt. lancea acutus iuncus, vnicuique longus aptatus erat, & galea cochleis subtilibus capita circum cooperiebant. Munitæ autem steterunt in ripis altis, conquassantes lanceas. animo plena erat vnaquæque.

Iuppiter autem vbi Deos vocâsset in cælum astriferum & belli multitudinem ostendens, potentésque pugnatores multos & magnos, & lanceas longas ferentes; qualis Centaurorum exercitus procedit & gigantum, suauiter ridens interrogabat: qui Ranis auxiliatores vel Muribus immortalium? & Palladem allocutus est. O Filia, Muribus nunquid auxiliatura ibis? etenim tuum per templum semper exultant vniuersi, odore delectati, & cibarijs, ex sacrificijs. Sic dixit Saturnius. hunc autem allocuta est Pallas: O pater, non certè ego vnquam Muribus, cum vexarentur, venirem auxiliatrix: quoniam mala multa mihi fecerunt, coronas destruentes & lucernas, caussa olei. Hoc autem meam valdè momordit mentem, quod fecerunt. peplum meum corroserunt, quod texui elaborando ex trama subtili, & stamen subtile neui, foraminaque fecerunt. at sutor mihi institit exigitque à me vsuras: huius gratiâ irata sum. Mutuata enim subtextum, & non possum restituere. Sed neque Ranis auxiliari velim: sunt enim neque ipsæ mentibus firmæ. Sed me primùm ex bello redeuntem, postquam valde defatigata fui; somno indigentem. non permiserunt tumultuantes parum oculos declinare. ego insomnis jacebam caput dolens, donec clamauit gallus gallinaceus. Sed age cessemus Dij ijs auxiliari, ne aliquis vestrûm vulneretur telo acuto. sunt enim cominus pugnantes, etiamsi Deus contraueniret. omnes autem de cælo delectemur litem videntes. vt dixit, huic post paruerunt Dij alij. Omnes simul autem collecti venerunt in vnum locum.

AT venerunt Pracones duo signum belli ferentes. & tunc Culices magnas tubas habentes vehementer tubâ clangebant belli strepitum. cælitus autem Iuppiter Saturnius intonuit signum belli mali. Primus autem Hypsiboas Lichenorem vulnerauit lancea, stantem inter propugnatores, per ventrem in medium hepar. concidit ergo pronus & teneras puluere fœdauit comas. Troglodytes autem post ipsum jaculatus est Pileona. infixit in pectore solidam lanceam. hunc autem cadentem cepit nigra mors, & anima

ex cor-

ex corpore euolauit. Seutlaus occidit percusso corde Embasichytrum. Artophagus autem Polyphonum per ventrem percussit qui cecidit supinus,& anima membra euolauit Limnocharis, vt vidit pereuntem Polyphonum, Troglodyten petrá molari vulnerauit. praueniens collum iuxta medium huic igitur caligo oculos operuit. Lichenor autem ipsius obseruabat lanceam lucidam,& percussit (neque aberrauit) per hepar. vt autem intellexit Crambophagus, ripas profundas incidit fugiens. sed neque sic effugit in aquam impulit enim ipsum. qui concidit, nec respirauit tingebatur sanguine lacus purpureo. ipse iuxta littus extensus est, intestinis pinguibus impetu ruens in ilia. Limnisius autem in ripis Tyroglyphum spoliauit. Pternoglyphum conspicatus Calaminthius in timorem venit. saltauit ergo in lacum fugiens, clypeo proiecto. Hydrocharis autem occidit Pternophagum Regem saxo percussum per guttur. cerebrum autem ex naribus stillabat. polluebatur sanguine terra. Lichopinax occidit irreprehensibilem Borborocœten, lanceá impetu facto mox caligo oculos cooperuit. Prassiphagus conspicatus pede traxit Cnissodioclen, in lacu autem suffocauit, comprehensá manu ceruice Psicharpax autem vltus est socios mortuos, & percussit Pelusium in medium hepar. qui cecidit illi ante, anima ad infernum iuit Pelobatus conspicatus luti manipulum jecit in ipsum, & frontem inunxit & excæcauit propemodum iratus est certè ille, vbi cœpisset manu forti, qui jacebat in campo lapidem, ponderosum pondus terræ: hoc percussit Pelobaten sub genua. tota autem fracta est tibia dextra, cecidítque supinus in pulueribus. Craugasides autem vltus est, & rursus ibat in ipsum: percussítque medium per ventrem. totus ei intrò actus juncus ingrediebatur, & humi effundebantur vniuersa intestina, extracta á lancea manu graui Sitophagus autem vt vidit in ripis fluminis, claudicans ex bello recedebat, & angebatur valdè, saltauítque in fossam, vt aufugeret diram perniciem Troxartes autem percussit Physignathum in pedis summitatem, qui celeriter, quoniam angebatur, saltauit in lacum fugiens. Troxartes vt vidit adhuc semiuinum, qui antè ceciderat, & iteri

illi incurrit rursus occidere desiderans. Prassæus vt vidit adhuc semiuiuum, qui antè ceciderat, venit per propugnatores, & iaculatus est acuto iunco: neque fregit scutum: tenebatur autem ipsius lanceæ acies.

Erat autem quidam inter Mures iuuenis filius egregius inter alios, cominus pugnans, charus filius irreprehensibilis Artepibuli, Princeps ipsum Martem ostendens, robustus Meridarpax, qui solus inter Mures dominabatur pugnando. stetit autem iuxta lacum elatus solus ab alijs. iactabat verò se depopulaturum Ranarum genus bellacium. & certè perfecisset, quoniam magnum ipsi robur erat, nisi statim intellexisset pater hominúmque Deorúmque, & tunc pereuntes Ranas miseratus fuisset Saturnius. moto autem capite talem locutus est vocem O Dij, certè magnum opus in oculis video. Non parùm me stupefecit Meridarpax, per lacum trucidare Ranas desiderans. sed celerrimè Palladem mittamus, tumultuosum item & Martem, qui ipsum arcebunt à pugnâ, robustus quantumuis sit. Sic locutus Iuppiter. Mars respondebat sermone: neque certè Palladis, ô Iuppiter, potentia, neque Martis, poterit Ranis auxilio depellere diram perniciem. sed, age, omnes eamus auxiliatores: vel tuum iaculum moueatur magnum, quod Titanas sustulit horrendum operans: quo Titanas occidisti egregios vltra omnes, Enceladúmque ligâsti, & agrestia genera gigantum. Sic certè dixit. Saturnius autem iaculatus est ardens fulmen. primùm quidem intonuit, magnúmque commouit cælum. sed postea fulmen, terribile Iouis telum, misit inuoluens; illúdque euolauit è manu regis. omnes quidem vtique terruit iaculatus Ranásque Muréisque, sed neque sic cessauit Murium exercitus sed adhuc amplius cupiebat depopulatum ire Ranarum genus bellacium: nisi ab Olympo Ranas miseratus fuisset Saturnius, qui tunc Ranis auxiliatores illicò misit. Venerunt autem ex improuiso habentes incudes in tergo. vngulis curuis obliquè ingredientes, tortuosi, habentes forsiculas in ore, ostripelles, ossei naturâ, lati

lati humeros, rutilantes in humeris, blæsi, neruosis ceruicibus; à pectoribus intuentes, octopedes, bicipites, manibus qui capi nequeant, (illi autem vocantur Cancri) qui Murium caudas oribus incidebant, etiam pedes & manus. Flectebantur autem lancea. quos & timuerunt miseri Mures, neque sustinuerunt. In fugam ergo vertebantur. occidebat autem sol iam, & belli finis vnius diei perfectus est.

'Atque

ATque hæc est illa Lacubus & Cauernis nota Mæonij Varis Batrachomyomachia. Lector: in quam Olympiaden arbitraris incidisse? Multi multa coniiciunt, plures omninò tacent. plerique annum indagare desperant. Existimant autem Principi Poëtarum fidem habendam: SACRVM SOMNIVM, ex animo demisso venerandum potiùs quàm temerario vague excutiendum esse. Quanquã nullus dubito, quin ipso Homero adhuc in viuis canente, fatalis hæc pugna, ceruicibus Græciæ magna ex parte iam incubuerit.

De NOSTRA quid sentis? cui tempori imputatur? omne, an aliquod præsagium iam impletum. Equidem Bellũ formidolosum, euentibus & mysterijs stipatum ante oculos jatet. Saperdæ omnia exploraturi, ipsi Delphos mittant Legatos, offerant tributum curiosi laboris: ipsi scrutentur, & Apollini (si domi sit) supplicent, in clara responsa sollicitando. Ego pedem hinc extrico. Quid igitur præfatus sum: me scienter fixisse signa, sub tentorio & ænigmate excitantia pruritum fatorum & indagandi cupidinem. Ita est. pleraque non nescio. Et hercule, propiore coniecturâ assecutus, crediderim bonam partem huius Batrachomyomachiæ fuisse à Bellis Punicis exhaustam. Ita lib. 3. num. 4. ipse Iuppiter orans persuadet. possit videri Mausolus sustinere personam Annibalis, Mures Carthaginiensium. nam quid nigri semper & Mauri, Maurusij nominantur? Cur Mausolus lib. 3. num. 7. iactat Punicos astus, & multum Afri, &c. Vt contrà Batrachos, veteres Romanos esse necessariò intelligas. Physignathus furiosus & turgens, quid si Flaminius sit, homo temerarius, contra auspicia profectus! quid si M. Minutius aut Terentius Varro? De Lacu dubitas? I vise Thrasymenum Lacum, & miraberis horrendas cædes Batrachorum. adi Cannas, locum palustrem, vligine obsitum & cannis, amica Rannis nomina. piô! qui aceruì cadauerum. cæsa eo prælio Romanorum quadraginta quinque millia, cum Paulo

Con-

Consule & Senatoribus LXXX. consularibus atque prætorijs, aut ædilitijs triginta. quæ nota sunt. Fabius M. Seutlæum imitatus, Limnocharin Romam captiuam liberauit. Naturâ & Bonâ Causâ apud Iouem perorante, Maurorum vis elisa est. Annibal, Scipionis Africani chelis incisus (cancri signum, vt quidam tradidere, corpori à genitrice impressum gerentis) ex Italia in patriam fugere coactus, denique miserando Fato occubuit Quo Myocephalo quid vnquam truculentius extitit? in quas non formas se, indole Mausoli, mutare nouas ausus, aliam semper aliámque barbam, & capillamentum nouo mutauit. Dices: Mures senatum coëgisse, consules adfuisse, lictores, fasces, secures, signa vtique Romanorum, non Carthaginiensium. Respondeo primò: à Vaticinantibus peristases misceri: neque necessum esse, vt omnia in quocunque genere similia inuenta, modò potissima exhauriantur. deinde Carthago æmula Romæ, plurimis ornamentis tantæ Reipublicæ respondit. Annibal omninò contemtor Vrbis à se propemodum saltu superatæ, Capuæ in Campania, togas ritúsque Ausonios imitando, in ludibrium dedit. Si interroger, quis Maurus Psicharpax submersus sit: quærendum potiùs censeam, quot Pœni primo secundóque Bello Punico occisi sint: dum Sardiniam, Siciliam, &c. (micas scilicet Imperij Romani) clandestinis furtis subtrahere certârunt. De fæce militum ac vulgo non laboro. Artemisia Carthago est, cum mortuo Annibale suo exstincta: aut tota Africa, submissis semper nouis suppetijs, commeatu armísque instructa, furens instar Libycæ Leænæ. Sed hæc hactenus: nec plura: ne Ingenioso Lectori diffidere videamur. At enim & sequentibus seculis, non vna Batrachomyomachia Orbi puniendo obrepsit. In Pharsalia simillima sæuijsse videtur. Immò de integro veros Mures ac Ranas concurrisse, eodem tempore, quo Gener & socer conflixere, docent Historici. námque tunc vniuersus Orbis pluribus prodigijs laborauit. astra cadere

visa

visa. de cælo Capitolium tactum. pecudes locutæ fe-runtur. sanguine & lapidibus pluit. pluisse etiam Ranis in comperto est. quanquam Batrachomachiam, & ciuile bellum inde exortum faciliùs credo. tamen non absque caussa quærendo metuit Troxartes lib. 1. num. 3. *Si pluit aut cepis, aut, quòd pudet edere, Ranis.* Et verò his interea se titillet Animus ad vlteriora tempora non progressurus. potest tamen progredi. Sisto priùs Synopsin, quàm alium vsum Nostræ Batrachomyomachiæ.

SYNOPSIS

LIBRI PRIMI.

I. Limnocharis Ranarum Regis Physignathi soror, occasio prima belli; cum Psicharpage Musculo è lacu bibente, Fatis ita ferentibus, orditur alloquium, miscétque sermonem & aquam.

Exigua caussa ingentia sæpe bella mouere.
Vnica vox seciùs accepta vicem classici fuit.
Tria verba armatos sternere exercitus.

II. Frater Physignathus interuenit, seu casu, seu saltu: ambigi enim potest. Is, vt genium Hospitis ad ripam stantis irritaret, Regni sui delicias palustres, inflatis buccis fastuosè iactat.

Adhuc verum illud: *Natura beatis omnibus esse dedit, si quis cognouerit vti.*

III. Musculus luculentâ Oratione, non minùs suæ gentis fortunam moréssque depingit, & præfert multis Persicis parasangis.

Non quod quisque habet, hoc bonum: sed quo quisque contentus est, hoc iucundum.

IV. Physignathus obijcit subeunda Muribus discrimina; (Psicharpage tamen omnia extenuante) Ranarum securam felicitatem extollit denique multis vtrinque acceptis & redditis vocibus, Stagni sui fines in Palatium, se in nauim & Argonautam offert.

Exeat Orbe, omnia qui metuit discrimina: nam Vitæ hic modus & ratio est, vt non secura sit vlla.

Qui

Qui fit, quòd plures malint esse miseri quàm videri!

V. Nempe pretiosa inuitatio & vanitas promissorum distrinxere adipatum ingenium curiosi Músculi. Auribus accepta oculis vsurpaturus, trahitur cupiditate visendi. Mox Ranam naualem conscendit, experturus etiam suo damno Maris pericula,

Sensim ad decliuia fertur Mens blando pulsata malo.

Hominum vesana cupido Inuenit naues, & monstra natantia vidit.

Ausus sese committere vento atq; Mari. quidnis audet.

VI. Physignathus ab serpente (Balænâ Lacûs) emerso ex aquis conterritus; seu dolo malo, seu metu vano subducit tergum insidenti Psicharpagi. is destitutus carinâ, medio in gurgite submergitur; Dijs & Socijs in vota ac suppetias nequidquam vocatis.

Iustè naufragio perit,

Qui non naufragium fugit.

Ridet Neptunus, Nauta deflente cadauer.

SYNOPSIS

LIBRI SECVNDI.

I. POsteaquam cari funeris tristissima percrebuit fama: Troxartes Psicharpagis submersi Pater, pæne vltra Muris nigri vires, irâ excanduit.

Nam qua orba est catulis, quaque fera est Tigris.

Hac & peior homo, cùm furere incipit.

II. Cogit altero statim die, quanquam nubilo senatum, exploraturus vltricem sententiam.

Si vlla in re deliberandum est, maximè vbi bellum suscipiendum: multò maximè, an inferendum.

III. Eum in finem coram socijs ferociter perorat. irâ magis & dolore, quàm consilio agitante animos, bellum in Ranas decernitur, volente ac iubente S. P. Q. M.

Cùm surda sunt aures, obstrepente ira, gratis cogitur senatus: & quid nisi Tiberiana ludibria exspectat?

Iniustum bellum Turcarum est, quod sumto opio meditentur.

IV. Bel-

IV. Bellicæ feruntur Leges. arma paraturi domum discedunt.

Vbi nullis legibus ensis seruit; ibi potiùs credas certare latrones.

V. Tertio die in campum descendunt, muniunt castra. censentur milites. furor & dolor arma ministrant.

Formicis sua bilis inest, & Muribus ira.
Nil adeo vile est, quod se non vindice læsum
Vtatur.

Rectè Quidam: *Castra opportuno loco & in tempore munita, tentorium sunt victoriæ.*

VI. Vastam multitudinem, sed capite, hoc est, belli Duce destitutam, prope in fatale dissidium scindunt duo nequissimi Myocephali: dum se ad duellum prouocant, flagrantes ambitione Imperij.

Quid prodest vastum Polyphemi corpus in antro,
Cum monstro horrendo, informi, sit lumen ademtum.
Quid faciat miles validis robustus in armis
Sublato Duce? sternetur, tumulósque cadendo
Implebit.

Nunquam minùs in bello necessaria Ducis præsentia cognoscitur, quàm cùm præsens est: nunquam magis, quàm cùm abest.

Reges, florentia Regna qui vultis seruare diu, prohibete duella.

VII. Iuppiter tumultum plebis sedaturus, in eligendum Imperatorem belli, excitat Mausolum. stupenda huius Regis metamorphosis, plectente Nemesi rapinas. eius oratio, electioque bellum promouent.

Vt nulla cinerum virtus includitur vrna;
Sed sanctas sequitur nunquam reuocabilis Vmbras:
Sic etiam nigris hærent post funera noxæ
Manibus; & viuos Fures monumenta loquuntur.

VIII. Tyroglyphus ferocis ingenij musculus, nomine Mausoli, Physignatho Regi Ranarum, bellum imprudenter denunciat.

Furiosus Legatus; etiam cùm pacem offert, tuba canit,

non

non facilè mittendus Refert, quis Martem ad conuiuium inuitet.

IX. Physignathus irritatus superbè respondet, bellum acceptat. vrit Legatum sarcasmis. omnem Paludem in arma vocat.

Periculosum est, hosti quantùmuis debili, in proprio Regno, minaciter deferre bellum. tenuis vapor, collectus primò in nubes, deinde etiam in tonitrua & fulmen euadit.

X. Ranarum arma spirantium votum ad Martem. Rectè Veteres: *Ante tubam fer tura Ioui, fac vota Gradiuo.*

Impius miles, accusat cæcitatis, ad se venientem Victoriam.

SYNOPSIS

LIBRI TERTII.

I. IVppiter Editor huius cruenti Muneris siue Batrachomyomachiæ, accito primùm Marti, mentem suam ludibundus explicat.

II. Illi verò fastidiosis auribus propositum accipienti, Pater opportunè salutare suæ mentis aliud Decretum ingerit.

III. Stomachantis Gradiui inflammata Oratio. indignatur numen altissimis rebus ab omni æuo destinatum, nunc quidem ab Ioue putidis Muribus ac Ranis bellaturis præfici.

IV. Placando Marti Iuppiter Batrachomyomachiæ mysticum spectaculum aperit. docet prolusionem duntaxat esse crudelissimorum inter homines conflictuum, qui ex Fatorum speculâ euolaturi, posteris seculis ingruent.

V. Æui nostri ferrei non perfunctoria mentio facta, mirè Martem exhilarat.

VI. Acquiescit Mars consilio Iouis. Dij Deæque, exceptâ Iunone, conueniunt in pensili nubiũ theatro.

VII. Pallas à Genitore rogata, vt Mures tuetur in acie, ore rotundo abnuit. caussas affert. palmariam

riam scilicet, à Myocephalis erosum summæ elegantiæ Peplum.

VIII. Eius, quantum reliquiæ permittunt, Descriptio.

IX. Famosi Gigantis huius æui M. DC. tragicus exitus, & facta, in Palladio Peplo signata.

X. Sed & Latona Ranis certantibus præesse detrectat; nec immeritò.

XI. Indigna Veneris querela contra Musculos.

XII. Iouis Pathetica oratio, Cælicolas accersitos docentis caussam permittendæ Batrachomyomachiæ.

SYNOPSIS

LIBRI QVARTI.

I. Tyroglyphus redux, exponit Mausolo Physignathi fastum & minas. vociferatur, omnia hostilibus in armis esse. tota Mauritania in defensionem & occursum excitatur.

Iacta est alea: transiuimus Rubiconem. Ante statuam Martis, diu & maturè delibera: nam belli semel suscepti impetum sistere, non cuiusuis est.

II. Vtraque acies aduersa sub teli iactum educitur. Physignathus princeps adoritur Mures. mutuis vulneribus strages accumulat primus furor.

Aciem & conuiuium instruere, eiusdem artis esse, scitè dixit Paulus Æmilius.

Primo congressu, vter exercitus superaturus sit, ne Mars quidem nouit.

III. Duûm Musculorum Fratrum memorabilis cædes. Limnisij item & Polyphoni Batrachorum. Tyroglyphi ferro flammâque grassantis rapidi successus.

Multa cadauera, & hostium quidem, non sunt signum victoriæ.

IV. Murium in pugnando secunda fortuna. Ranæ turmatim funduntur. Limnocharis capitur.

Fortuna vbique aliquid potest; in bello omnia.

V. Sce-

V. Scelere Lichenoris, Hypsiboanta tubicinem contra ius gentium violantis offensa Bellona, desertis Muribus, cum Ranis facit.

Quà non videtur Deus, humanis interest. inquit Publ. Syrus Mimus.

Vis miles Rhamnusiam videre? occide innocentem.

Impietas cùm gaudere vult, se ipsam destruit.

VI. Physignathus collecto suorum agmine, secundùm concionem militarem habitam, inuectus in hostem, ingentem stragem Murium edit.

Præsens periculum, cùm exsorbendum est, perdit medium nomen.

Spes, deuorata mente, spes est pertinax; Et,

Illicium honestæ mortis, est ipsa desperatio.

Necessitas extrema, est antecedentium fames, omnes consumit.

VII. Bellicosus interitus Artepibuli, quem Musculum incredibilis nequitiæ, ex Thessalia oriundum, & ab vnguiculis primóque furto magicis herbis nutritum, ideóque præfidentem in bello, Calaminthius insignis heros ex Batrachis, summâ virtute sternit.

Timoris arguitur miles, qui herbis, & non ferro fidit.

Fortissimorum legio scribi potest, prudentium vix manipulus.

VIII. Artemisiæ Amazonis pharetratæ spectata laus in armis. animus & ferocia plùs quàm virilis.

Feminarum est, vehementer velle.

Femina in omni animalium genere crudelissima, quod agit, satagit.

Est cupiditati & ipsa tarda celeritas.

IX. Troxartes senex, Pater Psicharpagis, pugnando occumbit. Borborocœtes, alter Tydeûs vtitur belli successibus, & sæuit.

Dixit Quidam: *Senilis ira, aristæ ad instar rumpitur.*

In bello clemens est, qui nullum bis occidit.

X. Ranæ magnâ Murium cæde factâ, per aciem diuisam ad ipsum Mausolum penetrant. Limnocharis captiua vinculis eripitur, funera-

Nec ridenti Mari fidendum; nec irato Marti diffidendum esse; Quidam monuit.

XI. Seutlæi Batrachi strenui bellatoris cædes. Mausolo vltimâ desperatione sæuienti dehiscit tellus. interitus Duce Myocephalorum dignissimus.

Quid titulos iactas, ferrúmque nocentius auro victor ouans? sorbet tamen omnia denique fossa.

XII. Ranarum in exercitu fremitus exsultans. Io triumphe!

Nullum lucrum luculentius Victoria. pressis tamen manibus tenenda: nam vt fortuna, lubrica est.

SYNOPSIS

LIBRI QVINTI.

I. Batrachorum triumphus ante victoriam, otium vituperabile, damnosa securitas.

Victor timere quid potest? quod non timet.

In bellicis nihil tutò contemnitur.

QVIS HOC PVTASSET, *aut vox est inertium, aut nimis felicium.*

Securitas victoris, victoria est occasio

II. Artemisiæ oratio Polemica. eâ Musculi animantur & instaurant vires, nunquã magis metuendi.

Est aliquid, armata mulier, & loquens.

Etiam spei fit caussa, desperatio.

Fortitudo, qua deinde in neruum erumpit, ferrea est.

III. Ranæ socordes inopinis armis obruuntur. Hydrocharis innocens cum nocentibus perit. Borborocœtes, Pelusius, Calaminthius fortissimi milites sternuntur. Rex Physignathus hastâ confoditur.

Omnia in bello valent, præterquam vna excusatio.

Virtutis est, victoriam consequi; ea frui, felicitatis.

Didicit Achilles & Dea natos mori.

IV. Mures crudeliter victoriam exercent, deleturi ipsum nomen Batrachorum, nisi Natura omnium parens

parens, maiore quàm tribunitia poteſtate vſa, diris votis ac propoſitis intercederet.

In triſtibus mage ſerues quàm in lætis modum.
Fulmen eſt, vbi cum poteſtate habitat iracundia.
Felicitatem frena, faciliùs reges.

V. Facundi doloris Oratio, quam ex viſceribus Natura miſerans effundit apud Iouem, & Ranarum cauſſam agit.

VI. Repentinus Iunonis aduentus, diuturniotem ſuam abſentiam excuſat, & perorantem Naturam iuuat.

VII. Annuit Iuppiter Naturæ precibus, impetum Muſculorum ſiſtere, & ferociam domare paratus, molitur fulmina.

VIII. Ea Meridarpax inſuper habet. vapore tonitrali nequidquam terretur, Myocephalus ipſo Mezentio contemtore Deûm improbior.

IX. Hercules in proteruos Mures clauam exercere prohibitus, ſui ipſius probri materiam ſeminat.

X. Dedignatus Iuppiter fulminare putidam Muſulmannorum nationem; eam Cancri cæleſtis, fraternis cohortibus armati, occurſu diſſipat.

Semper Iouis tali cadunt feliciter.

XI. Enimuerò clypeis haſtiſque proiectis, fugitiui ex acie Muſculi, in hereditarios hoſtes incidunt. Feles fame propemodum enectæ, iterum tripudiant.

Bellum inchoant inertes, fortes finiunt.

XII. Iuppiter priùs quàm ſpectaculo finem imponat, fabam ludificationis in Herculem commentitum cudit. Deſcriptio fulminis primæ magnitudinis, & ex intimo Iouis theſauro depromti.

XIII. Hercules immani confidentiâ, hoc fulminis genus contrectaturus, fit toto fabula cœlo. eiuſmodi telum Iuppiter minatur, inuito ſe, huius Ba-

trachomyomachiæ in modum Romani Muneris editæ, notitiam publicanti. Phœbo negotium dat, vt Poëtam tempori hæc bella descripturum prouideat.

X I V. Offert se, suósque, Genitori Apollo. Simul tamen explicat difficultatem impositæ prouinciæ; quando præsentiat paucitatem Vatum tractabilium, neque dedignantium, etiam humilibus & minimis reculis (Muribus vtique ac Ranis) obsequium impendere.

VSVS

VSVS BATRACHOMYOMACHIÆ ETHICVS POLITICVS AC POLEMICVS.

CVm ex numerosi sententia Flacci; *Et prodesse velint, & delectare Poëtæ*, eò scilicet ego quoque cursum direxi. Phœbo abscedente, simul à cantu color natiuus mihi redijt; rapui nonnunquam depositâ tubâ calamum, & exploraturus sententiarum veritatem, defixi illum in certo versu; plurimùm autem, vt quisque se obuium tulit expendenti. Quoties mecum: *Mures istud ab Hominibus, an hi ab illis didicere? Quid Homo colludit moribus Ranarum? Nempe hoc non inter Mortales etiam?* erupi denique in hanc vocem: QVANTVM EST IN REBVS INANE! quam ab Æneatore Cupidine exceptam, præfixámque Poëmatis fronti notaueris. Veruntamen paucos Versus & paucis trutinaui. momenta consignaui stylo, nec Oratorio, nec Historico; sed ab vtroque diuerso, & in vtriúsque confinium procurrente. reliquias poëticæ tempestatis, tametsi languidæ iam ac desinentis, dictio hæc seruauit. quemadmodum mare videmus post æstum, etiam dum sternitùr ac detumescit, extremis crispari fluctibus; qui ad littora reuoluti, sensim magis ac magis decrescunt, donec pelagus omnino, velut marmor, immotum stet.

EX LIBRO I.

Atque ea voluenti sese aspectabilis offert Limnocharis, fol. 1. f. Habes facem & Helenam huius quoque belli, femineum nomen. Et verò cui cladi, aut voluptas caussam non dedit, aut femina non tædam admouit? Sub Paride lusco staret adhuc Ilion. Vnus Lenonis oculus, Asiæ oculum extinxit. Rapta facies Adulteræ, flammam sparsit, vsque ad proximum Vcalegonta manantem. Vide item, vt Turnum concitet Lauinia, Antonium Cleopatra, sexus inermis armatos viros! Nuptialem chorum sæpe Bellona duxit; Hesperum, Martis ferale sidus fugauit. Non loquor de raptis Sabinis. exempla recens à Venere rubentia considera. Anna Britannica Maximilianum I. & Carolum IX. Galliarum Regem collisit. Cùm speraretur Thalassij limen aperiendum; Iani portas effregit furor. sonitum mollis Epithalamij, forte classicum excepit. Clotildis Clodouæi Filia, imbutum cruore suo sudarium, velut vexillum sustulit; Childeberto Chlotario & Theodorico fratribus, contra Almaricum Coniugem suscitatis. Elephantos fuisse credas? ita stimulati conspectu sanguinis, infremuere. conclamatum ad arma. deleta Visigothorum res est. Sorori litatum excidio regni. Nulla, vt scias, aut raræ Mulier, in cladem sterilis est. bellare si nequit, parit bellatores. Sfortiæ Mater, viginti; Iocastæ vterus, quantum nefas, quæ monstra militum!

Cur nostra venis ad littora Maure? f. 1. p. Miratur Limnocharis Musculũ Terrigenam oberrare littus palustre. Quippeni mirentur Nereides hominum potiùs insaniam, è puluere ac natali solo, ad syrtes, & infamia naufragijs saxa properantium. Non lacus modò, sed & maria deprædantur. Quo vos Argonautæ? poterant Tritones alloqui. Quis furor est, emere mortem, mercari pericula tantis impensis! cauâ trabe suffulti percurritis ignotam viam. non nouimus istud remigum genus. terra contenti estote. quid Oceanum incestatis? delectati terroribus, altum petitis,

titis, vt trepidetis ad vesperam. Cæterum dicta hæc in ventum abiere, quo propulsa classis secuit fluctus. Pergunt temeratores naturæ, & Nymphis ipsique Neptuno insultant. Castor & Pollux sparsere nuces; alij dolia, lusuri cum Dijs, velut Britanni cum Balænis. Orpheo canente, in omnia discrimina itum. Tanti, ex auro putris ac scabiosa pellicula! Quid posteri? Columbus, Cortesius, Nonius Almayrus, Pizarrus, Magellánius, Serranus, Vesputius; vincunt te puerum Iasona: vincunt Bataui, quid dubitas? Possis meticulosus haberi; & paullo audacior Piscatore, victum quærente in cymba palmari. Ista Mortalium frusta in fluctibus ludunt, vt Schœnobates aliquis in fune. claudatur mare: Hollandi in terra velificabuntur. Mauritij Nassauij quadrigæ, naues sunt. dat curribus Austros. O quantis natura laboras prodigijs! Gaudeat Catonis vmbra exemta rebus humanis. nauigare nunquam sustinuit flumen: at iam etiam in continenti debeat, rostratâ rhedâ, supparis volantibus, anchorâ ad temonem appensâ.

Ex quo fonte fluit generosi sanguinis humor? fol. 1. p. Ita comparati sumus. ingressi sermonem, statim cunas & genus inquirimus; quando virtus expendenda foret. prolabimur ad Ouum Ledæ, ad Equum Troianum. Atqui vera virtus non cadit in terram, vt cæteri infantes; non inuoluitur fascijs; nullam grauat obstetricem. De puluere surgit, de cuiusque cerebro, vt Pallas de Iouis vertice prosilit, cum hasta & clypeo Quid deuolueris ad segmentatos toros, & prosapiam meliùs tacendam? omnis sanguis concolor, plebeius & regius. purpuram & tritam lacernam discriminat coctus murex. arbitratus est autem Miles aliquis, iniuriâ se affici, quòd originem quæsiuisset Imperator. Bellona, inquit, me genuit; Mars auspicijs Geticis lustrauit infantem. Victoria nutrix fouit sinu; cadentem de Matre, clypeo excepit. ego vix auras traxi, & iam allisi vagitum vmbonibus. Medius fidius, animosè in paucis!

Semideos, Phœbóque satos Hyperione, multa commendant; blandi mores, concordia, virtus f. 1. f. Ranas omnes vnus Lacus capit, nec in multa stadia diffusus. Duos sæpe homines, non integrum regnum. potestas Imperij consortem non patitur. Generum & Socerum, Magnum & Iulium, vniuersus Orbis non cepit. Fleuit Natura, vt ego quidem arbitror, ab funesto partu horum duûm mortalium. risit ambitio, & se superari mirata est. Vt Cæsarem sua purpura tegeret; Patria, Ciues, Senatus, & *alter Senatus* Cato, tingendæ chlamydi sanguinem dederunt. iugulos parentum mucronibus hausere Filij, facturi viam Dictatori, *caluo* parricidæ, ad Capitolium & Coronam. Vidit hoc mons Tarpeius, & intremuit. vidisti hæc Roma, & oppressa indoluisti. Audisti hæc Rubicon, & cruento fluctu reuersus ad fontem illachrymasti. Discordia lacerauit inclytam gentem; & manus plenas trophæis, in viscera triumphantium, miserabili situ conuertit. exemplum ab Æuo dolendum. vtinam vnum.

Mihi cespite paruo exstructas Fortuna casas sine crimine seruet Incolumes f. 3. p. Beneficium à Diuis immortale accepit, cui regnator animus, etiam in casa, amplitudinem Regni præstat. Caruit eo Lucullus centum hortorum possessor. caruit Macedo, Pellâ non contentus: extra anni solísque vias, Mundíque Zonam victorijs ductus, an insania raptus! siste prædo gressum, & figulis Babylonicis procumbe. Quis Stygem tibi potandam dedit; vt denique disceres in sandapila mensuram corpusculi tui, Auroræ frena fatigantis? septem pedes longus iaces: viuens in solio habebas octauum? Quid humile tugurium, boni non præbet Cultori suo? elaboratum de dulci flore somnum; & purum, & gratum, & facilem & iucundum: vitam illimem tam curis, quàm vino sobriam; sana corpora, paci bellóque apta. Ex Casa fortissimi quique Duces & optimi Consules prodiere. Trabeas ad stiuam induit Serranus. Curius hodie messem

ſem collegit: alterâ luce, hoſtium ſpolia Capitolio inuexit. illud, Horreum vocaſſes victoriarum: nam hæ ab eo, velut mergites accumulabantur. Fabricius, Quintus, ante Boues ſteterunt vomere terram proſciſſuri, quum eos trepida Roma bello præfecit, aratrum vrbibus inferre iuſſos. Tales tantíque viri mapalibus egreſſi. In aulis regnauere Caij, Domitiani, Commodi, &c. immanes, ignauæ, coronatæ belluæ, natæ ad ſæuiendum, Patriam ſedibus ſuis, ſi poſſent, eliminaturæ.

Hic totum poſſidet Orbem, cui natura, SATIS. *f.* 4. *p.* Frugali ruſtico, vt dictum, caſa Palatium eſt: Tyranno ſeptem montes, inſtar nidi ſunt. iunge Pelion Oſſæ: vltra tendent. æſtuant ſub laquearibus altis, & magno ſumtu ſtolidi quietem, maiore emendam, arcent. quam vtique non magna domicilia conciliant, ſed reducta vallis, nemus vmbroſum, madida virga, papauer, garritus riuuli. altior ædificij moles ſuperuacuum ſpatium; multæ diuitiæ, inutilis gleba. cui natura pallorem induxit, hominum furor æſtimationem. Metalla natiuam indolem ſecuta, fugiunt rapaces manus, & in cauernis montium habitant. quam feritatem humana cupiditas mollit, reducit ac polit. Omni luxuriæ inſtrumento aurum ab inferis arceſſitur; vt fulgore vano deludat, terrore vero cruciet. Quotus eſt, cui Natura SATIS? Argento nectuntur Indicæ trabes. lacunar conſurgit electro, magníſque nugis ſtellatum reſplendet. Nihil vnquam audiſti de Caligulæ Flora & Floralibus? Nihil de Heliogabali vinoſo lacu, temulentiam deſpumante ſuam, ad vſque Bacchi contemtum? Nero profluuium impenſarum, Romam ſuam inter Fabros ſandapilarum decoxit. Nota huius gnome. *Hoc agamus, vt nemo quiſquam quidquam habeat.* Omnium damno & rapinâ vixit. Pranſurus, accubuit volubili Machinæ. Aſtríſque nedit conuiuium, circum menſam balſamo ſtillantem rotatis. omnia vernabant roſis. Menſis Maius, in vincula ſertorum coniectus, effugere non poterat olidum laſciuiæ portentum.

Qui bonus est, bene natus hic est: &c. fol. 4. *p.* Nam solum nomen hereditarium est. Virtus cum ijs manibus perennat, quos insedit, immobile sui possessoris bonum. Ad sceleratum aliquem Catilinam, aut Cethegum, Gracchúmue tunicatum non transit. Camillo satus, Brenni filium retunde, excussâ bilance; & credam te Camillum.

Odi *Socraticos pluteos vacuúmque catinum Pythagoræ. fol.* 4. *f.* Epicuræus hic Musculus est; non facit cum Philosopho, qui ventri indulsit non omne legumen. Homines: quam verò vos sectam? plerique Aristotelem crepant, emunt Pittacon, Archetypos in pluteo seruant Cleanthas. dicam omnia? *Et Curios simulant, & Bacchanalia viunt*; vt rectè Satyricus canit. Philosophus es? nempe Platonicus. vt quid igitur odisti meditationem mortis, domitricem voluptatum, exstirpatricem affectuum? Vera sapientia ficto gaudio non polluitur; neque finit animum ad ignobile facinus deduci, obiurgat ignauum corpus, indomitum asturconem frenat; meliorem Hominis portionem, immortalem, inferendam sideribus, calcaturam nubium quadrigas, subducit infimis rebus, & virtutibus excolit. Audit hoc Apicius, & laudat: sed præfert calidum sumen. Quid? quod plurimi manifestum exitium non horreant; modò noxia cupiditas expleatur. O philosophos! M. Antoninum, illum humanæ sapientiæ pullum, nequam Caseus occidit. Alexandrum Seuerum leporina pulpa sustulit. Annæum Serenum fungi suilli. alios Fungos quot alij fungi piperati interemerunt? Tiberium Cæsarem frustum cucumeris corrupit. Chilperici saxonis gulam, ad ambas vsque aures cibo farti, ipsa copia ganeæ intertraxit. per fidem tuam narra; legisti talia & Muribus euenisse?

Quid referam vires, insculptáque prælia saxis. f. 5. *m.* Vide sis gloriosum militem Plautinum. ostentasse robur & aciem, sæpe damnosum in bello fuit. Qui sapit, Heroem ostendet potiùs prouocatus; quam vt iactet

iactet illaudatus. *Sed non replenda est curia verbis.* inquit Maronis Turnus. Senatum pacatus habe campus à fulminante manu fumet. scitum Polemicorum est: PLERVMQVE NOCET IACTASSE TRIVMPHOS. Obfuit Dario, obiecisse barbaram multitudinem Pellæi iuuenis paucitati, sed animis & pectoribus numerosæ. Cauti Duces, non facilè extendunt exercitum seu minis, seu verbis: ne, dum hostem volunt pauidum reddere, faciant sollicitum. sollicitudo naturam imitatur, quiduis ausuram priùs, quàm passuram vacuum. descendit pronus ignis; volant saxa; turbantur elementa. nescio quid animus in angustijs deprehensus, nisi fortè toto malo repentè obrutus, puncto temporis suffocetur, diuinum aliquid secum excogitet, vt euadat. Vnde illud MATER TIMIDI NON FACILE FLEVIT. reperies meticulosos, in præsenti discrimine, tigridis in morem ferocire; aut non morituros, aut morituros cum strage. Ruffinus, ille institor honorum, & trabeatum pauoris mancipium; cum subita ferri luce percelleretur, instarétque Stiliconius miles: vultu ad Arcadium conuerso: eripe, inquiebat, aut iuxta mecum peribis. *Manes & sidera testor, hæc ceruix non sola cadet* nempe ita naturâ comparatum, vt vltimæ vires animæ, tanquam triarij, non ignauam mortem oppetant: siquidem oppetere cogas. Quando igitur hostem ad desperationem reducis; auxisti, non strauisti. finge victoriam: aut pæne nulla, aut cruenta erit. exasperata necessitas se totâ, & gladijs & odijs pugnat. in arena quiduis pro consilio & pro telo capit.

Pugnamus aperto Marte quidem, cæca tamen expugnamus, & omnes hausimus insidias, magna est fiducia Noctis. fol. 5. m. En strategemata Musculorum qui vera & licita damnant; crudeles & improbi sunt. Insidijs nonnunquam opus, vt militi parcatur. vtcunque Iulius Cæsar Orbem inundauerit sanguine, suas tamen copias in tuto habuit. Capaneus, Hippomedon apud Statium; inter Mures Artepibulus & Meridarpax fu-

aestíque alij fulmen olim merituri, dicant: *Nolo in hostem ire dolo. pudet abuti tenebris Videar à sole, dum pugno. Imbelles post carecta lateant. Me tuba diuulget, & arua tremant funera calcantem.* Ita loquuntur qui capulum maiorem manu habent. Crudelis vanitas, sontes triumphos Patriæ ac regibus obtrudit. laudari immaniter vult carceribus dignus furor. vinci nonnunquam meliùs erat, quam ita vincere. Qui ciuium iugulis retundit ferrum inimici, suo nimiùm parcit. Rei, proscripti, parricidæ, & qui amplius aliquid, quàm Ægæas insulas meruerunt, Hannibali militent: vt Carthaginiense robur seruaret integrum, sociarum gentium in primâ acie porrectis ceruicibus, hostiles gladios hebetanti. Quantò mitiùs atque illustrius Imperatoris Tiberij Præfectus. cohibebat ille suorum impetum tantisper, donec Persæ præcoci calore effusi, pharetras missilibus vacuassent vbi ad vltimum inermes stetere sine neruo ac telo: gladijs acta res est cominus, quibus Itali valebant. itaque trucidabantur Arsacidæ, vt statuæ: immolabantur vt victimæ. prudens cunctatio momentum attulit. taurorum est, cornibus solùm fidere. consilium, latebræ, nox, flumina, siluæ, colles, venti bella iuuant. In omnem euentum Duces quidam præparati, fortunam in potestate habuere. territi exsultârunt: pressi terruerunt. defuere milites? simulârunt. amisere? dissimularunt. Titius Licinius ingenti clade affectus; quòd noctu cadauera humasset, victori inter sua manè conspecta funera versanti, ceu ipse victus esset, ingentem terrorē iniecit. Itaque in fugam auersi terga pulsauit, gloriámque, quam galeæ cristatæ iam affixerat, solerter detraxit. Quid Chares Atheniensis? nocte concubia multos ex arce emisit, iussos sub crepusculum lucis, inspectante hoste reuerti, quibus visis, ceu nouâ subsidiariorum manu submissâ, præsidium creuisse arbitratus Obsessor, de expugnatione desperauit. Numantinus aut Saguntinus aliquis Esuritor, hoc commento minimè delectatus, stetisset

aperto

aperto pectore pro mœnibus, bustuarius in ferrum & flammam paratus. Ego præfero Cheretem, omnium veterum calculo: qui victoriam ingenio partam, boue Clitumni candidissimo; rubentem sanguine, gallo gallinaceo duntaxat venerati sunt.

Audio vos subigi pedicis, breuibúsque latere Muscipula tectos Gyaris, paruáque Seripho sol c. p. Adde Felem: & omnes Murium hostes numerâsti. Potes etiam Humani Generis numerare? Musculos Felis vt pilas habet: Homines Dij, inquit Comicus. insuper Dea quædam cæcula & leuis. Musculi lardo capiuntur: Homines nardo Veneris, visco voluptatis, honoris fumo, vento vanitatis. Agnoscunt & oderunt Musculi suum Inimicum; stulti Mortales amant, defendunt, excusant. famosam illam, & totius Orbis fornici prostitutam pellicem Fortunam, omnes ambiunt: tametsi pueros deludit pomis; iuuenes amoribus torquet, viros pollicitis fallit, senes frustratur annis. superbè & crudeliter exercet Imperia: tamen amatur. emulget vota in ludibrium regerenda; tamen honoratur. floridi vultus meretricia amœnitas præfertur osculo virtutis. doli, creduntur munera. millesimus quisque non euasit insidias occultâ tyrannide sæuientis Adulteræ: quando passim creditur; *Eam irasci non posse, vel decipere non velle.* Quo in vtroque errore; ipsi barbati Platonis Pueri, vanæ sapientiæ pulpito, malè fortunatum caput impegerunt. Vt ab hac Lena saluus sis: nondum cauisti dolosum Oratorem Mundum, declamantem in Foro: nondum illecebras malesuadæ Carnis; quam toties audiueris nominari Muscipulam. hanc caue præ numellis & catastis; præ carcere, quod Tullianum appellatur: præ Latomijs Syracusanis, Barathro Atheniensi, Ianuâ Charonticâ præ omnibus Labyrinthis. Mures, cauernas habent; castra, in quæ conspecto *Vatinio* se recipiant; Homini quæ suffugia patent, formosis ante ianuam gannientibus monstris? Falsis imaginibus Induuntur oculi. prostat sensuum popina, turpésque

nundinæ Cupidinis, vendentis in philtro mortes. *facile est incurrere probrum.* Mures, Felem timent. Etiam homines quidam. quorum Antipathia obmurmurat. ſtringuntur naturæ dentes in obuiam. vbi odorati fuerint; liquitur animus, fedóque ſingultu præſentem prodit hoſtem. Cardanus ex eius aſpectu mortis omen ſumſit. Quid Stygius Lauernio, quàm ille Catus! aſtutus, inquam, & pauendus. Hunc Borborocœtes aliquis non expaueſcit. Quid vndenæ belluæ (perturbationes animi) indagine corporis cinctæ? hercule, ſilueſtres & feræ. Viuarium vtique ferarum eſt pectus hominis, frementium in Appetentiæ ſede. Delectatio Siren, Dolor Hyæna, vno eodémque ſtabulo clauduntur. Mugit Amor, Europam portans cum tauris: rugit ira cum leonibus. Audacia tigrides anteuolat. Philomela, Spes bona, dulce canit: ſed Deſperatio latrat, inſtar moloſſi, in rabiem acti. vlulant mœſti Timores. tu omiſſis Muſculis, miſerere hominum. Pericles metuit vmbræ ſuæ occurrere. Theodoricus à capite piſcis externatur. Sunt, qui nullum Criſpinum tonſorem admittant. Dionyſius Siculus, neſcio quid iugulo pertimuit. Referunt non ſine riſu Oratores ad Turcam deſtinati: neminem vllum puberem armatum, admitti in cubile Solymanni. formidat miſer etiam Morphei ſicam.

Ille miſer, cui nemo furit, nemo inuidet f. 6. m. Infelix prorſus, quem nulla macerauit æmulorum inuidia. quæ, cùm omnia maiora faciat, quiſquis ab ea non videtur, infra pumiliones eſt. ſcilicet laudari tantùm cupis, ídque conſecutus es, vt te tui in oculis & amoribus gerant. inquire in animum; quo facinore meruiſti hoc ſtultorum ſupplicium. eme talento ciuilis belli ſarcinam, ſpeculum, inquam, Othonis, viſurus næuos; & ſi potes, quod manticæ in tergo eſt. Laudant te omnes. dicas; irrident. indignum inuidiâ obruunt cærimonijs. Nihil vnquam ciconiarum notâſti, & aurium Regis, quem non nomino? Feliciorem arbitrarer, ſi cum innocente Catone ſæpius ad

ſubſel-

subsellia Iudicum traherereris, domum stipante senatu & Bonâ Famâ reducendus. Ita nempe natura fert: miserum non premimus quiritantem, lachrymis muliebriter conspersum prætetimus. in alterum furor, quem virtus & gloria cataphractum, theatro imposuit. huic armata gingiua & genuinus seruatur. Mens ingentis inuidiæ capax, pandit sinum venienti calumniæ. amphoram virulenti liuoris, facilè exsorbet Tricongius honoris. Rectè etiam Psicharpax monuit; miserum non esse, quem discrimen & horror circumeant. Cos magnæ virtutis, magna calamitas. gloria comtior surgit de puluere, quàm de puluinari. Geminatur decus inter quæuis pericula *etenim tunc viuere castè asperius, quùm promta Venus: tunc durius ira consulitur, cum pœna patet:* respondit Theodosius Honorio suo. qui in summa licentia non excreat, potest Traiani pugionem, pignus bonæ mentis, in lumine Capitolij suspendere.

Fecunda ministrat, Hinc tellus hinc vnda dapes, vtrinque beatis. f. 7. p. Duobus elementis, alicuius Heliogabali gula non satiatur. terras proscindit, maria à fundo miscet, aëris penetrat meatus. Ioui cerebrum, Mineruæ oliuam, Cereri spicas, Baccho vineam diripit. satias omne animal habet. solius hominis ingluuies modum nescit. nullius voti auaritiam castrat immodicus Petitor. inhiat immanibus immensùm. de culina naturæ conqueritur, velut nimis parcæ. Sardanapali inuenta laudat, inter rosas æstuans. alius *crudum pauonem in balnea portat. hinc subitæ mortes atque intestata senectus*, Iuuenalis funera, lachrymis ac risu digna frugalis Epaminodas cum ligneo vasculo, & frustra Dentati in conuiuio, exoleuerunt. Quotus iam Cato, exercitûs sitim sua restringuit! atqui hic virtutis admiratione, etiam pæne ebrium in sicco sabulo reddidit.

Nare nequis? erimus nauis: portabere dorso. fol. 7. p. Habes hîc expressam imaginem Mundi Venerisque inuitantis ad flagitium. quam prolixo flatu Physigna-

gnathus stringit regni sui delicias, *quæ non formosa videbis? Qualia dona feres? Psicharpax accede lacum.* idem occinit damnosa Siren voluptas. Quisquis es, subi nostrum nemus, in quo Gratiæ ludunt, & Gaudia choreas agunt. manat viui fluminis argentum, totámque Cyprum perluit: perspicui lapilli videntur à fundo. Aquæ in amoris orbem confluunt, attritæque pretiosis conchis, musico concentu soluuntur in bullas. propter ripas felix Hortus panditur, refertus aureis malis, sonorus loquacibus nidis. volucres delectæ à Maio & Chloride docentur. enarrant dulcissimè, quidquid didicerint. audias ibi continuò vel propempticon Alaudæ, vel epithalamium Philomelæ, vel lessum Cygni. pluit floribus primæ ætatis. candida synthesis liliorum perpetuò durat. etesijs clementibus mulcentur arbores. Zephyrus vnicus colonus exercet areolas; & fecundo susurro crispat platanorum nutantium folia. omnia in Venerem viuunt. alnum affatur alnus. palmam palma salutat. in populorum brachia Cedrus inclinat immortale caput Eo peruenire quid trepidas? *Nare nequis? erimus Nauis* Vates Venusinus, Ocellus meus, nunquid absque caussa, Nauim, trabem CYPRIAM nominauit? securè nauigant Mare, quos Dea protegit orta mari. Ego, inquit Cupido, docui natatus Abydenum Iuuenem præludi scindenti fluctus. concipe placidam mentem, Cymbámq; ingredere. ecce plantis æquor prælibo. sequere. Sequitur Nouus Leander. vis euentum? alter Psicharpax submersus est.

Ferreus ille fuit, quisquis rerum ordine rupto Argolicam primus tadam deiecit in aequor f 7.p Et plus quàm ferreus. Nautas, velut Reos læsæ naturæ damnat Annæus. nempe mortes deerant terris, quærendæ in freto? felicius votum videtur cadauer instar tympani distentum Alto iactari, quam in modum trunci rigidum iacere in puluere? Quid denique possunt insanæ cupiditati suæ Remiges prætendere? *Neptunus nos inuitauit.* falsum est. succensuit ausis. Trito-

nem,

nem, quem decepistis, officio monuit. Audax Iapeti Genus Vulcano negotium facit Tridentis toties reficiendi. *Alius nobis Orbis videndus erat.* quis alius? cùm tantùm vnus. Amentia fecit duos, curâ humani ingenij distinctos. *Charybdin indagauimus* quam? ante naufragia vestra nulla fuit. à mortibus & demersis funeribus, ille Hiatus nomen accepit. *Scyllam latrantem audiuimus.* tanta igitur libido aut voluptas, terreri virginis succinctæ canibus, immani voce? vertagi nostri non etiam latrant? *Monstra Marina vidimus.* immò intulistis. maiora non tulit pontus, quam quæ continebat Argo. *gemmas inquisiuimus.* Quantò honestiùs cubabant illarum matres in thalamo Tethyos; quàm cùm vestra, in immerentes, incepit lasciuire cupiditas.

At non sic humeris Europam, naufragus inquit, Diuinus, tulit ille suam trans æquora Taurus. f. S. f. Sera pereuntium vox: AT NON SIC. Ardente Troiâ, clamare potuit Paris: AT NON SIC ardebat, quum Menelai Coniugem rapturus ordiret classem. AT NON SIC Priamus sperabat. Idem Cræsus in rogo clamat. Idem Marius inter Minturnarum paludes, mendicato pane solatus rabidam famem. idem Belisarius tribus obolis diues, sed lumine cassus. idem Gilimer ieiunus, quanquam coronatus Citharædus. miserabilem vitam suo longa morte traxerunt in exilio. AT NON SIC flantibus Fauonijs verso vento Fortuna vertit. Nostro Æuo, quoties clamandum est. AT NON SIC olim.

Sunt & Lacubus sua grandia Cete fol. 9 p. Sunt, quid dubitas? sunt & lacubus & fluuijs, Mari & terra, pace ac bello, domi forísque, sunt & securitati sua pericula. Nulli loco fide. in sicco mergi potes: in ponto pedem frangere. terreberis improuisò. discrimina truduntur ex hora. irruentium malorum satellitiò stipatur quæque dies. mella mori cogunt. occidunt quandoque pharmaca, inficiunt aromata, in conuiuijs necat fames.

Quod

Quod superest, mollem tumulum, placidúmque Charontem (vnde etenim Naulum daret?) & mitem Æacon optat Eminus, & stridet Carmen miserabile Lessi. fol 9. f. Stridulum hunc lessum tibi vlulatum puta, vane voluptatum helluo, bacchantium sociorum assecla, quorum palpo distringeris. volant festiuæ voces & acroamata immissa per aures, circum pectus deinde ludentia, laudant crispos & oculorum stellas: imò rebus illaudatis inueniunt encomia. ipsa vitia gypso oblinunt. *Cùm friges, algent: cùm dixeris æstuo, sudant.* si nescis, arrodunt te Sorices, Euryali Nisíque tui. amicos arbitraris? muta nomen & Notos voca. iam quidem hilares obseruant nutum. gratantur animoso vastatori famæ & peculij, vrgent, vt omnia oblimes. circumstant facibus. calcaturo pauimentum, supponunt onychen. scilicet sanitati tuæ litant, vbi strauerit morbus imbecillem: Medicus cùm dixerit, *actum est:* diffugient, horrebunt, execrabuntur iacentem; quem stantem mille basijs perunxerant. Exi, vacas anima exi catharma. conquiruntur præficæ. cæteri cado cum fæce siccato, deserunt cadauer peiore modo, quàm Psicharpagem Lichopinax. vnus & alter à limine: *Quod superest, mollem tumulum mitémque precatur Æacon, & stridet carmen miserabile Lessi.* tu exturbaris non rediturus, ante Sarcophagum Fletus Hyænæ & lachrymæ Crocodilis pòst, gaudia dolosa & incogniti Cachinni funebre chaos miscent. tu exturbaris non rediturus.

Tamen vltor ab astris Imminet, & nostram placabit Iuppiter vmbram. f 10. *m.* Solatium innocentiæ. sequitur à tergo Nemesis sontes. ex ossibus sæpe consurgunt vltores. Selymus Ottomannus mortuo Baiazethi pœnas dedit, in eodem Pago, ferro trucidatus, quo patrem veneno sustulerat. longum sit per omnia exempla ire, quæ cum auctoribus sepeliuit vindicta. Qui terret, plùs ipse timet. iugulabitur ense, qui mactat gladio. circumstrepunt Vmbræ viuum, non placabiles nisi aliâ vmbrâ. Thessalia cadaueribus

neribus Romanis strata, semper ante Cæsaris oculos versari visa est, ipsóque in eius pectore obsesso latrauere aliquid funereum, tot Senatorum Equitúmque manes. Quisquis alterius vitam proijcis, tuam venalem habes. facinus cruentum, vt omnibus sit occultum; tu nosti, tu carnifex tuus. Atqui solus scio; sufficit: iam pessimus homo nouit. vulgabit.

EX LIBRO II.

QVod loquitur, furor est; omnes sunt classica voces Extemplo concussi animi, &c f 12 p. Mures bellum decernunt exasperati iniuriâ; Legis hæc, & rides, qui legis. At enim hominum quæ ratio pugnandi, quæ caussæ? pudendæ sæpe & madido cachinno dignæ. minoribus momentis, atrocioribus odijs certatur. Non vna Batrachomyomachia Persiam Græciámque collisit. Hæc insanientem adolescentulum (Darij victorem) in Indiam transduxit. hæc Philippum Patrem totâ vitâ exercuit. subinde ex Apiaris compacta prælia, exhausere prouincias. Actum de crepundijs in publico armatorum Consulum consessu. VINDICANDI SVMVS, clamauere Romani. Nempe! quid diri accidit? num Capitolium nouus Brennus accendit? num Iuppiter cum Iunone ablatus? num alter Remus contemto fratre Romulo transilijt fossam? Enimuerò negant Togati Patres. Cur igitur arma sumunt? *Veientes,* inquiunt, *libârunt Tyberim ore profano.* quid amplius? *Berecyntia Matris Aurigis leonibus euulsere iubas. Pœni, caput non aperuerunt transeunti Legato. Hannibal in nostri Senatoris caniciem screamma dixit, &c.* Itum ergo pedibus in sententiam. pòst, & curribus & castris. Ianus apertus, concussum armamentarium, sumta saga; tota Roma in campum progressa est. Tybris arma vomuit restagnantibus ripis. Irrisor Murium, has bellandi caussas, hos ride bellatores. irride Xerxem. Cùm ficus Atticas gustasset, per tremenda

barbæ suæ fulgura iurauit, manu occupaturum terram genitricem nobilissimi huius fructûs. Aliàs cum numeroso equite procubuit ad vasta flumina. (Sitim!) ebibit amnes, Nymphis ad incitas & siccum redactis. Mitiùs hoc sanè, quàm cùm ipsum Ennosigæum bene longis virgis cecidit; catenis & compedibus (audaciam! os hominis!) vinctum sub nauibus stare iussit. Hic diues militibus, canus Puer, quæ prælia gessit Salamine relicta, pudet effari. Irrisor Murium, irride Scotos & Pictos, ob interceptum canem plùs quàm caninis dentibus, supra caninam rabiem sæuierunt. irride Naxios. quos piscis cuidam Feleslagoræ donatus, ad interitum præcipiti via deduxit. Indignare Antigono aperta latrocinia professo. desipis palliate Saperda, respondit Sophistæ offerenti libellum: qui, cum videas armis alienas vrbes vexantem; apud me de iustitia disserere non verearis. indignare Baiazethi, qui Feciali caussam belli percontanti, pharetras & tela in pariete suspensa monstrauit, innuens: HOC IVS TVRCARVM esse.

Phalarim mallemus & ignem, Æraque dira pati, totóq; ardere iuuenco. f. 12. m. Cacoëthes omnium periclitantium est, quocunque dolore distineantur: ALIVD QVIDVIS PATI MALIM. Phalaridis metallum non respuam, & quidquid mugitum exprimit: modò hoc, modò isto infortunio liberer quæ hæc (malum) confidentia! tu Siculi Tyranni subire conspectum? nescis quæ admoto dictet periuria tauro? terrearis vel vnicâ scena explicata. disce tuum sustinere dolorem; nec mutare velis. Est quædam infelicis luxuriæ species, in malis nulli acquiescere. Nauta in Carpathio freto iactatus, ferro perire mauult. Miles ad cornua in acie solutus, Mari se deuouet & vltimis insulis. Surgit præruptus aquæ mons? voto mutato implorat fulmina. cadit inflammata Dei vis? tellurem sub pedibus optat dehiscere.

Castra locant, vbi putre solum scrobs humida laxat, &c. fol. 14.

Fol. 14. *f.* Ea quisque sibi metetur aptissima. Musculi scitè delegere. Castrorum locus vniuersim commodissimus, ad quem difficilis est accessus, facilis discessus. summa laus in ponendis muniendísque obtigit Iulio Cæsari. Stupet Iustus Lipsius hominis ingenium, animum ac vires. vnicum latus fuit nonnunquam duûm millium ac quinquaginta pedum. Crassus contra Spartacum mouens, fossam trecentorum stadiorum struxit. Lacedæmones castra rotunda probârunt. prætulerę Romani quadrata. hoc æuo magna industria, mira rerum facies, ars indefessa priscis institutis accessit.

Stat succincta phalanx. habiles levioribus armis, &c. fol. 14. *f.* Dispice & discute Panopliam Musculorum. validè se armârunt, ex merito sanè ab nullo Hannibale irridendi; qui fulgentes aliàs thoracum & galearum bracteas, alitésque suffixas, sæpius militari sarcasmo pulsauit. Statuas armauere vilibus telis Aquilienses: felici successu. Hîc, Myocephali, in clypeos sinuârunt cornua fractæ laternæ, sæuumque micant vmbone rotundo. M. Antonius Triumuir, arborum cortices militibus tribuit, vicem scuti prætentos. viro forti, ensem & cassidem, vires & victoriam præstat animus. Animus est, qui vincit, qui vincitur. nolentem nemo subigit. Quisque sibi Mars: castus, etiam fortior Gradiuo. talis non deligit gladium Æneæ, stygiâ quem tinxerit vndâ Lemnius Lacertis vtetur suis, aut obuijs pastoralibus truncis; maxilla inuentâ, si necessum sit. Optimus belli neruus, nerui sunt in corpore. Quid querno robore natô quernis sudibus opus? Ericus Disertus, prouocantem Tribunum crepidarum firmitate prostrauit. quid facturus erat ocrea & calcaribus, qualia ætatis nostræ incudibus finguntur. sit igitur deinceps & suber in honore, non tantùm fraxinus, aut humano sanguine saturanda Cornus. Hay. Scotus, in bello aratrum, ceu machæram, strinxit, ventilauítque hostium damno. Alius, cùm arma inspi-

inſpicerentur, manum pectori admouit, arguens: ea, quibus ipſe fideret, non videri ab amico; ſentiri ab inimico poſſe.

Mures bellantur honori. f. 15. p. Qui non? Honori Flamines præfecit Numa. huic turis acerram Perſæ, Cilices ſuam meſſem offerunt; Aſſyrij ſuam. Honor ex virtute quæſitus, impellit ſtimulátque generoſas mentes; implet, ornat; pulcherrimarum rerum inuentor eſt. eius cupiditate ac guſtu incaleſcit animus, ſuíque fortiùs meminit, & deſertis vallibus ad montes erigitur. Honor mihi vicem ſcalæ eſt, inquiebat ille claudus Cocles: per ſingulos gradus admoneor triumphi mei. tolle hanc ſcalam è Mundo: & omnes Pyramides, & facinora exceſſura nubes ſuſtuliſti. Cor, animoſi ſanguinis fons, vt pumex areſcet. collapſa præcordia inſtar putrefactæ ſpongiæ marcebunt. Quid tot ſeculorum flexibus veterem Romam in flore conſeruauerat, quàm ſperatus & quotannis innouatus honor Conſulatus? Campus Martius excitauit ad prælia. Mons Euandrius, Mons Palatinus, Tarpeia Rupes, faſces, ſecures, chlamys, cornicines, tubæ, aquilæ, victimæ, Equi deniqne, *qui candore niues anteibant, curſibus auras.* Placet igitur Honor, inquis. & hoc ſcias: non in foro aut popina inter obſonia venalis eſt. ferro citiùs merceris, quàm auro. At tu longa ilia trahis in otio, & gloriam ſollicitas? Quieſcis. ſi vt Regulus, in hoſtili captus Vrbe, obſes, in dolio clauis pleno; laudo: ſi vt Mæcenas ſupinus; non item. Epularis: ſi vt Fabricius, vt Marſus & Hernicus olim, cùm grandes fumabant pultibus ollæ; laudo: ſi vt Lucullus Xerxes togatus: quid dicam? Non deceſſurus maieſtati tuæ; bibe, vt Cato in Africa: (ſtat, dum lixa bibit) ſalta, vt Scipio Africanus Romæ: calca terram, ſed veſtigio Pompeij M. pedum pulſu Italiam excitantis armatam.

Dux tanti deerat belli, qui pluribus vnus Imperium ferret, ſociúmque educeret enſes. f. 16. p. Vaſtus exercitus abſque Imperatore, Cyclopicâ mole, in ſeipſum

corruit,

corruit, & suspirat in limo. Manus in se vertit corpus absque capite. Notus Iulij Cæsaris sarcasmus. quum tenderet in Hispaniam, contra Petreium & Afranium, Legatos Pompeij M, *Vado*, dicebat, *ad exercitum sine Duce*. Profectus in Thessaliam, contra Pompeium, *Vado*, repetebat, *ad Ducem sine exercitu*. optimus enim quisque miles sub Legatis merebat. Manus Capiti iungendæ fuerant. Quis autem Dux eligendus? Musculi peritum elegere. *Ducturus omnes, eligatur ex omnibus*, inquiebat ille. sit è grege, modò egregius. id quod Carolus V. salutaribus exemplis & plurium triumphorum feracibus explorauit. Nulla ætas fortunæ virtutísque Ducis obstat. Scipio Africanus, Iuuenis; Gordianus, Senex electus est. Polemici INGENIO PRAEDITVM petunt subacto. mirentur hostes profunda consilia, vt contremiscant. FORTEM, sed nec audacissimum. audaciam tamen militum alat, præmijs inuitet, temperet freno. CELEREM: sic properet, vt Cunctatoris nomen non reformidet; sic cunctetur, vt ne cunctentur Victoriæ. CONTEMTOREM PRAEDAE. O quoties in spolium cessit spoliaturus cadauera, eodem loco consepultus. VT FELIX SIT, Diui rogantur, nemo imperat; Virtus plerumque largitur. Vt CONSTANS, omnes optant. nocuit differre parato Annibali. patebat porta Collina. DVCENDAE Romæ nuptiale conuiuium in Capitolio parabatur. Quale spectaculum! Si paruulus Annibal, ex Victoria Coniuge susceptus, Heres Italiæ Latia lusisset in Aulâ! DISCIPLINAM in primis, qui habenas accepit, senera prudentia conseruet. *Disce miles militare, Galba est, non Getulicus*, exclamauit Galba, Imperator salutatus. Adrianus tabernacula ex frondibus facta diruit; ne exercitus solis & imbrium impatiens, sub aulæis & vmbra, noxio torpore distenderetur. *Quid stas ignaue miles*, aiebat Cato ad suum: *imitare passus Ducis. Serpens, sitis, ardor, arena. Dulcia virtuti.* Sit suus pugnaturis commeatus. sit sobrius cadus. olim posca dabatur. assuescant potui, qualem iratus Dari-

bius

bius eructat, aut corniger Rhenus fremente alueo in vrnam fundit. *Romane Miles: Nilum habes, & vinum quæris?* dicebat Pescennius Niger, in Ægypto siticulosam cohortem solatus. Ebrius, & qui à vino trementibus oculis duos hostes videt, ne vnum quidem superabit. At nunc omnia castra temeto natant. somno vinóque sepultis militibus, etiam triumphi stertunt. talis Dux Gildo apud Claudianum; tales Gildoniani Milites, Marti risum & nauseam mouere.

Artepibulus enim vetitis temerarius armis Aggreditur, dubiúmq; ad insti fata duelli prouocat: vt Capaneus olim Alcidamanta Laconem f. 16. m. Indigna res & seuerè coërcenda. priuatæ simultates, integrũ pedetentim sternunt exercitum: bella, non duella laboranti patriæ prosunt; nisi si tribus Horatijs permittantur, lustrales animas hosti propinaturis. Hoc ferreo seculo gliscunt secreta odia. mittuntur chirothecæ, tristia munera, prouocatura in campum destinatum, cædes, tumulum. leuissimis de caussis ad vltimi furoris exempla venitur. inscio Archistratego, obtentui quidem sumptâ speciosi, reuera vani honoris vmbrâ, lasciuiens mutuis stragibus ad vsque infamiam iugulatur Nobilitas. cùm in hostem eundum foret, fortissimus quisque desideratur, quem pridem vorago sepulcri contexit barbarum hoc, &, vt sic dicam, Artepibulisticum: quo nequior Myocephalus ab Orbe Condito non fuit. In Turcas hoc crimen eat, Mauróque Getásque. parcius ista viris, quos infantes sanctior Rhenus lustrauit. vtere mitiùs irâ, ô pubes Alemannica.

Mausolus dicor: Coniux Artmisia. Cares reximus innumeros, &c f. 17 p. Scias hunc Regem fuisse recti ingenij, celeris, rapacis, bellicosi; verbo, insignem Myocephalum, quod viuens moribus expressit; mortuus etiam metamorphosi & formâ vestire meretur. Quando igitur neque nomen, neque vita abludit; rectè tam Mausolus quàm Artemisia marito concolor, venere in censum Murium, Fatis volentibus ad lossum

Mauri-

Mauritaniæ eleuati. Equidem etiamnum in humanis obtinet, vt nomina quandoque præsagiant, Cur Iulius, Cæsar dictus? à cæsarie? an quia ex vtero Matris cæsus? an quia ab ipso vndecies centena nonaginta millia cæsa? hunc cruentum Carnificem, ab obitu, versum in sanguineum Cometen, credidit Antiquitas. Mausolum, in Murem migrare iussit ab exequijs vindex Rhamnusia. Sic collige. Nulla Mausolea cadauer innocentius reddunt. virtutes ac vitia sequuntur vmbras suas quibus quisque assueuit viuus, defunctus incubat. in iter tenebricosum vnicus admittitur comitatus, malè aut benè gestarum rerum. Compertum est, Auaros post mortem, longos digitos in thesauro versasse. Spectabilis vmbra Superbi insedisse thronum visa; Militum maneis pugnasse. Quisquis feram, sub humani corporis figura occultat, tigridem, lupum, leonem, cerastam, Myocephalum; simul parca laruam amouerit, prodet & seruabit æternùm. Hoc erat, quod Honorio suo Theodosius identidem inculcabat. Annales veterum delicta loquentur. Hærebunt maculæ. quis non per secula damnat Cæsareæ portenta Domus? quem dira Neronis funera, quem rupes Caprearum tetra latebit Incesto possessa seni, &c.

Intremuere iterum, ac puduit tremuisse videri. fol. 18 pi. Soluunt, quæ præsentiùs animum percurrunt. etiam saginati Gladiatores, dum cæstum sumunt in manus, aliquantum metu crispantur. *Alternus paullum timor & permixta furori consilia*, præcedunt ictus Heroum. primâ sanguinis gutta visâ, tum enimuerò Tydeus feruescit. insitus pauor & temperatus, non flaccidos reddit, sed colligit vires; & retentas aliquantisper mittit cum fœnore in auxilium fessæ naturæ. Gallum animosissimum perhibent, ad primum classicum, ventre soluto ad vsque secessum fuisse compulsum: rediisse paullo pòst etiam metu exoneratum: more fulguris deinde peruasisse exercitum. Enceladi quidam alij & Bombomachidæ, quorum corpora iurares

adaman-

adamante suffulta. ineunte pugnâ, sulphuris instar ardent & Vesuuij: in ipso congressu, cum standum esset confertis in ora gladijs, euanescunt.

Viribus vtendum est, quoties Occasio tempus suggerit: è manibus nescit dilapsa reuerti f. 14. m. Celeritas maturata consilijs victoriam in manu habet. Eam non arctant vincula, non fatigant iacula, non detinent apud Lyæum pocula. Celeritati omnia sunt peruia. recludit arces, expugnat vrbes, densissimos cædit hostes. Infelix mora, Occasionem quantumlibet capillatam decaluat; omnem neruum eneruat. Vtinam illud VENI, VIDI, VICI, etiam in nostris Vexillis legeretur. Nisi Dux siderum more, rotet in orbem exercitum; torpebit circa Polum & tardi plaustra Bootæ. Rex olim Libyæ creabatur, qui cursu victor Ælius verus Antoninus, certo militum generi, alas pennatas imposuit: vt intelligerent, quo meatu iter conficí vellet. Baiazethes lentum Ducem, sagittâ transfixit, instrumento mortis velocissimo. Selymus filius, pacis quidem vitijs obscurus, sed belli virtutibus clarissimus, cùm in omni opere, tum multò maximè in procinctu militari, exclamare solebat ad Commilitones: MATVRANDVM, MATVRANDVM.

Clypeo Mausolus in altum (Quadra fuit) sociorum humeris super ora leuatur Æthiopum, festisq; crepat stridoribus aër. f. 28. f. Veterum more. Claud. de Honorio, *sed cùm mox solitâ Miles te voce leuasset.* accessere fremitus militum, sonitus lituorum, flictus hastarum. Neque velim, mireris Mausolum in Regem electum, quando idem in humanis quoque rebus imperabat. Quid? nonne trabeam & serui sæpe capiunt? Eutropius exsectus Leno, Mancipium catastæ, vultum rugis non curis sulcatus Consul, exercitum effeminata manu duxit. Tamberlanem Scytham Pastorem, pastoria comitia ad Solium è præsepibus leuauerunt. Iustinus genere Thrax, iam armenta, iam arma campo mouit. Valentini Imperatoris pater, funes nauticos torsit, Marius ensem in Germaniam debellatam

strictum

ſtrictum ipſemet procudit. Quot à remis damnatæ piraticæ, Reipublicæ clauo admoti, feliciter gubernarunt? denique ſi Platoni credimus: Omnis Rex è ſeruis, Omnis ſeruus è Regibus oriundus.

Mittitur extemplo, qui bellum nunciet hoſti Tyroglyphus (namque hic viſus meruiſſe) ferocis Muſculus ingenij, magno ſatus Embaſichytro. fol. 19. p. Intereſt Reipubl. quis ad ſummas res conficiendas cum poteſtate mittatur. Bellum hoc Mauricum inconſultò decretum. Tyroglyphus ſtolidè ferox Legatus, peiùs efferauit. Indoles aſſueta fragoribus belli, nihil quietè peragit. Suſpectum eſt, quod cum tumultu geritur. finge alterum Regem nihil hoſticum moliri: excitabitur in arma primùm ore hominis barbari & importuni viſo. Noſter Tyroglyphus, qui verba non tam numerabat, quam fundebat è vaginâ, detinendus erat in caſtris. Alius mittendus pacatioris animi. Peſſimam rem Adraſtus fecit, quòd deſtinauerat Tydea, virũ impotentem ſui, ad Etheoclem Thebanum. verbis immitibus omnia turbauit. odijs ex ſemine in culmum tractis, commiſſi denique Fratres impleuere campos flagitijs, diſcordiâ ipſorum cadauerum, rogalem flammam & cætera elementa turbante. Iamuerò tempeſtiua dicta, ſententiæ politioris iudicij minimè vetantur. Orator laceſſitus à naſutis, deludat paribus: ut tamen intelligatur plura in arcano ſeruare, quàm depromſerit; æſtimetúrque ſapientia Principis, ex ore præſentis. credatur ſanè Perſa, ſed pharetram in corde geſtet. *Argutè* LACON, exceptus à Rege Demetrio citante, An tantùm vnus? reſpondit: tantùm Vnus ad Vnum. *Placidè* LACEDAEMONES: Lygdamo tyranno audientiam neganti ob morbum; admitteret nihilominus: cum eo enim ſe non colluctaturos, ſed collocuturos veniſſe. *Ingenioſè* ANAXIMENES. ſubmiſſus à Lampſacenſibus ad Alexandrum M. vt deprecaretur minas inferendæ vaſtitatis: cum Rex ſuo Philoſopho exclamaſſet, Abi: nihil horum im-

 petra-

petrabis, quæ petiturus es. intulit olim eius Moderator, tunc Legatus: Peto itaque, vt Lampsacum euertas. *Cautè* ISMENIAS, adorari volebat Artaxerxes, ad quem mittebatur. Quid faceret alter? detrectaret? criminandi materiam, indignandi caussam dedisset tyranno. obsequeretur? tam seruili pedum basio læsisset dignitatem personæ, quam sustinebat. Annulum igitur digito detractum, & ex composito in asarota, ceu casu delapsum pronus iterum sustulit. *Papyrius* FORTITER, volente ac iubente P. R. missus, regem barbarum extrahentem responsa & in ambagibus ludentem, circulo per pauimentum ducto, vt stabat, circumscripsit; iam nunc edices, affatus, antequam te hoc orbe euoluas, quid denunciandum statueris. Æmulantur veteris æui decora, fortissimos viros, nostri æui non pauci. quos tamen inter illum Machiauelli Pullum Hircoceruum non censuerim, qui cordatâ contestatione pronunciauit: Legatum esse virum bonum, Reipublicæ caussâ missum ad mentiendum.

Ille: quid hæretis riparum in margine vilis Abiectaq; anima. indictum Bellum omnibus esto. f. 19. m. Omnia turbatè. Tyroglyphus, vtique Musculus in fermento. non poterant odia componi? non transigi? non dedit Limnocharis? non à Physignatho petitum funus reddi, à Patre Troxarte in cauerna gentilitia tumulandum? sint sanè hæ nugæ. interim de animalculis quæritur, vt sciatur de belluis à Daniele visis. cæduntur canes, vt timeant leones. Quot Carolos numeramus, qui genio exemploque Quinti Austriaci, nunquam priores armati, bellandi caussas, inermes semper expendunt? Nota eius vox: RELINQVATVR MIHI MEVM, ALIENVM NON CONCVPISCO. Notæ lachrymæ per ora manantes ante conflictum. Nota & virtus Herculea in ipsa pugna, impatiens non magna pati.

Qui regna aliena lacessit, Extremum discrimen amat, nescit-

nescitque decorè fortunam tractare suam. Sapientior edit Immodica, & votum non vltra extendit in Orbem.f. 20.f. Nihil veriùs totâ oratione sua Physignathus. Thesauri genus est, carere posse thesauro. tenet omnia, qui seipsum. eo, quod quisque est, destitutus, eget vniuerso mundo. vides argentum euisceratis montibus prouolui: quasiuerò satietas effoderetur è terra. Illius centrum & latibulum pectus est cuiusque: inde peti debet. Aurea mediocritas, extra se aurum non amat. bibis Gangem, bibis Hermum: & tamen arent ardéntque venæ cupidinum tuarum. bibiturus ex illimi fonte frugalitatis, aquam plebeiam è profluente, contentus fagino poculo; sentires aliquid Pactolo dulcius. veriorem Tagum ex te deriuare posses. Ad classicum pauper non trepidat. cantat audiente latrone: credit omnibus suæ lætitiæ constare caussam. Massicum non bibit, fateor. sed nec timet frigus, quod in gemmato cratere mistum, Massico calori pugnat. Non timet id, quod Antonio vomenti animosa Philippica obiecit, voluitur à primâ quæ proxima. non timet boletum Claudij, post quem nil amplius edit. dum cepas & allia prandet, non timet rumpendum mullo ventrem, Diuûm amicus & conuiua: quorum vnica felicitas est, SATIS HABERE. Ignota, dicit aliquis, narras. hic viuendi modus Dijs solùm conuenit. Egredere ergo è tua tumba, è memoria P. R. POMPONI LAETE: egredere nunc saltem è paruo sepulcro, docturus Orbem sinceræ felicitatis modum, à se ipso impetrandæ. Lætus iste Agricola ad vsque decrepitam ætatem Româ nunquam egressus scribitur. crediderit extra illam, aut vacuum iam dari, aut non aliud, quàm Romam esse. semper secum habitabat. Quid cogitauerit, cùm Fama deuictas gentes, Istrum perdomitum, captum Rhenum, Carthaginem euersam vulgauit. Rumores hos aliter ipse non accipiebat, quàm puer suorum narrata prælia, sensu vel non intellecto, vel

neglecto. Deducentibus alijs arenam Nili in Circum, & in ipsa Orchestrâ epulantibus, curauit ipse ex Romæ natâ segete cœnulam: quâ exactâ se sibi dabat, vt nemini molestus; sic nullis curis interpunctus. Quid hæ spinæ nominis essent, per almam pacem, perque sanctam fidem nesciebat. latissimè dominatus in casa, veræ libertatis copiâ abundauit. Inclamantibus vicinis sæpenumero Iouem Libycum Hammonem; mirabatur, si alius esset ab eo, quem ipse candidum ac rudem ex salice colebat. Quûm somnus, Deorum blandissimum munus, superfunderet se occupato, admisit indulgentibus oculis. Orto sole, super vomerem flectens, adorauit ridens ac benignum sidus, illisque vicissim Bonũ Diem dixit, securus Rogatorum petentium sportulas, quorum ingentem turbam vomunt palatia. O! te beatum veréque Pomponium lætum. Româ non egressus es; & totum Orbem possedisti. Româ non egressus es; & hostem (Cupiditatem) vicisti, quem Romani tui nunquam vicere. Româ non egressus es: sed apud te hospitatæ sunt Virtus & Virtutis comites, bona Mens & Quies. Româ non egressus es: sed ad te ingressæ sunt Gratiæ & tranquilla Libertas. Regni tui fines si æstimare Tyranni potuissent; illud dubio procul erant occupaturi. fixum igitur Physignati, tametsi iactantioris Batrachi stet Oraculum: Sapientior odit Immodica, & votum non vltra extendit in Orbem.

Sic fatus capulum iunci quassauit acuti. f. 21. m. Exprimitur hoc gestu stata rataque sententia. Omen ex gladij capulo P. Cornelius Scipio sumsit. Cornelius Centurio in creatione Consulis Octauij, admouens manum ensi, HIC FACIET, exclamauit. Cæterùm spirat barbarum aliquid hic mos, & animi erupturi foras è corpore malesanum tripudium. emicat ita per genas, strictaris quibusdam, quasi procellis incalescens. tremunt inde nerui, abludit vena. raptim mouen-

mouentur manus. captiua Ratio detinetur in vinculis, nec audet comparere in æstu ac strepitu Sensuum ad arma concurrentium. fracta verba, maligno sono, non sine pulsu dentium attriti susurri, produnt incensum animum.

Tunc sic Hypsiboas iussus procumbere Marti Altisonans. fol. 21. f. Nullum neque Veteres bellum inauspicatò adiuerunt. Sacra priùs procurata. fibræ à Thuscis inspectæ. æui Romani Carbasus lecta ex Libris Sibyllinis. Notatum, quid addicerent aues, impetriret Æther. seruatum de cælo. itum ad Puluinaria Templorum, posita Lectisternia. Natura monet, Mentem humanarum rerum moderatrciem consulendam esse. sed enim iam præualuit in castris celebre illud Ægyptij Assentatoris: *Rara fides pietásque viris*, &c. Batrachi ante bellum Martem sibi salutandum putauerunt; desperati milites, Martis vxorem. hinc tardæ victoriæ aut cruentæ; rari progressus, infelices remoræ.

Clamorem tollunt, quantum non Eurus ab Ortu, Non audita procul de nube tonitrua vincant. f. 21. p. Ad animandos socios, terrendũ hostẽ. Macedones semper ingentem sustulere, repercussis & voluentibus latè campis ac siluis. implentur aures & animi obliuione periculorum demersi. Equus ipse dicit VAH! Solis Sybaritis in bello moduli fidium ac plectra placuere. Apage Paridis lyram, Achillis citharã sonante. Prisci clamabant Eleleu, Alalaze.

EX LIBRO III.

TOrna genas, qua nunc vario se nomine vestit, in siluis interque feras assueta vagari; Tunc habitura tamen constans Germania nomen; O quibus! ô quantis frangetur adultera bellis. fol 28. *f.*

Non opus vaticinatione. rerum fides, & oculata experientia quatuor lustrorum, inuitis oculis ingerit

tetras imagines. credas Martem, Thraciæ rupe desertâ, in Alemanniam migrasse, ibi stabile Domicilium fixurum. intestina bella committuntur, exemplo lugubri: summa diu stare non posse, & fortunam bonam felices nescire pati. à primo Cometæ fatalis exortu, qui anni decimi octaui curriculum fedauit, integra malorum cohors simul incubuit terris. *Bella tonant, dubiúmque quatit discordia Mundum.* Semel tantùm dicere memini Iulium exactâ pugnâ: HODIE PRO VITA DIMICAVI At enim nunc diutissimè dimicatum est totis viribus, pro honestâ morte. Supersedeo diffundere largioribus verbis tempestatem, quam ipse Iuppiter non sine palpando præsagio deriuauit. Vniuersim, Bella tortuoso ac multiplici ingenio prædita sunt, serpentis instar, modico quidem capite, non minantur pertinacem & duraturam vastitatem: cæterùm immanem caudam trahunt, vbi spirâ exsoluerint volumen. Quotus ex nasutis etiam argutísque Diuinatoribus præcepit incheatam Pragæ calamitatem in tot annos porrigendam? quouis elapso, alium Iani vultum & sereniorem sperauimus, delusi semper & in peiora seruati. Spes scilicet sibi blanditur, seipsam exornat & comit, ac dulcedine quadam solatiorum imbuit: vt quæ optata desiderat, præsumat futura. Hactenus in circuitu ambulauit armatum Germaniæ supplicium. hoste vno consummato pullulârunt noui, Lernæo satu. vnius defossum cadauer, inimicos deteriores seminauit. A prælio Pragensi, quod caput Hydræ secuisse videbatur, truncus in suo sanguine volutatus, quotannis protrusit infestiores exercitus. Miseria ius Consuetudinis obtinuit. Gladio metitur seges. falce & falcatis curribus pugnatur. instrumenta pacis in pacem sæuire coguntur. tristissimi bellorum comites, fames ac pestilitas, quod ferrum reliquit intactum, exitiali conspiratione dedere pessum. inediâ non vna vrbs emarcuit. subtracta vespillonibus funera, in epulas versa

sunt,

sunt, pretioso squalore satiatura conuiuas; necessitate non vitio detestabiles. ex Sarcophago, velut è macello obsonium petitum, impleuit improbos ventres, & stitit rugitus. plura scribere non iuuat; deflere licet.

De Sene, cui mallem miserandam fidere Nympham, Pauca terte. vix vllus erit, quem sistere possis, Quem conferre velis. f. 29. m. Nisi fallor, IOANNEM TILLIVM Iuppiter commendat. hic enim rebellem Parthenopolim (miserandam vtique Nympham) vi expugnauit, *fumantem, & faciem Troiæ flammásque ferentem.* Atque hic Gallo-Belga Heros æui nostri, gloria seculi, Bellorum decus & voluptas, Ducum antecedentium effigies, posterorum exemplar, fortia agendo & patiendo, nulli Romano quidquam concesserit. Post Martis omniúmque militum memoriam, non videantur castra illo meliorem maiorémque habuisse. omninò inclytam caniciem ornatámque pluribus victorijs sepulcro intulit; pyramidali monumento BONAE FAMAE ante tentorium defixo. CORPVS quidem, denique saucium octauo vulnere procubuit, Ingolstadij acquiescens. ANIMVS tamen semper inuictus stetit, & vel nunc etiam in Oraculis quibusdam polemicis vir fortissimus viuere censeatur. ea reperta sunt, ab obitu tanti Ducis, in militari palimpsesto, ipsius TILLII signata manu. Placuit quorundam sensum è Gallico sermone translatum, hoc loco Romanâ dictione dare.

Mens conscia Recti, firmißimum propugnaculum est. Proditorem non timet.

Quid fortißimum? armata Virtus.

Subdere DEO. *sic eris insuperabilis.*

Quem sequitur calamitas? qui virtutem fugit.

Victoria momentum, à multitudine bellantium non pendet. vincit, non numerus, sed neruus.

Quis hostis iniquior? quem quisque sceleratus in pectore portat.

Humana prudentia feliciùs & fecundiùs germinat, quæ radicem in terra non figit.

Qui sibi imperat, Imperator est: qui alijs; potest esse.

Diuis proximus ille, quem læsum contumelia meliorem facit, qui offensus dicit, IGNOSCO.

Innium, virtuti peruium.

Sapiens nascentem hostem in semente suffocabit: nam crescere permissus totum campum occupat, non vna messe extirpandus.

Qui iniquum bellum gerit, vincitur, cùm vincit. canat lessum circum flebiles triumphos.

Atque hæc aliqua sunt eorum, quæ probum illud os, & probissimum pectus pari concordiâ sciuere.

Quæ fato voluente sequentur, ab istis,
Qualia nunc tecum Soror admolitur in Hebro,
Crede mihi, tantùm distabunt prælia bellis:
Quantùm Sarmatico secedit Musculus vrso,
Et superat minimam Balæna Britannica Ranam. f. 30, *w.*

Hoc Iouis FATVM. Ego præsente Hannibale tale quid effatus, metuere non immeritò possem casum Gisgonis, quòd pacis studijs nutritus, celeberrimum belli Ducem, quid agendum in acie, erudire tentasset; ab ipso validâ manu de superiore loco detracti. Dispiciamus tamen, quid in vtramque partem afferatur.

QVÆSTIO POLEMICA.

An veteris æui Militia nostræ posthabenda.

MVLTA occurrunt, Veterum gloriam bello partam, illustriùs commendatura. Celeritas in conficiendis maximis itineribus, in tolerandis laboribus singularis constantia, caloris ac frigoris incredibilis patientia, vigiliæ extractæ in plurimas noctes, vitæ & voluptatum contemtus, disciplinæ militaris intemeratus rigor, inter temeritatem & cunctationem nimiam

etiám media, ingens animi fortitudo vigórque, quà aggrediendo Contumaces, qua resistendo Audacibus inclytæ demùm victoriæ, felicissimi & magnifici triumphi, albis equis dignissimi. seu milites, seu Imperatores, seu prælia ipsa expendas; laudabis successus, miraberis euentus, præferes pugnandi modum. non lubet ire per singula, aut excutere syllabum Martis. Vnum illum nunc considera, quem Getula Ducem portauit bellua luscum. Perfidiam plùs quàm Punicam, crudelitatem Hyrcanam semoue: quid desiderabis in hoc Amilcaris Catulo? Africa relictâ, Iuuenis etiamnum, vixdum Imperator proclamatus, Alpium claustra impulit, transduxit elephantos, Latium inundauit peregrino agmine: & vniuersam, de præruptis cotibus cum hyeme ruens, conterruit Italiam. non obex, non scopuli, non niues, non inter eas amissus oculus tardârunt virile propositum. triginta & ampliùs annis sub pellibus transigere visus hybernas noctes, munia Ducis & gregarij militis simul expleuit, æquauítque vota maxima ingentibus factis. quemnam alium dabis & in deludendo hoste callidiorem, & in obtinendis victorijs feliciorem, quamdiu Campanas vineas non vidit. Disce ex hoc Græcos etiam; Marathonium Miltiadem, sapientem Themistoclem, strenuum Pausaniam, ambidextrum Alcibiadem, Iphicratem seuerum, Thebanum Epaminondam, fortissimum Victoriarum Genitorem. transi ad Romanos, si vis; & specta mihi Catonem in Libyæ sabulo prouocantem Fortunæ Cæsarísque copias; Iulium Gallos Germanósque, vasta corpora, proterentem, aut equitantem in Thessalia. Duos nomino, centum intelligo, quos retrò positos memorare longum foret. Stupore complebitur, quisquis Lipsio duce vel comite, Romana castra ingressus, hauserit oculis præsentiùs cataphractæ Virtutis apparatum. mille leges, mille ordines seruabantur. Togam defendit Sagum. responsa se-

natus deferebant Aquilæ. decreta Curiæ promulgârunt litui: placita Patrum sanctè venerabantur morituri pro Patria. Pensa milites. Frugalitas, viaticum erat conuasantium; peritia natandi, nauigium; cuiusque manus, latus & terga, immanium armorum vehiculum. secabant flumina, tranarunt torrentes, amne & glacialibus adhuc crustis rigentes inibant prælium, tantâ plerumque contentione, vt in Pharsaliâ Ciuile bellum portante, terræ mouentis fragorem nemo vnus notauerit. Quid? quòd maximas vrbes, propugnacula firmissima obnixi occupârint summâ industriâ, non ijs instrumentis vsi, quæ quidem præcipuâ laude, Nostra ætas sibi adscribit & iactat. Disponuntur hac tempestate curules è fusili metallo machinæ. quid deinde? caruerunt illis Prisci. quid tum postea? caruerunt tristi inuento, sternente duntaxat Heroas, non probantes. Ænea tormenta tonant, esto. quoties errant hi Iones toto cælo, casso iactu, vano murmure, vasto molimine, magnis impensis, inutili sumtu. Atqui mœnia quæuis transuerberant, esto. Veteres ingenioso assultu, scalis, ariete, testudine, turribus turres superârunt. confer illorum eductis coctili bitumine muris pinnas nostras: nidi hirundinum erunt comparatæ. Tormenta puncto temporis omnia sternunt. nempe, si non exerrent, si in tempore exonerentur, si globus non præuideatur, ex fumo, sonitu, flamma. Veterum catapultæ, tragulæ, phalaricæ, fundæ cumulatissimas edidere strages. adde: quòd sagittarum more, quas vibrârunt, velocissimi duplicauerint victorias. cum nostros milites, grande hoc ex pluribus metallis conflatum chaos remoretur. nimirum dociles pari passu sequi, mox tarditatis infamiâ laborant. nam in exitium reperta moles, trahenda immanibus plaustris, vicenis, quaternis iumentis; quòd tetra nihilominùs luctatione vix è luto promoueatur; præfecti tormentarijs molitioni.

stationibus, simili ambulationi assuescunt. reptant ad pondus. fiunt armatæ cochleæ, occasione bellandi neglectâ, vincendi præreptâ. Sed tormenta discerpunt aciem. Ita est. proceditur in campum. stant ex aduerso sexaginta millia delectorum militum: canunt tubæ. omnia ad internecionem & duraturum conflictum spectant. simulátque prædictæ machinæ exercentur, & flammatæ pilæ lacerant alas, aut feriunt cornu; retrocedit agmen, dispicitur fuga, qua cuique proximum est, aufertur & vanescit. Romani pedem pedi contulere. pilo in hostem iacto, vultus impegere vultibus, galeam galeæ. ad gladios ventum plerumque est. nudo ferro iudice absoluta caussa belli. ibi exaudiri cuiusque voces, & polemicæ conciones Ducum; spectari probata virtus, animus, ingenium. Debilior aut timidior superatus à fortiore; arbitrio victoris animum, vel collum securi submisit. Ibi Quernis, Obsidionalibus, Laureis, Muralibus Coronis locus. albentes ossibus Philippi, Arua Leutrica, Mantineensium, strata cadaueribus confestim dijudicârunt fortunam exercitus; faciléque patuit ex grandi alterius plagâ aut internecione, vter victoriam reportâsset. Quando verò peruenitur isto æuo ad hunc cæsorum numerum, aut funerum aceruum? viginti millia cæsi, vix vnquam desiderabuntur. decem millia triumphum absoluent; non nisi velitatio Cannensis aut Salaminiæ cladis. Caussa. timidissimus quisque, de fulminatrice quadriga, glandes & saxa eminus in fortissimum quemque contorquet. cum terrore ad fugam incitante pugnetur, raro vitalia secantur hostis. ex sparsione recollectus denuò, & tristiùs, & potentiùs insultat. tonamus, salit sulphur, vibrantur glandes, puluere nitrato cælum ardere videtur. Sæpe tamen ignauia & cæcitas, furor & tremor, præceps audacia & hærens vestigium; & scelus & virtus nube inuoluuntur eâdem. Hæc pro Veterum ratione pugnandi.

Iturus in sententiam Iouis, breui respondebit, Ironicam videri comparationem: quæ Veterem Militiam nostræ seriò præferre velit. sciri illorum strategemata laudaríque: porrò honestiora & pulchriora quotidie inueniri. Hereditatem Maiorum, non esse diminutam, sed celebritate nominis, rerúmque nouarum gloriâ auctiorem. Quædam Priscis vsitata, superstitiosè idcircò non retineri; quòd defectus vel ipso neglectu, vel accessione felicioris inuenti compensetur. tristi inuento curulium Machinarum, quemadmodum loquuntur, dissipari cuneos, in fugam agi obsistentes; Victoriam tamen hoc ipso nomine comtiorem aduolare, quia minore copiâ sanguinis respersam. orchestra belli, campus est, inquiebat Epaminondas. illum sanè miris spectaculis illustrant Neoterici Bellatores; longè latéque omnia terrifico flammarum vortice, & aures fulminis voce implent. Sit diris deuotus repertor Siculi Bouis. laudabitur tamen ille, qui inclusus vtero, nullum mugitum ediderit. forsitan & Phalaris commendabit. ita, licet non probaretur Inuentor & Artifex tonantium machinarum in bello; saltem eò maioribus encomijs efferendi forent Nostri, dum cauent, dum tantam vim eludunt, dum & Iouem fallunt; quò facilius est telum, quàm fulmen euitare. Romani pilis vsi sunt. lusisse dicas. Germani ferij, nec vincunt, nec oppetunt ignauo modo. Veteres strinxere gladios. Germani omnibus armis vtuntur, omnibus periculis expositi. nihil tam arte munitum est, tam situ horridum, tam inaccessum loco: quod subduxerit expugnationi aut calliditas, aut industria, aut terror. De Ducibus non laborandum. optimi cuiusque æui numerari potuerunt. huius, & numerari & æstimari meritò possunt. Si per Fata naturæque leges liceret, viserentque ad nos ex tumulo vel Hannibal vel Scipio: obtunderentur aspectu tot nouarum rerum, cuniculorum, consiliorum, strategematum, munitio-

num, &c. & verò liberè faterentur, tempore quo ipsi congrediebantur, Romanum Imperium vagijsse in cunis; iam pugnare in Campis &c.

Quo dedit expressum facinus crudele Belarti, Anguipedes inter quondam summósque Gigantes Principis. f. 53 f. Expende, quæ Pallas suo peplo inscripsit: quæ vera si sint, conuincitur Belartus immanem Gigantomachiam exercuisse. Stilico & Ablauius eadem vestigia cruentârunt. O ambitio! quàm seuerè torques tuis annulis insertos! Quorum pectus insedisti, eijciunt humanos sensus; in belluinam degenerant. dediscunt indolere calamitatibus aliorum. vt vel RADIVM Coronæ Regalis acquirant, auferre tentabunt è Mundo SOLEM. prodigent viuos: abutentur occisis. Talium aliquis, secreta consilia coquet, quæque optabit etiam à Dijs nesciri. Quantus Artifex dissimulandi! plorabit, pallebit, miserabitur, ridebit. quiduis tentet, dum regnet. Gaudia subsultant in corde tyranni, rapta de rogis, & crinibus, tumulísque furiarum; sed citò in præceps subuertenda. Tacturo nubes discedit tellus. arma, claustra scopuli reuelluntur & patent. Scelus produnt oculi, nutus & nictus. dum tacet, clamat; dum negat, affirmat; dum blanditur, furit; dum parcit, sæuit; dum se excusat, damnat. Vt si in Eleusino Sacro arcana abdidisset, penetrarent tamen aliquando in apertum æthera. Animus sui carnifex, odit quem punit. In talem ignaro Ioue tonant nubes; inuito Marte stringuntur gladij. Quidquid Iustitia rapit, fit telum. errant quidem nonnunquam opiniones & susurri, suspicantium iacula; verùm vbi Fata direxerint arcum, Scopum tangunt. cadit denique Ambitiosus indebitæ gloriæ competitor. immolatus Desperationi, aram, pauimentum, mensam, cubile, lectum cruento pulsat vertice. In oraculi modum accipio duos versus Satyrici: Ad Generum Cereris sine cæde & sanguine pauci descendunt Reges, & siccâ morte tyranni.

 Scitu,

Scitis, & in vestris etiamnum mentibus hæret Terrigenum furiale nefas, dira ansa Tiphæi. f. 36. m. Expende Iouis orationem, eámque, si placet, immutatam nostri moribus æui accommoda. Quod dedecorant Athei, &c, qui per Antiphrasin Politici dicantur. hi in omni flore virtutis, vagues sunt. Honestum detruncant vno ictu. apud ipsos nulla futuri mentio: toti præsentibus immerguntur, malúntque viuendi caussas, quàm vitam perdere. Quid facias in horum consortio? Negant Numen humanis rebus aut interesse, aut curam intendere. Negant *subterranea regna, Maneis & Stygio nigras in gurgite ranas.* affirmant scelera quædam esse Reipublicæ vtilia. regni caussâ quiduis audendum. conchylia, risum, lachrymas, verba, cærimonias dolis & Sinonianis fraudibus deaurant.

Quanto sudore cauemus, Ne leges Naturæ suas violata queratur. f. 38. f. Nihil scilicet improbis sapit, nisi è culina nequitiæ & popina luxuriæ protractum. Carpit luxus Nouembres rosas, & siquas Ianus sui Mensis capillamento innexuit. Quas Maius educat tepore verno, creduntur rus olere. Æstate, pretiosa glacies in Indicis carchesijs natat, rumpitque bibentium vitalia. Ocreæ & naues, pocula fiunt, cymbia cymbæ. Aper cadauere venatoris emtus, pisces Tritonibus furto ablati, aut per vim erepti, excussa flentibus Nymphis corallia delectant Commodos.

Atque vtinam interea, vel paruo tempore, fessi Vestrûm aliquis caperet frena imperiosa Tonantis: Disceret inuidiam tumidus auellere votu. f. 37. p. Mortales: credamus Ioui assueto imperijs. Ego sic sentio: Labore & curâ, velut duabus columnis Regna fulciri: quarum pondera si regnaturo nota forent; vix vllum sceptro manus admoturum. Ambitio, etiam ex hac parte, tenebricosum crimen est: exerrat Andabatarum more, & in omnes scopulos impingit. tormenti sui dulcedine consumitur. POMPEIVS M. agnouit Gloriæ suæ trepidantis vertiginem; adhæsit tamen, ab ea

vsque

vſque in Theſſaliam propulſus. THEMISTOCLES aiebat, malle ſe ad ſepulcrum, quàm tribunal ire. Sic fatus, iuit ad tribunal, veſpillone relicto. ANTIGONVS ad filium: Intellige Regnum noſtrum, ſplendidam ſeruitutem eſſe: quam tamen non abhorruit. libenter ſeruiuit, baſiauit ſua vincula, & cataſtam ex ebore defendit. SELEVCVS: ſi ſciret vulgus, quibus curis integerentur Coronæ, eas ne humo quidem vllus ſuſtollere dignaretur. ſic fatus ſuſtulit, ſublatâ redimiuit caput; oſtentauit illigatam Perſico nodo cæſariem. æmulum finge purpureæ faſciæ imminentem ſtruxiſſe inſidias: quid non irarum alter protruſurus erat, vindex rapinæ. tam parum facta verbis concordant. Sapientior CAROLVS V. Imperium Rom. quod inclinatâ vitâ ſenſit onus, etiam reipſa depoſuit in humeros fratris Ferdinandi; Regna, in Filij. Philippe Princeps: admitte auguſtiſſimas emeriti Patris preces: potes lachrymanti credere, SERIÒ FVNDI, tibi Aquilam, tibi Auſtriam, tibi Gangem commendat & Indum. DIS genite ac geniture Deos, ſuccede labori.

Dira petunt, non caſta ſatis, non digna mereri, Quaq; palàm nollent Plebis conſtare Tribuno. fol. 17. m. Perſius Poëta explicat. petuntur hereditates viuentium, ſqualloresconiugum, triumphi ex deuicta pace reportandi, Quale votum Lamiæ Romanæ! Iano & Veſtæ ſupplex, *ſtetit ante aram: nec turpe putauit pro cithara velare caput, dictatáque verba protulit, vt mos eſt, & apertâ palluit agnâ.* Quale Caij Cæſaris votum! quod audiſſet ruinam Theatri Fidenatis, Imperium Tiberij reddidiſſe famoſum: optabat & ipſe Conſulatus ſuos inſigni aliquo & decumano malo nobilitari. itaque ſi calcato Lunæ vultu, Solis pulcherrima facies laceraretur; ſi curru excuteretur Arcturus: ſi Roma ſuis conuulſa ſedibus abſtraheretur in Africā; ſi migrante Tybri nutaret Capitolium exſultaret hæc bellua ſub ruderibus. mitiùs vtique Caligula. optabat

bat innocentiſſimus vir, conſerta totius humani generis colla, in vna ceruice ſtare; ſuâ, hoc eſt, Cæſareâ rhomphæâ demetenda. ô manum! ô mentem! ô votum! Tyranne, tene votum, & muta ſenſum. omnium improborum iuguli,tuo miſceantur; vt annuloſum, támque fexax in fata, totque ſceleribus ferruminatum portentum, vno ictu amputetur. natura manum, Aſtræa ferrum, Deus vires prouidebunt.

EX LIBRO IV.

ET iam intra iunci ſaltum Bellator vterque ſtabat, & erectum tentabat figere peilum. Primus in aduerſum fertur Phyſignathus hoſtem. fol. 39 in Ranæ bellum ordiuntur: in prima acie Rex; & fortiſſimi quique ex Batrachis. Aliquot iterum quæſtiones Polemicas interſero, ex decurſu præſentis Batrachomyomachiæ ſoluendas.

QVÆSTIO POLEMICA I.

Impetum in hoſtem facere, an ſuſtinere præſtet.

HAnnibal, Pyrrhus, Alexander, Decij inuaſerunt: Marius item Cimbos ac Teutonas incurſu fregit. Fabius Cunctator, aliíque non pauci ſuſtinuere feliciùs. Cenſeo hoſtis ingenium explorandum eſſe: ferocem, &, ſi copia pugnandi detur, vſurum bonâ fortunâ, frangendum morâ; præcipitem ſpe deludendum, vel admiſſum tribulis induendum. Callidus aſtu contrario retundatur. occidére quidam, quòd properi infeſto agmine, omnes copias explicaſſent, naſo primùm, deinde & collo, ſuſpenſi. Atqui ſemper extrahere occaſionem conflictûs; vtramque aciem, tædio, iniuria & fatali languore conſumit. Verùm, nihil æquè ad Victoriam facit, quàm hoſtis ingenium,

genium, mores, assuetudines, animisque perturbationes habere exploratas. quippe ijs perspectis, velut indole cognitâ ventorum, vela bellicæ fortunæ, malo deduci aut expandi possunt. Duo superioris æui fortissimi Duces, durantibus inducijs, vt facere amant milites, conuenere ad amicum & hospitale conuiuium. poscebatur poculis: cærimoniæ quæsitissimæ non deerant. secundùm epulas, latrunculorum ludo se admouerunt, acie decussato in campo instructa. Scaccho ludebatur. mirificus in hac arena præliandi modus. Stat procax Regina, munitur Rex, fundantur turres supra elephantos: antecedunt Velites Rustici in nigro gausape, in albis sagulis, classici vicem. summum silentium est. perdit enim hoc genere certaminis Amyclas, qui plurimum loquitur. Mens & manus negotiosa militem circumagunt; tubæ non audiuntur. Spectator rimosus si insusurret, incusatur vt proditor: sæpe excussissimo colapho, in malam rem & Mœoticam paludem abire iussus. itaque iusto certabatur ordine. Hîc, sagacior vnus alterius indolem discere, calore nimio periculosam, impatientem moræ, indignabundam; verbo, hominem, nisi pudor obstaret, vno congressu motúque manûs, Regem Reginámque in barathrum proturbaturum. Æmulus interim conniuere, imperare affectibus; subinde cedere; modò insequi, proritare & premere, spem potiundæ Amazonis facere: vbi vidit anhelum, iamiámque prensantem; repente è medio campo Camillam subducere, arcere hostem, præsidium obijcere, aut infamem victimarium seruum ex Mauritania. denique moliri insidias, & spectante toto exercitu, frustrâque obnitente, Regem circumuentum ad deditionem cogere, stricto acinace supra verticem canum intentato. ingens luctus & desperatio in Castris: vt arcu, sagittis, ac vestibus etiam Regina spoliata, obuoluto capite supra scutum procubuerit. Sic quidem se lusus habuit, & triumphus equitis cornu obliquantis,

tis, (vtique in hac palæſtra ſpectati roboris) penes quem ſumma victoriæ ſtetit. Ludentium vero diuerſa facies. nam neque victus iræ poterat moderari, neque non accuſare Fortunam ſuam; quæ tam florentes cateruas in Campo Martio proſtituiſſet. Victor, eadem frontis ſcenâ mimum continuauit. vt occultaret felicium conſiliorum rationem; in bello, dicebat, caſus valent. ignauiâ meâ vici, an fortè ludibrio reſeruatus, & ab hoſte parcente irriſus! ſcilicet aliàs deſperaturo, & imperitiæ damnato, iocus indulſit. plerumque cùm initia pulchrè ſe habent, finem furiæ ſtrangulant. Simul his, alterum claſſicum inſonuit. Vidiſſes priore prælio ſubactum, omnes vires exercere; iam incenſo animo noui diſcriminis aleam ſubeuntem, & ignominiam aboliturum. quo in congreſſu, non tam mouebat milites, quàm diris deuotos & ſub furcam Caudinam mittendos, votabat malè feriata manu, permiſſus frui doloſæ ſimulacro victoriæ. Quibus rebus vtrinque confectis diſceſſum eſt. elapſo menſe, ſimulatque induciæ exſpirârunt, iterum ad vera arma conclamatum eſt. Qui in poteſtate habuit impetus, eadem prorſus arte bellandi, vicit furioſum aduerſarium in campo, quâ priùs ſollicitauerat in tabula. id, quòd multo pòſt tempore, amicis ipſe narrauit. Vnde diſcere habemus, magnum momentum adferre, perluſtraſſe Ducis animum. qui, ſi immodicus ſit, efferus, præceps; ſi nimiùm indulgeat tumultibus mentis; ſeu inertem, ſeu ſtrenuum moueat militem, Fatis trahetur ad foſſam & interitum, ſeptus gladijs ac cohortibus, inſtar agitati trucidabitur tauri. Fabius Maximus hac ſcientia vſus, exſultantem Hannibalem fregit: Scipio denique Italiâ ſubmouit. In hac Batrachomyomachia, paſſim videbis præcipites & incautos ſterni.

QVÆSTIO POLEMICA II.

An è re Bellica sit, Duces ipsos, frontem aciei complexos, in hostem impressionem facere.

PHysignathus Rex Ranarum fecit itidem Mansolus *Cornuáque extendunt equitum. Dictator amarum Præfurit, & totas secum iubet ire cateruas. Qualis in arma leo, &c.* Est, cùm non nisi præuij Ducis exemplo stimulatur miles ad fortiter audendum. sequitur plebeius pes regium. Viderat Lucius Imperator legiones Romanas à Mithridaticis premi, iámque fugam prospicere. ergo improuisus emicuit ante ora omnium; strictóque gladio ferocior, ite milites, inquit, desertores laudis meæ ac vestræ; ite Patriæ proditores; quærentibus tamen, vbi Imperatorem reliqueritis, respondete, in Bœotia. stetit ad hæc verba fluctuans acies; animísque pudore & horrore surrectis, denuò inuasit hostem, cedere compulsum. Ita Seruius Tullus sub Tarquinio, torpentes cunctantésque socios, signo in hostes coniecto princeps impulit. Dum dubitant, dum tremunt, dum opinionibus vagis ac vanis mentes turbantur; efficaci consilio rumpenda sunt timoris & naturæ vincula. Profuit Iulio, ad Mundam acriter suos increpuisse. cedentibus enim illis ad periculum, quod insuperabile videbatur; in primam aciem pedes ex equo prosiluit, sibi Dux & miles futurus. ocyus secuta cohors, & deleturа infamiæ notam, festinauit properantem antecurrere Ducem. ceu illa Cæsaris verba, quæ iam semel audiuerant, etiamnum auribus insonarent: *Hinc fuge, si belli finis placet, ense relicto.* &, *Vadite, meque meis ad bella relinquite fatis. Inuenient hæc arma manus.* Quid? quod ipsos infantes, regnorum heredes, in cunis, prima fronte exercitus posuerint Macedones,

viceríntque illyricos. Quid? quòd paruulus Clotharius, pendulus ab vberibus Matris, vagitu Francos ad pugnandum animârit. Soli Arsacidæ conflictui non intererant: vt mirum sit, quis acerbæ Fortunæ iocus præsentem Darium Alexandro obiecerit. Nostro æuo mutata bellandi ratio. exonerantur curules Machinæ, discerpúntque agmen emissi globi quaquáuersum. Quis vterus Bellonæ tot Reges ac Duces pariet, primis congressibus suffecturos? vt adeò non tantumodo vix tutũ sit illis semper Antesignanos adequitare, sed nec laudabile videatur. Cæso capite trahitur in ludibrium armatum cadauer, & equorum vngulis acies prostrata calcatur. credidit quidem Carolus V. Imperatorem, humani fulminis esse securum: nec daturos Superos, vt vnquam caperetur. credidit idem Franciscus I. Galliarum, sed damno suo. Itaque, in tempore, omni necessitati prospiciendum. Ex Veterum aliquo quæsitum, qua parte exercitus Ducem collocandum putaret: *Miles suo loco, Dux vbique sit*, respondit. conuenit quemque honestæ morti deuótum, nihil formidando, ita se gerere; vt Philippicæ Quartæ Ciceronianæ, epilogum mereatur audire: DIGNVS IMPERATOR LEGIONE MARTIA, DIGNA LEGIO IMPERATORE.

QVÆSTIO POLEMICA III.

Quis Miles in prima acie collocandus.

BAtrachi fortissimos ex suis Mausolo obiecerunt: id, quod Pyrrhus Molossorum Rex, arte instruendi dirigendíque exercitus laudatissimus suasit. quem Cæsar in Pharsalica pugna imitatus, Philippos sanè luculenta clade Pompeij nobilitauit. Homerus infirmos, debiles, timidos in medium accipiendos monet: Hannibal istud militum genus primo furori incursantium offudit, velut offam, ore gladij deuorandam,

randam, famelicorum dentes stupore correpturam; verùm, vt altiùs dicere memini, non tutò: sed & barbarè. Quid si hostis successu ferocior, irâ vires augente, eodem impetu, quo protriuit imbecilles, superfusus & fortiores sternat. Audio nec Veterum Romanorum acies ab omnibus probari, collocantium primâ fronte leuem armaturam; deinde grauiorem; denique grauissimam. cedente leui, crescit animus Inimicis: atque vt parua magnas inclinationes secum in bello ferunt, rem ad incitas redactam, sæpe nec Triarij corrigere potuerunt. Cùm instat victor, & antevolat Fortuna; damnum passis minuitur animus, dispicitur fuga; pleraque turbatè aguntur.

Corripiunt spacia, & medio gradiuntur in orbe, Lunatámque aciem reddunt. f. 40. *p.* Talis Cannas sanguine Romanorum impleuit. Musculorum exemplo discat hostis, visâ Lunâ, non in globum colligere vires, sed pariter extendere; nisi densata phalanx perrumpendi aditum cerneret. includi, aut circumuallari, est velle vinci. Cæterùm obliquationem aciei probat Vegetius. & quadam Ioannes Austriacus, Turcam ad Echinadas, in Naupactæo gurgite superauit.

Densis ictibus iuncisque serenum Aufertur fol. 40. *m.* Hæc caligo non terret oculos, fulgore ferri pasci assuetos. Notum illud Leonidæ: sine barbaros multitudine ingruentium telorum obscurare Solem. sic enim sub vmbra pugnabimus.

Quidam & fugientibus vsi in caput impingunt clypeos, in pectora testas. f 41. *f.* Acies ad fugam spectans, tantùm non clara voce exclamat: I VICTOR, CAEDE OMNES: cupimus cum dedecore mori. talium dorso mors insudet, & anhelos tundit. formidolosa consilia prostituunt gloriam. fortium virorum & stantium armata funera numerat Gradiuus. turpe est, præbere pedes numellis, & quia munere turpis obsequij donetur, capulum basiare victoris. Dicas: fugisse tamen quosdam Heroas. prælio excessisse vis dicere Victoriam

Acerbitas victoris, rupta iura, temerant Diuûm hominúmq; oculos. Quin & Turcæ seruanda fides. fracta, ingentibus incommodis profligat Rempublicam. testis in Varnensi pugna codex ille, in quo fœdus ictum continebatur, ab Vladislao Hungariæ Rege ruptum: quem simul atque Amurathes è sinu depromtum, astra contuens incusánsque Christianos ostendit; versâ ocyus fortunâ à Pannone; Soli deputata Victoria, in Lunæ cornibus consedit.

Inclinatam aciem toto Physignathus agro Colligit. ô sangues. qui sic in bella venimus. f.43 f. Dum vena & ensis micat, nunquam despera, aciei tuæ si Cornu decussum, si Ala euulsa, si Manus truncata, si cruētata Frons; modò pectus viuat, nondum excidisti; collige sparsum militem, iturus in pulchriora discrimina. obtusos mucrones acuet pudor, aut desperatio. MAGNVS in Pharsalia victus, Exsul Mundi, statuerat Ægyptum armare, vniuersæ pharetris Auroræ vsurus contra Socerum. victus in Hispaniâ, pulsus Italiâ, etiamnum Ducem se meminerat. Putas Cæsarem, accepto vulnere, superbo Victori qualicunque supplicaturum fuisse. Perditus Themistocles semper magis timendus erat. Est quædam in infelicibus virtus, quæ non exerit se, nisi cùm hostis felix est. Vt taceam bellicas res agi vertigine. illi nunc militat æther, & coniurati veniunt ad classica venti; cras conspirantibus Austris Tunditur, & plures vlulant ad tympana Manes. pauidis elementa repugnant, vires & corpora torpent, Enses in ignauiam fluunt. iurabis plumbeas manus in te vibrare plumam. fide Deo, fide animo in te habitanti. omninò sic habe: prælia gloriosa, Fortuna commendat, sed virtute geruntur, & constant.

Pudor, arte profanâ Militis in bello, & damnatis ritibus vti, Si tibi mens non læua foret, iustúmque probares & veniens à morte decus: tua pectore nudo, non in Thessalicâ virtus radice lateret. fol. 45. f. Exprobrat Calaminthius.

thius Artepibulo Magicam artem, quâ fretus culpatam sibi tutelam gerat. Si verè: meritò. neque enim ille fortis, quem defendit virus, anguis Thessalus, pollutæ notis infamibus Passauiensium schedæ, & incestifici susurri spiræque volubiles. calamistri pauitantis nequitiæ sunt, non indicia virtutis. hæc fraudis expers, ferrum non tinctum, sed quale natura procudit, in manus sumit: tale osculatur & iustæ defensioni obtendit. Inimico cedente aut submisso, credit se bis vicisse. obluctantem cædit, & gladium cum gemitu recondit. Ain tu? narróne rem Militibus nostris familiarem? imò multis inuisam. amuletis muniti, impenetrabiles plebeio telo ad iurgia se protrudunt, & circumspici volunt, ne halitu quidem veræ gloriæ afflandi. pugnatur in duello, & paullò post, Ducitur iratis plaudendum funus amicis.

Stabat adhuc: donec truncum pede propulit hostis. f. 46. f. Sepone nequitias Artepibuli: talis miles Cassius Scæua fuit; oculum telo confixum tabóque stillantem, ex orbe stirpitus eruens & pede proculcans. talis Acilius ad Massiliam Myoparone potitus, cùm anima illius veriùs in cruento trunco, quàm corpore stationem seruaret. talis Petronius captus! qui ab hoste vitâ donandus, serua tuum crudele munus, inquiebat: Cæsaris Milites salutem dare, non petere consueuerunt. Hi tanti viri stantes occubuere, in alterum Orbem ituri, eâ auiditate, quâ Romani proletarij ad Pana & Circenses. Tyranno dicente, OCCIDO: verebantur, ne reuocaret donum nondum traditum.

Parte aliâ Regina furens Artmisia fertur Mausolúmque iuuat, sæuitque & Amazonis implet Implacata vices. fol. 47. p. Mulier cùm sæuire incipit, nescit modum. armata etiam Furias vincet. Illa potiùs vsurpet Ciceronianum encomium: Cedant arma TOGAE, concedat laurea LINGVAE. in modum truculentæ belluæ extra orbitam rapitur, præsertim lætata successu.

Nunc

Num vir vllus vnquam deficientibus telis, infantes humi afflictos, in ora militum aduersa contorsit? id Alemannas fuisse ausas tradidit Lucius Florus. Quædam scriptæ sunt, censæ sunt, ad palum probatæ sunt. vmbonis decus & galeam sumsere comantem. Placuit prælantibus horror Martius, & vulnerum seges, & spuma dedecorans vultum. Rusinoura contemta cyclade, mentita marem, publica latrocinia egit. Fuluia M Antonij, deposuit stolam, ense cincta in campum processit: dixit inter cadauera, Io triumphe. Vxor Hunniadis Coruini, marito nil cesserat. Margaritta, Soror Sfortiæ, fratrem è vinculis liberauit; Cremenses Matronæ, viros; suum Fredegundis occidit. bella spirat etiam iste sexus. vtcunque naturâ mollis dicatur: nescio tamen, quid chalybis gerat sub pectore: ad cuius affrictum, iam amantium vulnera, iam pugnantium iræ acuantur. Quòd stupeas, in vltimo discrimine durat præ viris. anus quædam, tormento curuli excussa superasse fertur, & animam contumacem, iamq; sepulcrum olentem, in effeto corpore, hoc est, fictili & mucida laterna conseruâsse.

Iam neque Troxartes, qui circum castra fremebat Hactenus, ignauus pugnat: quanquam obsitus annis Magnorúmque altor furum,&c. *fol.* 47. *m.* Vide sis Oedipum nouum in hoc nigro silicernio. vlturus Genitor Psicharpagem occisum, armat senectam. insueta ministrat tela dolor. Inter homines non minus ringuntur Parentes amissis liberis. torui Deum naturamque accusant. Canicies & promissa barba saliuâ manant; tota Domus in luctu est. tigridi catulos ereptos putes. nonne & Priamus, ætate licet decliui, tremulus expediuit arcum, & moriens mala verba nouissima dixit!

– *Lychomylen (crudele!) rapit Pelusius vnco. Mæsta precabatur: sed quid suspiria rupi? Quem lachrymæ tales vnquam mouere tyrannum?* *f.* 48. *m.* Pollutæ semel cruore fauces mansuescere nesciunt. Ignorat verus & iam

plùs quàm quinquennis Nero, quid nominis Clementia sit. Ab omni æuo exempla quædam crudelitatis tam immania memorantur; vt mirandum sit, naturam aut potuisse, aut voluisse talia hominum portenta moliri. Selymus Aladoli caput, imersis in oculos vnguibus lacerauit. Theophilus Imperator animam vltimo agone versans, frigentes iam digitos infregit Inimici sui Caluæ, monstrifica voluptate perfusus. Quid annosa & ieiuna tigris acerbiùs excogitet in via! Hannibal Romanos milites deprecantes vitam, pedibus succisis, pedetentim mori coegit, protractis in longum tormentis. profuerat vtique integros ad Orcum mitti, quàm lentam mortem primoribus sæpè digitis gustare. Memorant non sine lachrymis tres Infernæ Furiæ; quemadmodùm Caligulæ & Heliogabalo constitutæ quidem ipsæ Moderatrices, vtrumque olim sub ferula habuerint: eos tamen tam auidè instillatum venenum combibisse, vt breui à discipulis, adhuc ephebis, fuerint superatæ. ille fratrem Tiberium occidit, quod se coram tussijsset. iste paruulam Drusillam inter filias antè non agnouit: quàm vidisset strictis vnguibus in Nutricis vultum ferri. Quoties genibus affusa Roma, vt ne tot innocentium trucidare pergerent ætatem, *mœsta precabatur: sed quid suspiria rupi? Quos lachryma tales vnquam mouere tyrannos?* potuerunt hi Cæsares, Libitinæ Lenones, Humanæ vitæ Adulteri videri: qui cum Morte frequentius & dulcius commercium miscuerint, quàm cum ipsâ vitâ. At enim hoc priscæ tantùm tempora? vtinam. OMNE SECVLVM, MINIMVM VNVM CATONEM, VNVM BRVTVM, VNVM CAMILLVM FERT: VNVM STILICONEM ETIAM ET TYRANNVM. Cum humanis rebus tã malè non agitur; vt bonis viris destituantur omninò: neque tam benè; vt non pessimis abundent. Quasi verò sola Africa quotannis pariat nouum Monstrum. omnis terra malorum ferax. exemplum nostri Seculi cape. Pereunt Prouinciæ & Regna fœdissi-

fœdissimis modis. Vrbes portis eijciuntur: omnia flagrant plùs quàm Phaethonteis incendijs. Aratrum duci non potest nisi super cadauera. Messis exsurgit aut nulla, aut hominum cruore pasta. Audit hoc tyrannus in angulo, & ridet. Adsunt legati supplices, Dynastæ, Proceres. queruntur; rogant, promittunt. ridet alter, & tacitè sæuit. suspirant. *Sed quid suspiria rupi?* veniunt ipsæ Prouinciæ ac Regna, Deæ mitissimæ, ac pulchræ olim, modò vulsis capillis, confusâ facie, exstinctis pæne oculis sordidatæ. vbertim lachrymantur. *Quem lachrymæ tales vnquam mouere tyrannum!* aut si quem! non talem. de quo hæc dicere possis: Inter homines tyrannus est, quod inter pecudes popa. Heu! quàm miserum est ab eo lædi, de quo non ausis queri.

*Arua rubent, & vix densatis sufficit agger Funeribus. passim, cædes, vlulatus, & hastæ, Et iunci medijs rorantes ossibus extant. f.*48 *f.* Dicâmus potiùs: E medijs gladij rorantes ossibus extant. Hominum non minor rabies mollissima nobis Natura dedit corda. vnde igitur tam ferrea; Audi Poëtam Volscum Satyra. xv.

-------- mollissima corda
Humano generi dare se natura fatetur,
Quæ lachrymas dedit. hæc nostri pars optima sensus.
Plorare ergo iubet caussam lugentis amici.
Naturæ imperio gemimus, cùm funus adultæ
Virginis occurrit, vel terrâ clauditur infans
Et minor igne rogi, &c.

Quid alibi deplorat idem Vates?
Sed iam serpentum maior concordia. parcit
Cognatis maculis similis fera. quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore vnquam
Exspirauit aper maioris dentibus apri?
Indica Tigris agit rabidâ cum Tigride pacem
Perpetuam. sæuis inter se conuenit vrsis.
Ast homini ferrum lethale incude nefandâ
Produxisse parum est, &c.

Expende hæc Lector. omissis Muribus ac Ranis miserere humani generis; & tui.

Sauit nuda manus pauca sine vulnere mala.
Vix cuiquam aut nulli, toto certamine, nasus
Integer. aspiceres iam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
Ludere se credunt ipsi tamen, & pueriles
Exercere acies, quòd nulla cadauera calcent.
Aspicimus populos, quorum non sufficit ira
Occidisse aliquem; sed pectora, brachia, vultum,
Crediderint genus esse cibi.

Fiunt hæc, etsi millies apud Superos, Pietas ac Clementia mortales accusent. venalia hominum corpora, quandoque truncata cedunt in sepes hortorum, & auium terriculamenta. quod Senatoribus Romanis in Pharsalia contigit. multitudinem cæsorum hostium computauit Hannibal numero equestrium annulorum; Baiazethes sectarum aurium. vterque modijs mensus diuitias funebres, ærario mortis & crudelitatis intulerunt, de vitâ aliorum triumphantes. credis? Vitellius odore cadauerum delectatus scribitur. Amurathes ante obsidionem Croiæ, quòd expugnationem desperaret, sibi ipsi digitos præmordisse. etiam in se ipsam sæuitia sęuit, si materia subtrahatur.

Infremuit Mausolus ad has cum Coniuge voces, &c. fol. 49. p. Nulli Regi fibra tam cornea, nemo tam madidus aut ficulneus, quin dedecore irritetur; vt minùs mirandum sit, Mausolum exarsisse, calefactum sarcasmis Batrachi. quis audiat talia? *Illepidi fungi, nec curis apta seueris pectora: tunc celeres estis, cùm mucida signum Mappa dedit, patulásque afflat grauis amphora nares.* Ne Iuuenis quidem Ascanius, sustinuit Numanum Remulum digna atque indigna relatu vociferantem.

Ibat, & ingenti sese clamore ferebat.
Non pudet obsidione iterum, valléque teneri

Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?
O verè Phrygiæ (neque enim Phryges) ite per alta
Dindyma: vbi assuetis biforem dat tibia cantum.
Quid contra Sanguis Æneæ?
Talia iactantem dictis ac dira canentem
Non tulit Ascanius: neruóque obuersus equino
Contendit telum, diuersáque brachia ducens
Constitit ante Iouem, supplex per vota precatus.
Intonuit læuùm: sonat vnà letifer arcus.
Et fugit horrendum stridens elapsa sagitta;
Pérque caput Remuli venit, & caua tempora ferro
Traijcit. I, verbis virtutem illude superbis.
magnanima ingenia supplicare nesciunt.

Vim cohibet frater Pelusius, & bene magnum sustulit à ripa saxum fol. 49. m. Quale vtique Turnus in Iuli Genitorem:

Saxum, antiquum, ingens, campo qui fortè iacebat
Limes agro positus, litem vt discerneret aruis.
Vix illum lecti bis sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Cæterùm vsitata Veteribus arma, funda & balliftæ: inde funditores & fundibularij; celeberrimi è Balearibus insulis, ingentia saxa torquebant.

Sapiens iram moderatur, & intra Mentis Castra tenet. fol. 49. f. Hîc enimuerò Marcellus, Scipio, Fabricius viri fuere. fortunam & iram in potestate habuerunt. Quæ quidem potestas Iulio Cæsari, in tyrannidis speciem, nouo prodigio versa est. potuit enim is, vbi damnatum mortis, promtum vidit, & facilè obnoxium ferro lictoris, potuit inquam substringere imperium; atque, vt cum Lucano loquar, Reum nudam ceruicem, stante vultu, porrigentem, *tristi munere vita donare.* Arduum opus, in castris interque tubas, & senerum esse & negotiosum, & strenuum, & simul compotem sui. Plerique cum Turno dicunt: *fine me hunc furere antè furorem.* hinc rear Poëtas occasionem & caussas sumsisse comparandi bellatores leonibus, tigridi, apris, tauris. quod solemne Papinio & Maroni.

Cadit ille extrema secutus, Et moriens frustra patrias se vertit ad vndas. Nil prodest, occise, tibi soluisse ligatam Limnocharin, &c. fol 50 m. Hoc Seutlæi fortissimi Batrachorum Fatum; qui ipsam Limnocharin captam à Mausolo liberauerat. Nemini bella parcunt. validiores celeriùs obteruntur. Qui priuilegio fortunæ vtuntur & inertiæ, sæpe feliciùs euadunt, nati, vt aliorum pugnas & triumphos enarrent. quot animosos Duces ac milites Troia consumsit! Robur Achiuum muris allisum procubuit. pulcherrimi Dardanidum cecidere cum Chorœbo. Hector curru tractus, Priamus post aram immolatus. reliquos ensis hausit & flamma. Equus intra mœnia ductus, non hinnitu, sed vteri fremitu totam Vrbem concussit. In hoc tumultu Helena & Paris (quæ prostibula!) vim hostilem omnium minimè sensere, vel præteriti, vel elapsi. Nil profuit Seutlæo soluisse ligatam Limnocharin. Quid profuit Fabio Max. liberasse Romam è faucibus Punicis? Quid Scipioni Africano? Audio quiritantis, an insultantis vocem: INGRATA PATRIA, NE QVIDEM OSSA MEA HABES. Quid Annibali profuit, tot annos galeis tectos impendisse Carthagini? transi ad Græcos. Themistocles, Pausanias, aliique sexcenti, cineri suo eadem suspiria inscripsere.

Mausolus super vnus erat de pluribus: illum & sua fata premunt, letique animosa cupido admonet, vt magna funus memorabile fama Includat Rapidas igitur mouet vndique turmas, Quas desperatus coniungit, & vltimus horror mittit in auxilium f. 50. p. Nescio qua libertate quisque pugnet iam perire certus. contemnit vitam & vulnera, deliberatâ morte ferocior. Seuerus Cassius ante vltimum certamen, sarcophagum affatus; tu virum capies, dixit, quem totus Orbis capere non potest. Suardus Anglus ad vltima deuolutus, lecto moueri & armari se iussit, hoc habitu opperiri Fata constituens. Vides Mausolum non abhorrere à Leto, sed ludibrio, vt ne inultus occumbat, memorabile

bile facinus & funera, suo MAVSOLEO præmissurus. Homines æque dulcis insania stimulat. ambiunt tumulos honore fetentes. grandi cupresso volunt signaci cineres, aut talibus Epitaphijs.

I.

Viator:

Scito heic militem sepultum esse,
magni Nominis Vmbram.
Vigilijs fuit præfectus:
nunc altum dormit.
Longas excubias longior somnus compensat.
Inquies vixit. Quietissimus iacet
Incœnatus tamen ad Maneis non iuit,
glande pastus.
Post quem holum nil amplius edit.
robusta crudi pabuli vis,
Æternitati saginatum probè transmisit.
Dices tamen vtiq; victorem mortis,
quam ore deuorauit.

II.

Viator: paucis te volo.

contemplare inscriptum marmor.
eius angustia coërcetur
Tribunus belli.
Cuius ensis tenaciùs hæsit in manibus,
quàm anima in corpore.
Ausus sui occurrere Fatis meis.
illa
per medias acies ruentem stiterunt in campo:
Terra, me cadente, sonitum dedit,
Mars gemitum.
Absque clangore non veni ad silenteis,
iam cum illis pariter silendum est.
Fama mea in aëre volat.
Ipse in cinere lateo.

III.

Spectator auſculta.

Quod vaga cupiditate tractus
Ad diuerſarum nationum ſepulcra
quæris:
hoc te Germanus doceo,
mori.
Sanguine nobilis, ætate iuuenis, officio vexillifer,
Fui, Vici, Vixi.
ſequere.

IV.

Siſte Viator.

Heic ſitus,
expectorauit animam, non efflauit,
gladio præcordia diuidente.
Stabam, cùm circa me plurimi iacerent.
Iterum ſurgam, cùm iacebunt omnes.

V.

Curioſe Ambulator.

ſiſte greſſum.
Cinis Mortuus viuo loqui cupit.
Sepulcrum vides eius, qui multos ſepeliuit.
Belli Dux, tractus huc fui, non ductus.
Rem narro.
Ex vulnere æger,
vt exercitum ordinarem,
in lecticà ferebar per caſtra.
audi infortunium.
Curuli ſellâ deiecit curule tormentum.
Diuinum fulmen meritus,
humano perij.
puluis in puluerem me redegit.
Serpentis ænei ſibilo afflatus peſtem hauſi,
& in veſtigio animam euomui.
nimius globi ſplendor, cæcum,
vehemens tonitru, ſurdum fecit.
Vtcunque tumultueris, nihil audio.
i ſanè nunc, & ambula.

Super-

Superingerunt cristas, fercula, vexilla, cassides, ocreas *lento ductas argento*. Et verò hæc monumenta gloriæ, veris Heroibus, adeò non inuidemus, vt arbitremur potiùs adhuc maioribus esse cumulandos. in talium obsequia, laurum & tubas nostras, omniáque plectra, totúmque Parnassum offerimus. Digni æternitatis memoriâ Duces, qui pro Patriâ, pro auitâ Religione, pro Aris & Focis moriuntur. Eorum funestam vanitatem deridendam existimamus; qui vel iniustis bellis iuratas manus conserunt; vel ad duella prouocant Honoris (fatui) comparéntque tantâ sollicitudine, quantâ Camillus Romanum Capitolium restituit. Hoc primùm seculo, in Anglia duo altissimi sanguinis iuuenes, IOANNES STVARTVS & VVARTHONIVS, intimæ familiaritatis sacramento initiati, diu suauissimè conuixerant, vt amorem Pyladis Orestes renouasse videretur. demum alea iacta, & proiecta simul amicitia est. lusus scidit vinculum. Stuartus mendacij increpitus, VVarthonio colaphum infregit. ergo ad duellum. itur in campum Londinensem, stipantibus vtrumque euocatis aliquot palatinis. citharæ, ioci, & dulces furiæ comitabantur. nemo stitit cursum, nemo sufflaminauit. antequam dimicarent, & à PVNCTO HONORIS LINEA MORTIS duceretur; obnoxij sibi iuuenes procubuere scilicet in genua, orârunt veniam, alter alterum amplexati sunt, lachrymis rigauerunt enses. osculo & singultu prodiderunt pectoris amicum vulnus, letalia mox corporibus impressuri. tum deinde se in pedes erigunt, & velut ab Letheo poculo, præmissæ humanitatis & cærimoniarum subitò obliti concurrunt. surgunt comæ, conseruntur gladij; vterque in vestigio cadit, HOC HABENT. crudelis petulantia! Petulans crudelitas! eia: & his Thebanis Fratribus, quanquam non vterinis, nec germanis, sed Anglis, bene meritum Epitaphium condamus.

Sta, quisquis hàc transis.
isto sub tumulo
Frusta mortalium ridicula duo sita putrescunt,
Amicorum par atrocissimum;
Stuartus Warthonij & Warthonius Stuarti.
nescias,
fraterno amore diutiùs continuato,
an violentiùs rupto,
celebriùs insaniuerint.
Summa famosi sceleris hæc est.
In Duello
mutuis confossi vulneribus occubuerunt.
cingente vtrumque Contubernalium Coronâ,
& nouitate spectaculi attonita.
ante fatalem congressum,
ne credi possent inimici,
honorarunt se inuicem,
adulatoria crudelitate
sæuissimè blandi:
ferali ludificatione
constantissimè fallaces:
superstitioso vanitatis ambitu
religiosissimè impij;
amplexu Simiæ, palpo Feles, lacrymis Crocodili.
Vitæ carimonias, mortis delicias,
Odium & amorem, risum & fletum
Dulcedo vindictæ nullo ordine confudit.
maluerunt hostes esse, quàm videri.
ne nunc quidem apud inferos Maneis,
iuxta Etheoclem & Polynicen,
disiuncti sunt;
sed concordibus flammis ardent.
æternùm obnoxij.
poterant tamen amiciùs
aut se nouisse nunquam,
aut noti semper dissensisse.
Viator:
funestis Manibus insputa, & abi.

Et extremum per strages quærit honorem, exspectátque suos obitus. fol. 50.f. Præsentit Mausolus interitum suum. Habet hoc animantium natura, inuita collabitur, & notat securim, ictúmque præuidet. Militi ad fulmen venturum sollicito, arma etiam lateris galeæque tonare videntur. sunt auguria, sunt omina, quibus migratio pijs impijsque Manibus innotescit. Sic prandete Milites, tanquam apud Inferos cœnaturi, omine non vano Lacon aliquis suos commonuit. Ladislaus Vngariæ Rex ad Varnam pugnaturus, cùm ex ipso quæreretur, quo in loco corpus curare vellet; Diui, respondit, nouerint, vbi cœnaturi simus. eo ipso prælio occubuit, anno quadragesimo quarto supra millesimum quadringentesimum. Ante conflictum armando cassis excidit, equus se arrexit, excusso sessore.

Sicut erat, clypeo gladióque instructus & ocreis Mausolus, cedente subit tellure profundum absorptus, fol 50.f. Sub hoc Mausoleo compositus quiescit iste Mausolus; TERRA non LEVI. seu inuidia, seu casu, seu Fato, seu alio quocunque modo fiat, etiam inclytis Ducibus, ab omni æuo, in medio felicitatis cursu filum abrumpitur. plures inuenias, quos nec sepulcro Fortuna dignatur. Phocion vigesimum Imperator dictus, tumuli honore caruit. Pyrrhus vrnâ, Magnus rogo; post longam iactationem Pelusiaci Maris, sortitus in littore fossam, quam nisi monstratam Romanus transeat hospes, teste Lucano. verè igitur Seneca: Illi mors grauis incubat, qui notus magis omnibus, ignotus moritur sibi. magni nominis auidi, magna obliuione obruuntur. in Murium cauernis, non vnius etiam fortissimi militis fama iacet. semper cum Satyrico accinere potes. *Exitus ergo quis est? O gloria! vincitur idem, &c* Et hoc, vt dixi, strenuis, & vincentibus. quid improbis & pauidis ad ictum? dicunt hi cum Mausolo & Anaxagora. VNDIQVE AD INFEROS TANTVNDEM VIAE EST.

EX LIBRO V.

PAucissima delibabo. quædam suffecerit indicasse.

O! nihil in Vanis vnquam durabile rebus. fol. 52. p. Sancta Veritas, quid sub sole verius? ad tuam Aram, huic Oraculo confirmando obsignandóque, non ita pridem integra HECATOMBE immolata est. personuit ODARIVM DE VANITATE MVNDI deflet â & irrisâ: vanissimi senserunt Batrachi, Bella constanti talo non procedere. Paullò antè: *Glaucorum in Castris latas Victoria pennas Explicat, & festo clamore incenditur aër. &c. Veluti toto tam Marte peracto Inclamant Paana. mouens Lacus omnis ab imo Ebullit fundo.* insecuta strages fœdauit gaudium, *& quam properantiùs algam Intempestiuis conuestixere triumphis.* VICTORIÆ Simulacrum absque alis Lacedæmones in Delubris collocârunt, rati, hoc habitu figuráque certiùs mansuram. minùs sapienter, animo quidem meo. absq; pennis enim illa non aduolat. pennatam verò, vt ne rursus auolet, quis retinebit? Non omnes Nicanores manent Dictatores. Sicinio Dentato plusculum fortassis indulsit superba Virgo Castrorum. Is Achilles Romanus nominatus, centum & viginti prælijs, vulnera aduersa tulit quadraginta quinque, ne Marti quidem erubescenda. donatus aureis Coronis octo: vnâ Obsidionali, tribus Muralibus; Ciuicis quatuordecim; nouem triumphis: immensâ vi torquium, hastarum, phalerarum. sed RARI NANTES. credam æuo nostro, maiorem ipso Sicinio, non vnum comparuisse: an & feliciorem, nescio.

Hic est me indice felix: Qui licet exorsus defigere castra secundis Alitibus, domitósque manu prostrauerit hostes: Prima quidem carpit, metuit tamen vltima finis. f. 52. m. Non peior morbus Ignorantiâ est, inquit ille. quâ plures impediti, nesciunt vti fortunâ. atterunt copias, vincunt alijs. in futura nullum oculum emittunt. semel hoste pulso, efferuntur successu; & vel temerarij, vel socordes redduntur; vtroque vitio. sternendi

gendi,parcendique,accepturi nomen TRAGICI DVCIS, quemadmodū Dionysius Pheræus Tragici Regis; quòd velut in scena, eius sustinuerit personam, Actu nouem mensium finito, exuendam. Ita, sub Gallieno, Marius tyrannus, vnâ die factus Imperator, alterâ visus imperare, tertiâ interemtus, Humanæ vitæ theatro excessit. Quem AGENDI modum nexúmque ludibriorum, si penitiùs considerasset Alaricus quidam superioribus annis Stockolmo egressus; næ ille quiduis aliud, quàm in hostico solo DECLAMATIO fieri maluisset. facile est exscindere siluas, sese committere classi; Laribus Domesticis relictis, non visos lacessere Penates; præparatis alienâ & inuitante manu galeis infusum bibere Rhenum & Istrum. facile inquam. sed non titubare apotum; sed reuocare gradum patriásque euadere ad oras, HIC LABOR, HOC OPVS EST. Lycensis pugna posterior, vlta est priorem.

Ad quos sic fata est Artmisia Centaurea. f. 52. m. In vltimis & profligatis rebus, attollit mares animos hæc Amazon. In mentem venit Iudithæ non degeneris ab illâ inclytâ Hebræorum, suúmque nomen pulcherrimis rebus explentis. Ea Henrici Boiariæ Principis soror, sola obsessam Spiram sustentauit, pro Friderico Coniuge absente, contrà Fratrem adequitantem mœnibus, & iam insultantem animosa & diserta. Alijs deditionem non obscurè molientibus, seipsâ maior in medium processit, cohortata ciues ac milites, ad iustam sui defensionem, à centum Lotharijs non expugnandam. Qui Virtutem & Fortunam Boiorum per Annales deduxit, luculentam orationem præstantis Heroinæ sic finit. *Dummodò Fides salua sit, periclitari de salute Femina possum: incertam salutem, certâ perfidiâ pacisci an velitis; viri considerate.* expendamus, si lubet, & perorantis Artemisiæ classicum, æque sollicitæ atque ardentis in prælia. quam vtique Cato, non affatus esset verbis, quibus Porciam suam, festinantem armato viro comitari. Te tua pensa de-

cent, lanam calathósque teneto: Me mea bella vocant. at non Artemisia, quæ Hectoris Andromache possit procera videri.

Alternat Bellona vices. 52.*m.* Veteris Cratesicleæ monitum, quo solata filium armauit, & remisit in hostem.

Quisquis timet esse sepultus Mausolo cum Rege suo, mortémque veretur: Hinc abeat, mutetque manus, & cingula ponat. 52 *f.* Discingi, summum dedecus apud Romanos fuit. multi mori maluerunt, quàm ignominiâ notari. scitè Chabrias. Tironum exercitum in prælium ducturus, timidos & inertes secreuit à strenuis. addidit sententiam Iphicrates. Viri fortes, nunc sine mancipijs pugnate, vincemus; nam, quibus præsentibus vinci poteramus, abierunt.

Qui pauet, ipse sui lictor, tormentáq; clausa gestat. 52 *f.* Cui bono per iniustas Parcas! vixit Artemon, domi ad mensam, in horto & lecto, semper æreo scuto tectus!

Fortibus indigeo, quos ipsa pericula durant. 52.*f.* Verbo: quibus Mori ludus aut somnus est. Nimirum talis ex Cæsarianis aliquis, in hostem inuectus, antequam moriturus procumberet, centum quadraginta quatuor ictibus scutum perforatum ostendit; deliberante animâ, quo se hiatu eijceret. Pauci Callimachi post fata hastis insistere reperti. pauci Ruffi Geminij, qui accepto vulnere Quæstori demandent: REFER AD SENATVM: VIROS FORTES SIC MORI. sed de his supra. Multi bella nunc adeunt gressu, quo Mœnades Orgia. ardet in venis calor à Baccho, non Marte, concitatus. à tribuno fulgurantibus cristis conspicuo scribitur Parthenopæus exsultans, abductus â Musis. *Cùm rauco strepuerunt cornua cantu, stare loco nescit.* mouetur instar argenti viui. non absque caussa inculcat Iuuenalis: Tecum priùs ergo voluta Hæc animo ante tubas: Galeatum serò duelli Pœnitet.

Pudeat non esse secutos Facta viros, quæ feminei statuere lacerti. 53.*p.* Argiam, Euadnen, Hippolyten, ipsa nominauit Artemisia: nos paullò antè Iuditham. vbi

Venda

Venda Polona, Zenobia, Dietelinda, Adelberga, & trecentæ aliæ? Anna Comneni Imperatoris filia indignabatur Naturæ, hoc ſexu, quem gerebat animum, damnanti. *Aut præſtantius corpus dediſſes*, inquiebat, *aut animum molliorem*. HONORIA quædam, defuncti Mariti ſepulcrum arctè complexa, auelli non potuit, ante carum funus obtruncata. Alia in obſidione Agrenſi interfectum priùs virum componere non ſuſtinuit, quàm trium hoſtium victimas adieciſſet. laudes COMITEM HISPANAM, ex Roberti Regis Britanniæ Coniugis ſui virulento vulnere, quod inflixerant Syri, ore admoto venenum exſugentem. An & PVELLAM GRAECANICAM? quæ Rhodo expugnatâ, Amaſij ſui à Turcis occiſi induta exuuias, regeſſit vindictam, intérque confertas ſtrages bellando occubuit. An & MARGARITTAM Hollandam anno quarto decimo voluentis ſeculi, Gröningana mœnia ſcandentem, criſpantémque vexilla principem in captis turribus; poſtquam ſeptem iam annis ſtipendia feciſſet. An denique non etiam IVVENEM IBERAM, obſidentem muros Oſtendæ, ingenio famâ & viribus valentem in tanto exercitu, obeuntémque pulcram per vulnera mortem. Scio: dedignantur plurimi feminas, niſi amantes, ſequi. pudeat tamen non eſſe ſecutos Facta viros, quæ feminei ſtatuere lacerti.

Suſcitet accinctos animos Manortius heros Tyroglyphus. fol. 53 *m.* laborant Duces, vt acies conſternata præſentiſſimis modis erigatur. promiſſis imbuunt, terrent minis; excitant oſtentis. In bello id iuuat, quod aliquando iuuit. Cæſar digitum ſuſtollere ſolebat, tacitè promittens annulum, ſeu dignitatem equeſtrem. Titus Veſpaſiani, pugnaturos animæ immortalitate accendit. Agathocles vlulis ſuos animabat. Hannibal vltimum diſcrimen obiecit, ſolâ victoriâ perrumpendum. HINC ALPES, HINC FLVVIVS ET HOSTIS. AVT VINCENDVM, AVT MORIENDVM MILITES. Alij ſperan-

ſperandi cauſſas admouent. optimum, Heroum, quos notos amauerint, exempla adiungere, perflantia tepentes animos. ARTEMISIA Tyroglyphum, Artophagum, Artepibulum proponit. THEMISTOCLI ſomnum excuſſerunt Miltiadis trophæa: IVLIO, Alexandri felices impetus. ALEXANDRO, Achilles, ab Homero cantatus. LVSITANI cum Caſtellanis pugnaturi, Ducis ſui Ioannis à Caſtello capti vinctíque compedibus effigiem, vexillis prætulerunt. ingens animorum mutatio facta: viui ſpiritus micuerunt in flammam. ambabus vlnis bellum arreptum. ITALI, Boldrini Panicaciæ ſiccatum cadauer, impletúmque aromatibus, in feretro circumtulerunt. Non ſecus ac viuo ſpirantíque tendebatur prætorium, & circumpoſitis vexillis teſſera petebatur, inimicis metuenda.

Egregius nobis etiamnum Cniſſodioctes Reſtat, & horrendi Meridarpax nominis vltor. f. 53. f. Vel vnus ſuſtentare poteſt exercitum. Dum leo ceruos in aciem ducat, nullo dictamno erit opus. Etiam afflictis rebus, viſâ ſenioris Tillij facie, equo albo & galero ocyus aſſurrexere caſtra, non ampliùs pauida, ſed formidanda. Statim Pœnus agnouit Tarentinos obſidens, obſeſſorum animos à Fabio confirmari. vt diceret; ET TARENTINI SVVM ANNIBALEM HABENT. Agnouit non minùs in Coruino Hunniade Machomet Ottomannus.

Irruit atra Cohors quà ſæua Artmiſia ducit. fol. 54. p. Veteres ab habitâ concione Ducis, vt plurimùm inflammati popoſcere in hoſtem emitti. habebátque Cæſar binas ternáſque delectas & euocatas legiones, quibus prolixè fidebat.

HIC TERMINVS ESTO.

SIſto calamum. ne videar omnia, non pauca trutinare voluiſſe, in exemplum duntaxat propoſita. BATRACHOMYOMACHIAM CONDIDI. Humane Lector;

nun-

annquid otio inutili combussi horas, quia Poetam egi, & de Muribus cecini? quid censes? Tametsi rigidus ac tetricus es, spero te saltem à SENECA statu-rum. hic me non eo fulmine ferit, quo in epistolâ ad Lucilium quadragesimâ nonâ, argutulos quosdam Philosophos verberat, Musculorum ingluuiem Dialecticâ bilance ponderantes. nempe quid dicit? *Mus syllaba est: Mus caseum rodit: ergo syllaba caseum rodit.*

Quid addit sapientissimus Annæus? *ô pueriles ineptias! in hoc supercilia subduximus. in hoc barbam dimisimus. hoc tristes docemus & pallidi.* Atqui ego hoc cantu Vatem professus sum, non Sophistam. Vates supercilia non subducunt. barbam non dimittunt. non docent tristes aut pallidi. aut si pallent, à super infuso, sed læto numine pallent. quo tempore illi, num MVS syllaba sit, & num SYLLABA caseum rodat, dedignantur inquirere; nedum vilem argutiam iactare. vt proinde non imprudenter existimare possim: SENECAM (qualem quantúmque Virum!) etiam dum philosophatur & seria tractat, mecum facere: &, cùm amœnitati florentis litteraturæ, tum honestissimi laboris conatibus, studiosæ Iuuentutis gratiâ suscepti, impensiùs fauere.

FINIS.

Elen-

p. *principium*. m. *medium*. f. *finis*.

Martis

p. *principium.* m. *medium.* f. *finis.*

Cate.

EDITIO SECVNDA
Permissu superiorum.

MONACHII,

Apud LVCAM STRAVB,

Sumptibus IOANNIS VVAGNERI.

Anno M. DC. XLVII.

EMENDANDA.

In præfat. fol. 2, f. *meatibua.* l. meatibus. fol. 4. m. *frufta.* l. fruftra. fol. 13. f. *thomphaa.* l. rhomphæa. fol. 30. p. *flante.* l. flante. 49. p. *illepedi.* l. illepidi. 51. m. *fecura.* l. fecuri. 58. m. *Berecynthia.* l. Berecyntia. 69. m. *Eleufis.* l. Eleufis. 101. f. *reftringuit.* l. reftinguit. 128. p. *fexax.* l. ferax. 128. m. *Cimbos.* l. Cimbros. 136. p *inteftfici.* l. inceftifici. Minora Lector facilè corriget.


I. BALDE
E SOC. IESV
POEMA
De Vanita
te Mundi.
Editio
Altera.
Wolf. Kilian sculp.

2

CANDIDO LECTORI

AVCTOR.

POEMA de VANITATE MVNDI, siue Sæculare Carmen, aliquoties antè quidem vulgatum; sed nunc primùm in modum Certaminis, clamore Martio, fragore tubarum, & quibusdam velut stimulis agitatum tibi sisto. *Vanitas Vanitatum*, dixit Ecclesiastes, *Vanitas Vanitatum, & omnia Vanitas.* Ex quo sapientissimi iuxta atque experientissimi Regis Oraculo, velut puncto, centum lineas quaquauersum deduximus; Vanitatem ridendam risu; flendã lacrymis, superbam sarcasmis, miseram commiseratione prosecuti.

Idem Argumentum disertissimè pertractauit D. CHRYSOSTOMVS, *Sermone in Eutropium, qui habetur Operum Tomo quinto.* cuius Sermonis bonam partem huc transfero & præfigo, exhibituram quodammodo Synopsin: vt constet, quàm meritò miserabilis Eunuchus Stropham LXII. impleuerit, simul Vnius mentio facta, & sancti Patris testimonio robora-

ta, cæteris quoque augeat fidem. Eutropius Spado, Patricius ac Consul, Præfectúsque cubiculo Arcadij Aug. cùm offenso Principe, delitesceret sub altari Ecclesiæ, cui ipse antea Ius Asyli abrogare conatus fuerat; occasionem dedit Aureo Oratori, exagitandi inconstantiam Fortunæ, omnésque Vanitates vno eodémque ictu iugulandi. Audientiâ sibi factâ ita perorauit.

Si vnquam antea, nunc maximè licet dicere: Vanitas Vanitatum, omnia Vanitas. *Vbi nunc inclytus ille Consulatûs splendor? vbi illustres faces? vbi applausus illi ac choreæ, epulæq́ue & festi conuentus? vbi coronæ & aulæa? vbi strepitus Vrbis, & illæ Circensium spectatorum faustæ acclamationes? Omnia illa perierunt. Procella vehemens folia deiecit, arborem spoliatam reddidit, tam radicitus vacillantem: tantáque vis venti impacta est, vt cùm neruos eius vniuersos concusserit; tum ipsam funditus prosternere minetur. Vbi nunc fucati illi amici? vbi compotationes & cœnæ? vbi parasitorum examen, & merum per totam diem exhaustum, variaq́ue coquorum artes, & potentatûs cultores illi, ad gratiam omnia di-*

cere

uere ac facere assueti! omnia illa nihil nisi no-ℂturnum somnium fuerunt, appetente die euanescens. Flores fuerunt verni. Vere exacto emarcuerunt omnia. Vmbræ fuerunt, & præterierunt. Fumus erant, & soluta sunt. Bullæ erant, & disrupta sunt. Araneæ erant, & lacerata sunt. Quapropter spirituale hoc dictum occinimus, indesinenter dicentes: Vanitas Vanitatum, omnia Vanitas. *Hoc enim dictum in parietibus, in vestibus, in foro, in ædibus, in vijs & fenestris, in ianuis: sed potissimùm in ipsa cuiusque conscientia continenter inscriptum esse oportet, omníque tempore cogitationi obuersari. Quandoquidem negotia fraudulenta, & personata ac inimica, veritatis opinionem apud plerosq; sibi patrauerunt. Hoc dicto, in prandio, in cœna, in cœtu hominum, quemque proximum suum compellare oportebat, idémque ab illo vicissim audire: nempe* Vanitas Vanitatum, omnia Vanitas. *An non assiduè tibi dicebam fugitiuas esse diuitias? tu verò nos non ferebas. An non dicebam fugitiui serui naturam eas habere? tu verò credere nolebas. Ecce experientia docuit, quòd non solùm fugitiua & ingrata, sed homicida etiam sunt: vt quæ in metum nunc te*

coniecerint. Nonne dicebam tibi, quum me indesinenter obiurgares vera monentem, quòd ego potiùs tibi amicus essem, quàm adulatores?&c. Nonne & hoc addebam: fide digniora esse vulnera ab amicis, quàm vltrò ingerentia se oscula inimicorum? si mea vulnera tulisses, haudquaquam tibi illorum oscula hoc exitium attulissent. Mea enim vulnera sanitatem afferunt: illorum oscula morbum immedicabilem. Vbi nunc pocillatores tui? vbi qui in foro populum de via decedere cogebant, tuásque laudes apud omnes deprædicabant? transfugerunt, deseruerunt amicitiam tuam. Suam securitatem tuis periculis quærunt. Theatra magnis obsequijs à te culta, quorum caussâ sæpiùs nobis offensus fuisti, & prodiderunt te, & perdiderunt. Et hæc nunc dico, non quò prostrato insultem: sed quòd eos, qui adhuc stant, tutiores reddere cupiam: nec vt plagas vulnerati refricem; sed vt nondum vulneratos in sanitate conseruem: non, vt iactatum fluctibus demergam; sed vt eos, qui secundis auris nauigant, erudiam, ne fortè cum ipso nauigio in profundum deferantur. Quo autem modo caueri poßit? Nimirum, si rerum humanarum mutabilitates consideremus. Si

enim

enim iste mutationem timuisset, nunc eam non pateretur. Sed quoniam iste nec domesticis nec alienis consilijs corrigi potuit: vos saltem, qui diuitijs extollimini, huius calamitatem in vestrum profectum conuertite. Nihil est enim humanis rebus infirmius. Quapropter quocunque nomine earum vilitatem significaueris, minùs quàm pro rei veritate dixeris: vel si fumum eas, vel fœnum, vel somnium, vel flores vernos, vel quidlibet aliud nominaueris. usque adeò sunt fragiles, & magis nihili, quàm Nihil ipsum. Quòd autem non solùm nihil sint, sed & in præcipiti stent, vel hinc apparet. Quis hoc nomine fuit excelsior? nonne in toto Orbe diuitijs præcellebat? nonne ad ipsa fastigia honorum conscendit? nonne omnes eum formidabant ac verebantur? sed ecce factus est & vinctis miserior, & seruis miserabilior, & mendicis fame tabescentibus indigentior: per singulos dies gladios præ oculis habens in se exacutos, & præcipitia, & carnifices, & viam quæ ad supplicium ducit. ac neque memoriâ præteritarum voluptatum fruitur: imò ne luce quidem communi; sed meridie quoque, tanquam in densissimâ nocte, angustijs parietum inclusus, oculorum usu priuatur.

uatur. Et quorſum hæc commemorare atti-net? cùm quantumuis adnitar, nullis verbis exprimere valeam, quis illi animus ſit, per ſingulas horas capitis ſupplicium exſpectanti. aut, quid noſtris verbis opus eſt, quum ipſius calamitatis imago ob oculos noſtros verſetur? Nuper namque miſſis ad eum à Rege, qui vel per vim hominem pertraherent, quum ad Sacraria confugiſſet; buxo pallidior factus, nunc quoque nihilo meliorem quàm mortui colorem obtinet. accedit huc dentium arietatio, tremor totius corporis, vox ſingultiens, & lingua titubans. in ſummâ, talis habitus, qualẽ oportebat habere animam, quæ metu diriguiſſet. Non minorẽ nunc video populi frequentiam, quàm in proxima Sacrata Paſchæ celebritate. adeo exciti eſtis iſtius ſilentio. quod impræſentiarum quauis tubâ clariorem vocem emittit. Et Virgines penetralibus, & mulieres gynæceis, & viri foro vacuo relicto vniuerſi huc concurriſtis, vt humanam naturam traduci videretis, & ſæcularium negotiorum momentaneam mutabilitatem detegi, illámque in Republica verſantium ſpeciem, heri ac nudius tertius præclariſſimè ſplendentem. talis enim eſt ex alienis iniurijs felicitas, quauis ani-

aniculâ rugosâ deformior demonstrata mutatione reipublicæ, ac si spongiâ eius tectoria fucósque abolente. tanta nempe est huius infortunij vis, quæ Virum felicem ac conspicuum, nunc omnium abiectissimum reddidit. Introeat diues aliquis, & magnam vtilitatem percipiet. videns enim à tam celso fastigio delapsum eum, qui totum Orbem concutiebat, ac formidine confractum, quauísque ranâ aut lepore timidiorem, & absq; vinculis, columnæ huic hærentem, & vice catenæ, timore affixum trementémque; deprimet fastum suum: & consideratis, quæ in humanis casibus consideranda sunt, discedet re ipsa doctus, quæ verbis Scripturæ nos docent. Quale est illud: Omnis caro fœnum, & omnis gloria nominis, vt flos fœni. aruit fœnum & flos eius decidit. *item illud.* sicut fœnum citò arescent, & sicut olera virentia citò decident, quoniam sicut fumus dies eorum sunt. *& his similia. Contra Pauper introgressus, & hoc spectaculum animaduertens, non displicet sibi ipse, neque sortem suam deplorat: sed gratias insuper Paupertati habet, quæ sibi & asyli vice sit tutissimi, & portûs tranquillissimi, & arcis munitissimæ: & his visis, si detur optio,*

mallet præsenti conditione cōtentus esse, quàm omnium facultatibus paulisper occupatis, mox in proprij sanguinis periculum venire.

Hæc aureum os Græciæ, quâ quidem eloquentissimi Patris Hypotyposi, nihil aut luculentius scribi, aut ornatius dici potest. Concolor illi pænè tota Parænesis D. Evcherii Episcopi Lugdunensis, efficacibus verbis, virili dictione, profundâ sapientiâ deplorantis Vanitatem Mundi, à quâ Valerianum Cognatum suum auertere laborat. ipsismet oculis præsentissimè ingerit defluentium rerum vilitatem.

Agitur humanum Genus, inquit, *rapidâ in occasum mortalitate, omnísque posteritas succedentium sæculorum lege decurrit. Patres nostri præterierunt, nos abibimus, posteri sequentur. velut ex alto vndarum iactus, alijs atque alijs superuenientibus, in littoris extrema franguntur; ita in terminum mortis, succidua alliduntur ætates. Quidquid est, illarum rerum facies, adumbratis quondam nitoribus expolita iam obsoleuit, omnísque fucatus splendor intercidit. vix iam hoc habet Mundus, vt fallat. perijt imago illa rerum ad decipiendum vsque decora. Prius nos sedu-*

cere

cere vero cogitabat fulgore; non poterat: propè iam non valet & ipsa nos falsa ostentatione corrumpere. Solidis bonis carebat, ecce deficit etiam caducis. Non hunc aut ad tempus speciosa ornant, aut in posterum mansura confirmant. nisi nosmetipsi decipimus, pœnè Mundus decipere non potest. Sed quid dissimulamus ea expromere, quæ fortiora sunt? dissipatas loquimur opes Mundi, cùm iam ipse Mundus in finem suum vergens, spatijs agatur extremis. Quantò istud maius & grauius est, quòd iam ipse non in longum erit? quid commemoramus attritam eius rem & supellectilem? Nec immeritò in defectum viribus ano consumptis vrgetur, adminiculisque suis destituitur, cùm iam in senium nutanti ònere succumbat. Postrema Mundi ætas referta est malis, tanquam morbis senectus. Visa sunt videnturque iam dudum ista cano Sæculo; fames, pestilentia, vastitas, bella, terrores. Hi sunt in vltimis iam annis languores sui. hinc sæpe illa cernuntur signa motúsque terrarum, permutata temporum vices, monstrosa animantium fœcunditates: quæ omnia adhuc procedentis prodigia sunt Temporis, sed iam deficientis.

Sapienter, opinor, omnia & cum neruo, dignáque Evcherio, qui magnorum sui Seculi Pontificum longè Maximi nomen tulit. Habes, Amice Lector, Duûm PP. & eruditionis laude, & famâ sanctitatis illustrium cordatissimam contestationem. Vterque exclamat. *Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas.* Cum vtroque idem canto, gemo, ludo, scribo, persono. Neque verò Mundus ipse hoc negat. Sed quia meretriciam frontem perfricuit, idcircò pudore non confunditur. Primas Odæ simplicis editiones, vtcunque pronâ voluntate, etiam voluptate accepit; næuis autem ostensis & Svo tvrpi, in speculo nihil offensus arrisit. quasi diceret: Hoc Svmvs. hoc decet. A Troiano busto facem accendi. nam quid ante Ilivm in profana historia æquè memorabile? aut quid celebrius fumantibus Pergamis? cùm præsertim Vana Nobilitatis ostentatio ad *Troianum Equum* se referat, ligneo ventre generata. Quam fastuosam phrenesin, si superaret proauus horum, ipse doli fabricator Epeus; vtique risu confirmaret. Inde Vanitatem emissam,

ſam, poſtquam omnes Mundi ſaltus inſedit, inſperato inopinatóque Poëmate, (an indagine dicam?) quaſi ex inſidijs ſeptam circumueni. Compulſam in maculas, collectámque in ſcopum, metris, velut iaculis, confixi. Et nunc perfoſſa, latè euiſcerationem ſui præbet.

Genium Verſuum ſi requiras: Epigramma dici refugiunt, & tamen ſtricturas emittunt, ad praui Anacreontis inclinationem conformati. Defricantur propinqui neceſſariò eius ſalibus. Ita quo more lingula Magnetica Septentrionem petit; vergunt illi Occidentem verſus & Bilbilim, Patriam Martialis; quò tamen nunquam perueniunt.

ANACREON BIFRONS, *Certantium chorum ducit, & puſilli Carminis odorâ vi, ad prædam, quam explorauit, inuitat. Latino Germanicoq; idiomate, editus à me multò antè prodierat.*

Sequuntur ELEGIÆ: *illius quidem lacrymoſæ, & magna dolorum amorúmque Matris Filia: nunc tamen non præficæ, ſed pharetratæ Amazones. Tempus lugendi, tempus & ridendi, certandique. Domi plorent: in campum & ſiluas ſiccos afferant oculos. Quanquam vbiq;*

se prodit sexus. Proteruiam iocandi vexant humore coacto. Improuisæ insurgunt in hastas, & repentè vlulantes demittunt, rursúmque in fletu vulnera diuidunt. Prima cæsim crebriùs; punctim Altera. Prima modestior, tolerabilem ferociam arenæ intulit. cautiùs seruat Anacreontis ambages & flexus; certiùs premit abeuntis vestigia; redeunti cedit solertiùs. quódque apud Maximum Poëtam fatis debitus Aruns in Camillâ tentauit; id nostra Camilla in persequendo Anacreonte est ausa Nam

Velocem iaculo & multâ prior arte Poëtam
Circuit, & quæ sit Fortuna facillima, tentat.
Quà se cunque furens medio tulit agmine Vates:
Hàc Virgo subit, & tacitè vestigia lustrat.
Quà Victor redit ille, pedémque ex hoste reportat,
Hàc Virgo furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus, iámque hos aditus, omnémque pererrat
Vndique circuitum, & certum rotat improba telum.

SOROR *audaciùs in certamen fertur, & in hostem velut contemptum ruit. Possit quandoque præceps videri, atque indulgentior vncis naribus, quàm Virginem ex Heliconio Parthenone deceat. Ludiam Romanam dicas ad palum exerceri, inclamante Satyrico.*

Aspice quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanto galea curuetur pondere: quanta
Poplitibus sedeat, quàm denso fascia libro.

HEN-

HENDECASYLLABI, *masculi caloris Iuuenes, nihil femineũ ostentant, sed strenuè pugnant. Elegijs conserentibus manus, illi conferunt* pedes: *animosi, nec facilè de statione sua decessuri.*

SCAZON. *Mancipium crudum & bellicosum,* STAT *mole suâ. Contumacis ingenij, subiti, & ad cotem exasperati, cærimonias Aulicas pensi non habet. Torosam dictionem affert, Mihique, dum, quod sentit, eloquitur, Scenam facit.*

SYM-

SYMMACHORVM

Nomina & Tessera.

I. ANACREON ROMANVS

Agonotheta. *Tessera:*

Fuere Troes; Ilium.

II. ANACREON GERMANVS.

Tessera:

Troia ist hin/ein anders her.

III. ELPIS BOETHIA.

Num. 1. Cum telis & arcu, Poëtria Elegiam primam referens. *Tessera:*

Troia stetit. Priami sunt hæc monumenta, Viator.

IV. DAVID PHALEVCVS.

Num. 2. Stationem Hendecasyllaborum occupans Fundibularius. *Tessera:*

Ergo Troia iacet? iacet. vorauit

V. POLLA ARGENTARIA CAMILLA, AMAZON PHARETRATA.

Num. 2. Elegia secunda. *Tessera:*

Ilion euersum est, Priamus iacet omnis, & ingens

VI. MAPHCASMVS BEHARO, SCAZON.

Ex Insula Lemno, fabricæ tormentariæ Magister. *Tessera:*

Vbi Troia nunc est? conflagrauit excisa.


Troes. Troia ist hin
ad punctū
vah
Scazon
1
Wolfg. Kilian sculp.



Hiſce ego Symmachis, antequam tuba ſignum dedit, in medium conuocatis, mentem meam explicaui; & quid de Poëſi ſentirem, aperui.

INSTRVCTIONES PRO AGONALIBVS HELICONIIS.

I. Conſiderandum: Poëſeos ſemina, non eo fine à Natura eſſe inſperſa animis, tótque Vet. Poëtarum ſeceſſibus maturata, vt anxij conglutinemus rixantes Syllabas, & virgulâ Verſum metiamur: Sed, vt habile ingenium reddatur habiliùs, impletúmq; quàm optimis rebus ac ſententijs, de ſuo iam fonte, magnificam aut teneram dictionem, delectatione propulſam effundat.

II. Vt Nili deſcenſus aſcenſúſue, ſignum ſterilitatis aut fertilitatis in cauſſa eſt; ita, quo minùs magíſue Caſtalide lymphâ ſynceriore, ſe quiſque inundauerit; fœcundum aut infœcundum pectus in oracula concuſſurum.

III. Præter acre iudicium, in lubrica libidine fingendi neceſſarium, dominatúmque in certos affectus animi; viuidas præterea requiri rerum imagines, deputato

tato optimorum Verborum famulitio obſeſſas.

IV. Cæterùm animari *Poëma* à *Senſis* ſiue *ſententijs* inuentis. ſi raræ, ſi ſublimes, ſi teneræ: ſi diuinæ, ſi feroces: tale Poëma fore. ſi vulgares, humiles, depreſſæ, triſtes, marcidæ, obtuſæ; eandem indolem habiturum.

V. Quemadmodum Turcicum ſemen, quod opium vocant, præmorſum, continuò mentem efferat, dum oblectat palatum: ita Senſa iſta, quæ inſtar ſpirituum ſuper aquam Pegaſeam feruntur, Poëmati inſperſa, vim habere titillandi ingenium, & cum voluptate quaquauerſum rapiendi.

VI. Beneficio horum ſpirituum, poſſe dignum aliquid grandi Poëtâ efferri, verbis nitidis, etſi non exquiſitiſſimis. viciſſim arduis & ſeſquipedalibus, plebeiam ſententiam, fungo dignam ſæpe veſtiri.

VII. Certum videri, *Naſonem* ipſius *Statij* armamentario incluſum, nihilominus mortem *Tibulli* tenerè deploraturum fuiſſe; *Statium* Cupidinis arcu & pharetrâ inſtructum, omníq; *Ouidij Naſonis* erotico apparatu, æque Thebas euerſurũ.

8.Ex

VIII. Ex his, Poëtarum ingenia, velut oculos aquilarum ad ſolem probari, útque ſe Quidam in omnes partes gyrent, deprehendi tamen humiliorem aciem, & piſces in littore palpitantes.

IX. Hinc prouenire, vt non minùs ijs, quibus vena micat, difficile videatur ad Veterum Poëtarum dignitatem aſpirare, quando etiam aureo Auguſti Seculo, tot Ingenijs radiante, tam paucos reperit Poſteritas, quorum curam faceret ſuam.

X. Difficultatem inſuper augeri ex eo; quòd editus Mentis partus, non minorem ſollicitudinem ſibi ſumat, quàm edendus. nam niſi more vrſi Virgiliani lambas; proiecisti informem maſſam. ſi arctiore complexu ſtringas; ſuffocabis ſimiam, tranſmiſſurus Amicis tuis, pollinctos myrrhâ, formoſa cadauera, verſus. formoſa quidem, ſed cadauera. cereas pupas; quarum manus, tametſi occulto artificio & tectâ fraude verſas, vt ſimulacrum viuere credatur: ſunt tamen nares, quæ mortem & putredinem olfaciunt. Odio ſunt Poëmata, quæ tantum redolent, quantum non redolent duo funera.

XI. Dari multos, qui de pernicitate

ſuæ

ſuæ Muſæ gloriantur, horáque ſingula momenta totidem metris præcurrunt: quibus nihil eſt putidius. Dari etiam ſtudijs contrarios, qui ſuam Muſam non amant; niſi eam inſtar Zenobiæ grandibus gemmis onerent, laborantémque & prægrauatam in triumpho ducant Aureliano. Sed; an non ſtibium & ceruſſa, & timiditas animi, & forma naturalis attrita, pariunt faſtidium? Certè Poëma ſeueriùs caſtigatum, quàm par eſt, tetricum dicetur, non maturum: nec tam grauitate venerandum, quàm horrendum rugis.

XII. Itaque ſatius eſſe, decente neglectu impensè colere pulcritudinem, quàm ad viuum ſpeculi argentum, doloſo veneno per laborioſam inſcitiam occidere, enitendum tamen Vati, vt quæ profudit, inter elaborata cenſeantur: quæ elaborauit, profuſa videantur. ita ex vtroque Auctor caſtiſſimam hauriet voluptatem, riſurus ſæpe iudicia examinantium artem & naturam, vanáque diuinatione ſollicitantium Poëtæ ludentis arcanum. Cui *ſoli* conſtare debet: quo pondere quáue procellâ, vehemens *Natura* Poëma protruſerit; quâ moroſitate difficilis *Ars* & ſeuera perlinxerit.

PROLVSIONES LYRICÆ
Sumpta ex eiusdem Auctoris Siluarum Libro VII.

PROLVSIO I.

AD LAZARVM SPIEGLERVM.

Cùm eum Stoica Disciplina initiandum susciperet.

STOICI CHRISTIANI PRIMA LECTIO.

ODE.

SI manibus pedibúsque, & mente, & lumine captus
 Nascatur cum cornibus infans:
Horret eum Genitrix, trepidus pater ora retorquet:
 Turpe vocat vicinia monstrum.
Atqui nil aliud, SPIEGLERE, videbis in Orbe,
 Monstrorum scelerúmque feraci.
Nil vitiorum expers: fœtent maioribus illa,
 Quæ voto maiore petuntur.
Cæca VENVS, cæca est FORTVNA, OCCASIO calua;
 Et lusca est & lippa VOLVPTAS.
Fronte LIBIDO caret, cerebróque LICENTIA vitæ;
 Et præceps AVDACIA naso.
GLORIA strumosa est: facies inflatur *Honoris*,
 Obscœni tibicinis instar.
Centum aures FAMAE, surdísque nec vnica FATIS.
 Quale chaos, quot, LAZARE, monstra!
Et tamen in medio Mortalis obambulat horum.
 Non alijs se lubrica versat
Vita rotis: nam quæ vicibus *metuit, fugit, odit,*
 Sperat, amat, desiderat; hæc sunt.

PRO-

Ex eodem Silu. Libro.

AD VALERIVM HASTAM,

Cùm intrà semestre tempus, luctu quinq; funerum sordidatus, Auctoris Poëma, de Vanitate Mundi, posceret.

ODE.

AH! VALERI, quò te vertas? nimis atra furénsque
Incubuit FORTVNA dolenti:
Attonitumque inopina caput versauit in orbem,
Et toto DEA pondere pressit.
Ah! VALERI, potuit tibi vis duo pignora raptim,
Ac super his euoluere Matrem!
Inuida debuerat contenta fuisse tributo.
Quinque vnus tumulauerit Annus!
Iam nullus posthac intranti limina BENNO
Occurret ridere Salutem.
Nullus in amplexum venientis CASTVLVS ibit,
Conniuens prædulcè Puellus.
Nulla, quod optabas, frustra desponsa GEROLDO
Promittit BASILISSA nepotes.
Occidit indignum Libitinæ BARBARA funus;
Antè rosæ, nunc æmula buxi.
Vltimaque auulsa est thalamo carissima Coniux,
In cumulum, te absente, malorum.
Et tanto in luctu medicinam à Carmine speres,
A tepidis solatia MVSIS!
Desine, teque tuis inuolue doloribus, *Hasta*,
Et forti preme pectore questum.
Hoc fodit, hoc sæuos FORTVNAE vlciscitur ictus,
Hoc MORTEM necat insuper ipsam.
Mitto tamen varium tessellatumque POEMA;
Ne videar spreuisse petentem.
Ingemino: vanum est, quidquid Sol ambit vterque.
Terra nihil durabile nutrit.
Vita fugax, incerta, breuis: pariterque feruntur
In fossam cum Ciuibus vrbes.
De quouis paullò pòst exclamare licebit:
TROIANI, PRIAMVSQVE FVERVNT.

IACOBI BALDE
è
SOCIETATE IESV
POEMA
De
VANITATE MVNDI.

I.

Attrita est Ciuitas Vanitatis.
Esaiæ 24.


VERE TROES, ILIVM!
TROS, ILIVM FVERE.
Fuit, fuit Domus inclyta,
Noménque Dardanorum.
Impressit altis mœnibus
Hostile Mars aratrum.
Vbi steterunt Pergama,
Nunc fluctuant aristæ.

I.

Troia ist hin / ein anders her /
Als wann sie nie wär gwesen.
Verschwunden seynd all Dardaner,
Schon tausentmal verwesen.
Mit Gmäur vnd Wänd / vom Fundament/
Ist Troia gantz verbrunnen.
Ins Hectors Saal wachßt vberal
Wein / Korn / bey guter Sunnen.

Troia stetit. Priami sunt hæc monumenta, Viator.
Eheu! cum gemitu dic: vbi Troia stetit?
Iam frustra Xanthus, Simois memoratur; & Ida,
Et ruber armigero raptus ab vngue Puer.

Vrbs æquata solo, captis cum ciuibus arsit.
Argolicus Phrygias Mulciber hausit opes.
Horrea Triptolemi, vastus sunt Pergama campus,
Inque Helenæ thalamo iam cubat ipsa Ceres.

Ergo Troia iacet? *iacet.* vorauit
Ignis tecta Phrygum? *vorauit ignis.*
Ergo stirps Priami superba vixit?
Vixit stirps Priami superba, vixit.
Nullus Dardanidum puellus aulam,
In qua ludat, habet; puella nullam.
Sal totâ modò seminatur Vrbe;
Proscindúntque solum *boues Vlyssis.*

Ilion euersum est. Priamus iacet omnis, & ingens
Sarpedon: Danaum præualuere doli.
QVI FVERANT TROES, NVNC SVNT SINE NOMINE MANES;
Occidit Æneas, & Puer ipse *Paris.*
Ignibus à fundo Neptunia mœnia fumant.
Quæ fuit VRBS, ager est; Caula, quod AVLA fuit.
Hectoris effossam qui findunt vomere tumbam,
Illi etiam segetes *Hectoris ense* metunt.

SCAZON I.

Vbi *Troia* nunc est? conflagrauit excisa.
Vbi Chorœbus, nobilísque Cassandra,
Panthúsque & Hector, & Paris capillatus,
Humerísque Gnati subleuatus Anchises?
Confusa squallent hostibus dati præda,
Qui Dardanorum fata decolorârunt.
In Regis aulâ, siue spiceo campo,
VAH! turba prandet *alliata* Messorum.

II.

Quid superbit terra & cinis?

Eccli. 10.

Hoc fine POMPA clauditur
In puluerem redacta.
CONSTANS IN INCONSTANTIA
FORTVNA CVNCTA MISCET;
Figítque rebus terminum,
Quò summa vota vergunt!
PVGNARE, STARE, VINCERE,
PVGNARE, STARE, VINCI.

2.

Die Pracht stehe still / lauff weiter nit /
In lauter Staub verkehret.
Das Glück thut grausamb braite Schritt /
Vnd lang bey keinem wehret.
Von anbegin / geht alls dahin /
Verlieren / Gwinnen / Sigen:
Jetzt vbersich / jetzt vndersich /
Bald stehn / bald vnderligen.

Siste gradum, Mundi quò lapsa superbia tendis?
Dic cum Troiugenis: PVLVIS ET VMBRA SVMVS.
Disce tuo damno, quid sit Fortuna; Puella
Lasciui ingenij, quam iuuat esse leuem.
Omnia confundit; summa imis, imáque summis;
Fértque suis leges hæc ATALANTA Procis:
Stare iubet, pugnare manu, decernere ferro.
Denique Victoris demetit ense caput.

HEIC STAT GLORIA MORE COCHLEARVM.
Vltra non equidem sinetur vnum
Ex hoc puluere promouere passum.
Sors & Fata vetant. Volat per Orbem
Fortunæ leuis ala sæuientis,
Eludítque puerperas Honoris.

ſe prodit ſexus. Proteruiam iocandi vexant humore coacto. Improuiſæ inſurgunt in haſtas, & repentè vlulantes demittunt, rurſúmque in fletu vulnera diuidunt. Prima cæſim crebriùs; punctim Altera. Prima modeſtior, tolerabilem ferociam arenæ intulit. cautiùs ſeruat Anacreontis ambages & flexus; certiùs premit abeuntis veſtigia; redeunti cedit ſolertiùs. quódque apud Maximum Poëtam fatis debitus Aruns in Camillâ tentauit; id noſtra Camillâ in perſequendo Anacreonte eſt auſa Nam

Velocem iaculo & multâ prior arte Poëtam
Circuit, & quæ ſit Fortuna facillima, tentat.
Quà ſe cunque furens medio tulit agmine Vates:
Hàc Virgo ſubit, & tacitè veſtigia luſtrat.
Quà Victor redit ille, pedémque ex hoſte reportat,
Hàc Virgo furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus, iámque hos aditus, omnémque pererrat
Vndique circuitum, & certum rotat improba telum.

SOROR *audaciùs in certamen fertur, & in hoſtem velut contemptum ruit. Poſſit quandoque præceps videri, atque indulgentior vncis naribus, quàm Virginem ex Heliconio Parthenone deceat. Ludiam Romanam dicas ad palum exerceri, inclamante Satyrico.*

Aſpice quo fremitu monſtratos perferat ictus,
Et quanto galea curuetur pondere: quanta
Poplitibus ſedeat, quàm denſo faſcia libro.

HEN-

HENDECASYLLABI, *masculi caloris Iuuenes, nihil femineũ ostentant, sed strenuè pugnant. Elegijs conferentibus manus, illi conferunt* pedes: *animosi, nec facilè de statione sua decessuri.*

SCAZON. *Mancipium crudum & bellicosum,* STAT *mole suâ. Contumacis ingenij, subiti, & ad cotem exasperati, cærimonias Aulicas pensi non habet. Torosam dictionem affert, Mihique, dum, quod sentit, eloquitur, Scenám facit.*

SYM-

SYMMACHORVM
Nomina & Tessera.

I. ANACREON ROMANVS
Agonotheta. *Tessera:*

Fuere Troes, Ilium.

II. ANACREON GERMANVS.
Tessera:

Troia ist hin/ein anders her.

III. ELPIS BOETHIA.
Num. 1. Cum telis & arcu, Poëtria Elegiam primam referens. *Tessera:*

Troia stetit. Priami sunt hæc monumenta, Viator.

IV. DAVID PHALEVCVS.
Num. 2. Stationem Hendecasyllaborum occupans Fundibularius, *Tessera:*

Ergo Troia iacet? iacet. voravit

V. POLLA ARGENTARIA
CAMILLA, AMAZON PHARETRATA.
Num. 2. Elegia secunda. *Tessera:*

Ilion euersum est, Priamus iacet omnis, & ingens

VI. MAPHCASMVS BEHARO,
SCAZON.
Ex Insula Lemno, fabricæ tormentariæ Magister. *Tessera:*

Vbi Troia nunc est? conflagrauit excisa.


ad punctu
Scazon
Wolfg. Kilian sculp.



Hiſce ego Symmachis, antequam tuba ſignum dedit, in medium conuocatis, mentem meam explicaui; & quid de Poëſi ſentirem, aperui.

INSTRVCTIONES PRO AGONALIBVS HELICONIIS.

I. Conſiderandum: Poëſeos ſemina, non eo fine à Natura eſſe inſperſa animis, tótque Vet. Poëtarum ſeceſſibus maturata, vt anxij conglutinemus rixantes Syllabas, & virgulâ Verſum metiamur: Sed, vt habile ingenium reddatur habiliùs, impletúmq; quàm optimis rebus ac ſententijs, de ſuo iam fonte, magnificam aut teneram dictionem, delectatione propulſam effundat.

II. Vt Nili deſcenſus aſcenſúſue, ſignum ſterilitatis aut fertilitatis in cauſſa eſt: ita, quo minùs magíſue Caſtalide lymphâ ſynceriore, ſe quiſque inundauerit; fœcundum aut infœcundum pectus in oracula concuſſurum.

III. Præter acre iudicium, in lubrica libidine fingendi neceſſarium, dominatúmque in certos affectus animi; viuidas præterea requiri rerum imagines, deputato

tato optimorum Verborum famulitio obſeſſas.

IV. Cæterùm animari *Poëma* à *Senſis* ſiue *ſententijs* inuentis. ſi raræ, ſi ſublimes, ſi teneræ: ſi diuinæ, ſi feroces: tale Poëma fore. ſi vulgares, humiles, depreſſæ, triſtes, marcidæ, obtuſæ; eandem indolem habiturum.

V. Quemadmodum Turcicum ſemen, quod opium vocant, præmorſum, continuò mentem efferat, dum oblectat palatum: ita Senſa iſta, quæ inſtar ſpirituum ſuper aquam Pegaſeam feruntur, Poëmati inſperſa, vim habere titillandi ingenium, & cum voluptate quaquauerſum rapiendi.

VI. Beneficio horum ſpirituum, poſſe dignum aliquid grandi Poëtâ efferri, verbis nitidis, etſi non exquiſitiſſimis. viciſſim arduis & ſeſquipedalibus, plebeiam ſententiam, fungo dignam ſæpe veſtiri.

VII. Certum videri, *Naſonem* ipſius *Statij* armamentario incluſum, nihilominus mortem *Tibulli* tenerè deploraturum fuiſſe; *Statium* Cupidinis arcu & pharetrâ inſtructum, omníq; *Ouidij Naſonis* erotico apparatu, æque Thebas euerſurũ.

VIII. Ex his, Poëtarum ingenia, velut oculos aquilarum ad ſolem probari. útque ſe Quidam in omnes partes gyrent, deprehendi tamen humiliorem aciem, & piſces in littore palpitantes.

IX. Hinc prouenire, vt non minùs ijs, quibus vena micat, difficile videatur ad Veterum Poëtarum dignitatem aſpirare. quando etiam aureo Auguſti Seculo, tot Ingenijs radiante, tam paucos reperit Poſteritas, quorum curam faceret ſuam.

X. Difficultatem inſuper augeri ex eo; quòd editus Mentis partus, non minorem ſollicitudinem ſibi ſumat, quàm edendus. nam niſi more vrſi Virgiliani lambas; proiecisti informem maſſam. ſi arctiore complexu ſtringas; ſuffocabis ſimiam, tranſmiſſurus Amicis tuis, pollinctos myrrhâ, formoſa cadauera, verſus. formoſa quidem, ſed cadauera. cereas pupas; quarum manus, tametſi occulto artificio & tectâ fraude verſas, vt ſimulacrum viuere credatur: ſunt tamen nares, quæ mortem & putredinem olfaciunt. Odio ſunt Poëmata, quæ tantum redolent, quantum non redolent duo funera.

XI. Dari multos, qui de pernicitate

ſuæ

ſuæ Muſæ gloriantur, horǽque ſingula momenta totidem metris præcurrunt: quibus nihil eſt putidius. Dari etiam ſtudijs contrarios, qui ſuam Muſam non amant; niſi eam inſtar Zenobiæ grandibus gemmis onerent, laborantémque & prægrauatam in triumphò ducant Aureliano. Sed, an non ſtibium & ceruſſa, & timiditas animi, & forma naturalis attrita, pariunt faſtidium? Certè Poëma ſeueriùs caſtigatum, quàm par eſt, tetricum dicetur, non maturum: nec tam grauitate venerandum, quàm horrendum rugis.

XII. Itaque ſatius eſſe, decente neglectu impensè colere pulcritudinem, quàm ad viuum ſpeculi argentum, doloſo veneno per laborioſam inſcitiam occidere, enitendum tamen Vati, vt quæ profudit, inter elaborata cenſeantur: quæ elaborauit, profuſa videantur. ita ex vtroque Auctor caſtiſſimam hauriet voluptatem, riſurus ſæpe iudicia examinantium artem & naturam, vanáque diuinatione ſollicitantium Poëtæ ludentis arcanum. Cui *ſoli* conſtare debet: quo pondere quáue procellâ, vehemens *Natura* Poëma protruſerit; quâ moroſitate difficilis *Ars* & ſeuera perlinxerit.

PRO-

PROLVSIONES LYRICÆ

Sumptæ ex eiusdem Auctoris Siluarum Libro VII.

PROLVSIO I.

AD LAZARVM SPIEGLERVM.

Cùm eum Stoicæ Disciplina initiandum susciperet.

STOICI CHRISTIANI

PRIMA LECTIO.

ODE.

SI manibus pedibúsque, & mente, & lumine captus
Nascatur cum cornibus infans:
Horret eum Genitrix, trepidus pater ora retorquet;
Turpe vocat vicinia monstrum.
Atqui nil aliud, SPIEGLERE, videbis in Orbe,
Monstrorum scelerúmque feraci.
Nil vitiorum expers: fœtent maioribus illa,
Quæ voto maiore petuntur.
Cæca VENVS, cæca est FORTVNA, OCCASIO calua;
Et lusca est & lippa VOLVPTAS.
Fronte LIBIDO caret, cerebróque LICENTIA vitæ;
Et præceps AVDACIA naso.
GLORIA strumosa est: facies inflatur *Honoris*,
Obscœni tibicinis instar.
Centum aures FAMAE, surdísque nec vnica FATIS.
Quale chaos, quot, LAZARE, monstra!
Et tamen in medio Mortalis obambulat horum,
Non alijs se lubrica versat
Vita rotis: nam quæ vicibus *metuit, fugit, odit,*
Sperat, amat, desiderat; hæc sunt.

PRO-

Ex eodem Silu. Libro.

AD VALERIVM HASTAM,

Cùm intrà semestre tempus, luctu quinq; funerum sordidatus, Auctoris Poëma, de Vanitate Mundi, posceret.

ODE.

AH! VALERI, quò te vertas? nimis atra furénsque
Incubuit FORTVNA dolenti:
Attonitumque inopina caput versauit in orbem,
Et toto DEA pondere pressit.
Ah! VALERI, potuit tibi vis duo pignora raptim,
Ac super his euoluere Matrem!
Inuida debuerat contenta fuisse tributo.
Quinque vnus tumulauerit Annus!
Iam nullus posthac intranti limina BENNO
Occurret ridere Salutem.
Nullus in amplexum venientis CASTVLVS ibit,
Conniuens prædulcè Puellus.
Nulla, quod optabas, frustra desponsa GEROLDO
Promittit BASILISSA nepotes.
Occidit indignum Libitinæ BARBARA funus;
Antè rosæ, nunc æmula buxi.
Vltimaque auulsa est thalamo carissima Coniux,
In cumulum, te absente, malorum.
Et tanto in luctu medicinam à Carmine speres,
A tepidis solatia MVSIS!
Desine, teque tuis inuolue doloribus, *Hasta*,
Et forti preme pectore questum.
Hoc fodit, hoc sæuos FORTVNAE vlciscitur ictus,
Hoc MORTEM necat insuper ipsam.
Mitto tamen varium tessellatumque POEMA;
Ne videar spreuisse petentem.
Ingemino: vanum est, quidquid Sol ambit vterque,
Terra nihil durabile nutrit.
Vita fugax, incerta, breuis: pariterque feruntur
In fossam cum Ciuibus vrbes.
De quouis paullò pòst exclamare licebit:
TROIANI, PRIAMVSQVE FVERVNT.

IACOBI BALDE

è

SOCIETATE IESV


POEMA

De

VANITATE MVNDI.

I.

Attrita est Ciuitas Vanitatis.
Esaiæ 24.



VERE TROES, ILIVM;
TROS, ILIVM FVERE.
Fuit, fuit Domus inclyta,
Noménque Dardanorum.
Impressit altis mœnibus
Hostile Mars aratrum.
Vbi steterunt Pergama,
Nunc fluctuant aristæ.

I.

TRoia ist hin / ein anders her /
Als wann sie nie wär gwesen.
Verschwunden seynd all Dardaner,
Schon tausentmal verwesen.
Mit Gmäur vnd Wänd / vom Fundament/
Ist Troia gantz verbrunnen.
Ins Hectors Saal wachßt vberal
Wein / Korn / bey guter Sunnen.

Troia stetit. Priami sunt hæc monumenta, Viator.
Eheu! cum gemitu dic: vbi Troia stetit?
Iam frustra Xanthus, Simois memoratur, & Ida,
Et ruber armigero raptus ab vngue Puer.

Vrbs æquata ſolo, captis cum ciuibus arſit.
Argolicus Phrygias Mulciber hauſit opes.
Horrea Triptolemi, vaſtus ſunt Pergama campus,
Inque Helenæ thalamo iam cubat ipſa Ceres.

Ergo Troia iacet? *iacet.* vorauit
Ignis tecta Phrygum? *vorauit ignis.*
Ergo ſtirps Priami ſuperba vixit?
Vixit ſtirps Priami ſuperba, vixit.
Nullus Dardanidum puellus aulam,
In qua ludat, habet; puella nullam.
Sal totâ modò ſeminatur Vrbe;
Proſcindúntque ſolum *boues Vlyſſis.*

Ilion euerſum eſt. Priamus iacet omnis, & ingens
Sarpedon: Danaum præualuere doli.
QVI FVERANT TROES, NVNC SVNT SINE NOMINE MANES;
Occidit Æneas, & Puer ipſe *Paris.*
Ignibus à fundo Neptunia mœnia fumant.
Quæ fuit VRBS, ager eſt; Caula, quod AVLA fuit.
Hectoris effoſſam qui findunt vomere tumbam,
Illi etiam ſegetes *Hectoris enſe* metunt.

SCAZON I.

Vbi *Troia* nunc eſt? conflagrauit exciſa.
Vbi Chorœbus, nobiliſque Caſſandra,
Panthúſque & Hector, & Paris capillatus,
Humeríſque Gnati ſubleuatus Anchiſes?
Confuſa ſquallent hoſtibus dati præda,
Qui Dardanorum fata decolorârunt.
In Regis aulâ, ſiue ſpiceo campo,
VAH! turba prandet *alliata* Meſſorum.

II.

II.

Quid superbit terra & cinis?

Eccli. 10.

Hoc fine POMPA clauditur
In puluerem redacta.
CONSTANS IN INCONSTANTIA
FORTVNA CVNCTA MISCET;
Figítque rebus terminum,
Quò summa vota vergunt!
PVGNARE, STARE, VINCERE,
PVGNARE, STARE, VINCI.

2.

Hie Pracht stehe still / lauff weiter nit /
In lauter Staub verkehret.
Das Glück thut grausamb braite Schritt /
Vnd lang bey keinem wehret.
Von anbegin / geht alls dahin /
Verlieren / Gwinnen / Sigen:
Jetzt vbersich / jetzt vndersich /
Bald stehn / bald vnderligen.

Siste gradum, Mundi quò lapsa superbia tendis?
Dic cum Troiugenis: PVLVIS ET VMBRA SVMVS.
Disce tuo damno, quid sit Fortuna; Puella
Lasciui ingenij, quam iuuat esse leuem.
Omnia confundit; summa imis, imáque summis;
Fértque suis leges hæc ATALANTA Procis:
Stare iubet, pugnare manu, decernere ferro.
Denique Victoris demetit ense caput.

HEIC STAT GLORIA MORE COCHLEARVM.
Vltra non equidem sinetur vnum
Ex hoc puluere promouere passum.
Sors & Fata vetant. Volat per Orbem
Fortunæ leuis ala sæuientis,
Eludítque puerperas Honoris.

Offert prælia, diuidit triumphos:
Diuiſis ſpolijs *Rotam* minatur.

I nunc Pompa ferox, vultúmque in puluere verſa;
Vilis Humus, liceat dicere, *mordet humum.*
Turbida per Mundi partes Fortuna vagatur,
Nec ſinit vlla ſuo culmina ſtare loco.
Diuitijs fartum complexibus obuia ſtringens,
Siſte, ait, à noſtra SPONGIA *preſſa* manu.
Neſcis, quæ Dea ſim? Pacem Bellúmque fatigo:
Nec patior ſummis creſcere colla Viris.

SCAZON II.

Sic curſus omnis ſiſtitur; recedentis
Dum complicantur laxa vela Fortunæ.
Quæ circulatrix nunc *vbique*, nunc *nuſquam* eſt:
Et huc & illuc currit inquies monſtrum.
Quos faſcinauit, vrget improbis iuſſis.
Hîc Cræſe ſtabis: hîc Adolphe: Pellæe.
Huc vſque. dura nempe Seruitus, dura.
VAH! vana capita ſuſque deque gyrantur.

III.

Vanitati enim Creatura ſubiecta eſt.
Ad Rom. 8.

Idem trecentis vocibus
Natura tota clamat;
Hoc *mugit* in trionibus,
Hoc *hinnit* in caballis;
Hoc *rugit* in leonibus,
Hoc *latrat* in moloſſis:
Hoc *barrit* in vaſtiſſimis
Nigerrimiſque barris.

3.

Diß ist das stettig wehe vnd wehe/
Auß dem d'Natur gezimmert.
Das röhrt der Ochß/ das brillt der Löw/
Der Vndergang sie kümmert.
Das kreet der Han/ das singt der Schwan/
Das pfeiffen auch die Maisen:
Auff disem dant der Elephant
Durch Libyam thut raisen.

Id, quod Naturæ discors Symphonia *sentit:*
Rectiùs imò *canit:* Veriùs imò *gemit.*
Omnia quæ viuunt, Lessum meditantur in vmbra,
Lessum Vacca suum mugit, & hinnit equa.
Lessum latrat Hylax, &, pontem nuper ad Oeni,
Rugijt in medio torua Leæna rogo.
Acclinis trunco frendet sibi Lessum Elephantus.
Hæc sunt mortalis Musica fata Chori.

Quid viuit, nisi quod timet? supremam
Non tantùm lepores tremunt ad horam,
Aut damæ pauidi: sed & leones,
Et sparsus sonipes cruore belli,
Et bos Pannonis, & canes Britanni,
Et Barri Libyæ. Tuenda vita est?
Quæ non bellua mugit ad securim?
NON EST VLLA SIBI COLVMBA NEQVAM.

Horrent interitum, quæcunque videbis in Orbe,
Piscis, Auis, Quadrupes; Fortia, Blanda, Fera.
Perstat acerba fremens, Diuis sacer, ante Popam bos;
Cornipedes sese calce tuentur equi.
Massylus super alta leo venabula fertur;
Eluctatur aprum dente timenda canis.
Defendit barros (manus admiranda) proboscis.
Et tamen infestum Rhinocerota timent.

SCAZON III.

FATIS AGVNTVR CVNCTA. TOTA SVB MORTEM
NATVRA RERVM CONTREMISCIT, AC SVDAT.
Bos ad macellum fortiùs pedem figit.
Equus, hoſte viſo, *naribus* minas efflat.
Pauent leones occinentibus gallis.
Lyciſca latrat inferos *odoratus*.
Bos Luca muris pertimeſcit occurſum.
VAH! vana vita quot paris tibi curas!

IV.

Vidi cuncta, quæ fiunt ſub ſole; & ecce vniuerſa Vanitas & afflictio ſpiritus. Eccleſ. 1.

SVB SOLE QVIDQVID NASCITVR,
DENASCITVR VICISSIM.
Alterna Sors, alterna mors,
Alterna Fata trudunt.
Nam *Luna* frenat omnia,
Mutabilíſque mutat;
Volubilíſque voluitur,
SECÚMQVE VOLVIT ORBEM.

4.

Alles was in den Lüfften ſchwebt/
Das kan vnd muß verderben.
Eins vmb das ander ſtirbt vnd lebt/
Vil Häfen gibt vil Scherben.
Alles vergeht mit dem Planet/
Der ſo vil Gſichter machet.
Jetzt láer/ jetzt voll/ jetzt taub vnd doll/
Bald ſchlaffet/ vnd bald wachet.

Vita parit mortem ſub ſole iacentibus ægris,
Mors parili vitam conditiõne parit.

Sunt rerum Fatíque vices! *alternáque* currunt
Iurgia Naturæ. DEFICIT AC REFICIT.
Luna tot incertis certissima vultibus, & quæ
Non minùs est *constans in leuitate suâ*,
Frena regit Mundi, formásque putredine mutat
Hæc Metamorphoses mille vel vna facit.

Phœbi Cynthia, Cynthiæque Phœbus.
Cùm terras humileis tuentur, ambo
Ad spectacula nostra vana rident:
Alternis, vt, in Orbe, res in orbem,
Astris circumagantur inquietis.
MORS ET VITA IOCANTVR; áque Luna
Fit *lunaticus* Orbis, & rotatur
In vertigine mobilis Planetæ.

Expertum est, durare nihil, subsidere cuncta;
Idque vident toto Sol Phaethonque die.
NASCI & DENASCI, tam sunt sibi nexa vicissim,
Lubrica quàm testæ cochlea iuncta suæ
Scilicet hunc Orbem Sidus Lunare gubernat,
Et nocet exemplo debilitátque suo.
Iam rubet aut pallet, mox est caua vallis & horror;
Quas non euertat *Femina* talis opes?

SCAZON IV.

Noctes Diésque prouehuntur alternis;
Et auehuntur. Est noua & vetus Luna;
Surgit cadítque, crescit atque decrescit,
Gyrata more vertagi; domi raro
Præsens, *apud se rariùs*, furit toto
Mutanda mense; semper ipsa, nunquam ipsa;
Lasciuit hausto pota Fratris argento.
VAH! Lunæ imago, verus est Typus Mundi.

V.

Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt.
Eccles. 9.

Nil vsque stat durabile,
Aut vndequaque tutum.
Calcat myricas quadrupes,
Cedros trucidat Eurus.
Vrbes pauent Vesuuium,
Pontes timent *Araxen:*
Valles inundant lacrymæ,
Montésque fulminantur.

ſ.

Nichts kan ich sehen / das ewig wehrt /
Nichts sichers kan ich finden.
Zerschlagen wird das Gstreiß vom Pferdt /
Gantz Wälder von den Winden.
Thonaw vnd Rhein / reißt Brucken ein /
Das Thal versinckt im Nebel:
Reichs Stätt vnd Märck / auch hohe Berg /
Forcht Donnerklapff vnd Schwebel.

Actum est. securi nihil hoc reperitur in Orbe:
Nec duraturas fert status iste moras.
Et salices, celsásque manent sua funera cedros:
Æolus has, illas sima capella metit.
Antiquum est istud; *ponti indignatur Araxes:*
Et sua Parthenopen non minor Ætna coquit.
Fulmine *mons* Rhodope; nimbis Rhodopeïa *Vallis*,
Altior iste *flagrat*, pressior ista *natat*.

Hoc est, quod Sapiens monebat olim:
Nil secvrivs esse, qvam timere.
Sic cedrus pauet Æoli lacertos;
Flos campi, teneram manum Puelli:

Pro-

Propugnacula, SPINOLAM frementem;
Pontes, Strymonis alueum ruentem:
Vallis ſub niuibus ſepulta plorat;
Rupes fulmine tacta clamat, *Ohe*!

Deſine nutantis Mundi fulcire ruinam:
Labitur, & nullo nixus *Atlante* perit.
Atque adeò videas non ſolam Tybure ficum,
Sed Libani & Cedros, flante Aquilone, mori.
Eridanus ripas, pontes populatur Araxes:
Hinc eſt, quòd toto flumine ligna natent.
Quemque ferit ſua mors. hunc nimbi, hunc fulmina tundunt.
Sæpe Appennino *Péſque Capútque* dolent.

SCAZON V.

Quacunque vultum vorto, verſa & inuerſa,
Vertenda & inuertenda cerno: nil tutum.
Roſam ſalaces virginem metunt hirci:
Boreas niualis regias Cedros truncat.
Nil non Araxes audet in ſuos pontes.
Tandem eſt & illa bella capta Rupella.
Valles, cloacæ montium, iacent. *Montes*,
Vah! hi POTENTES, hi *potenter* vruntur.

VI.

Si ceciderit lignum ad Auſtrum aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Eccleſ. 11.

Siluas ſenectus deterit,
Et laſſa curuat ætas.
Vtcunque multos viderit
Idæa *Quercus* annos;

Nec vulneretur cædua
Bipennibus gigantum;
Procumbet æuo saucia.
Hoc vulnus, est supremum.

6.

Wie mancher schöner Cederbaum/
Befreundt mit den Cypressen/
Ist mit der Wurtzel/ da er kaum
Berührt/ ins Grab gesessen.
Die Eyche gsetzt werd nit verletzt/
Von keiner Axt vmbghawen:
Das Alter macht/ das zboden kracht/
Nicht tauglich mehr zum bawen.

Sunt Nemora æternum falsò spirantia numen,
Quà sacra frondosum porrigit Ida caput.
Hîc habitant Quercus, quæ vertice sidera pulsant,
Tartara demersâ stirpe profunda petunt.
Duratura putes immania Robora tanto,
Quanto durabit tempore vita Iouis.
Fallere. vel senio tandem, vel mole, peribunt,
Et truncis, *ætas* ipsa, bipennis erit.

Audi Capripedum genus petulcum,
Prorsus nulla virebit vsque Silua;
Frustra putre nemus, necique dandum,
Custodes Satyri rigatis vnda.
Immortalē nihil. securis, esto,
Quercum non resecet, nec ignis vrat,
Nec fulmen feriat: quis à senecta
Defendit? cadet Arbor absque ferro,

Lucus gentilis, iam septima secula passus,
Et Dodonæâ relligione sacer:
Non est immunis, vel ab omni vulnere tutus.
SILVESTRES PARCAE DANTVR ET ARBORIBVS.
Hispida *fila* trahunt, connectunt *stamina* glandes.
Cum folijs ILEX est *Colus* ipsa sibi.

Hanc fenium franget, Lachefis licet horrida parcat;
Lugebunt omnes funus Hamadryades.

Scazon VI.

Alpina Silua, Mater arborum *longa*
Et Stirpis antiquiſſimæ, ſed & ſummi
Honoris ac *faſtigij*; parit Quercus
Proceritate nobileis gigantæâ.
Tu vix moriri poſſe crederes ſenſim
Tamen hæc, & iſta carie, & illa, tabeſcit.
(Morbum hunc periti nominanr *phthyſin* Fauni)
Vah! omne Robvr, omne robur amittit.

VII.

Omnes morimur & velut aqua dilabimur. 2.Reg. c.14.

Non longa res est vivere;
Finitvr inchoando.
Plures in ipſo limine
Exordij perorant.
Vt *Actor* olim dixerat
Vrgente fine, Dixi;
Sic funerande, clepſydrâ
Dic effluente, Vixi.

7.

Das Leben ſchnell / als wie der Zin
Was gibſt was haſt / thut flieſſen.
Es fangt kaum an / ſo laufft es dahin /
Die Kinder thuts verdrieſſen.
Zu Rom der klagt / hat endlich gſagt /
Richter / dStund will zerrinnen.
Der Sterbend ſag / bhüt dich Gott / Tag /
Zu dNacht muß ich von hinnen.

Gui breuis & fluxæ vitæ conceditur vſus,
Iam *mortem orditur*, primáque Fata ſubit.
O caue, ne carpas ſpem vanam Neſtoris, & qui
Eſſe cupis CORNIX, emoriare *Culex*.
Nam quid ages, ſi te Mors ad ſua iura citârit?
Actor eris? ſanè. dic, licet; *Hora fluit*.
At ſimul in guttum ſeſe exonerauit *arena*;
Te ſimul infoſſum funus arena teget.

CVRRIT NESCIA VITA DETINERI.
Vix Eleus equus citatiore
Metam tangit Olympicam quadriga.
QVOD VIS VIVERE, VIVE NVNC. SERENVM
CRAS NOLI TIBI MANE POLLICERI.
Coram Iudice te loqui memento.
Qui, ſi fluxerit vna, nec ſecundam
Concedet, neque prorogabit horam.

Poſſe mori cœpit, cœpit qui viuere. fructus,
Vita breuis, placidæ labitur inſtar aquæ.
Primo vagitu, quem lactens edidit infans,
Sæpius offenſa eſt è tribus vna Dea.
Sic mortalis habe: tetricas has eſſe Sorores;
Nec dare, quos poſcis Rhetoris ore, dies.
Clepſydra deſtillat. donec fluit illa, loquéris,
Fluxerit; actutum deſine velle loqui.

SCAZON VII.

Humana, non eſt LIVII DECAS, vita,
Dimenſa campo tot patente librorum.
Sed tantùm *Epitome* FLORIDI breuis FLORI,
Paruus libellus; vnica (legunt *Parcæ*)
Perlectus horâ ſæpe. Pulcer, at paruus.
DIXI, atque VIXI clamet omnis ORATOR.
Menſura vitæ iuſta, ſunt duæ voces.
VAH! vana vita, fluxa Clepſydræ ſtilla!

VIII.

Vidi in omnibus Vanitatem.
Eccles. 2.

Omnis Voluptas *palpitat*,
Quanquam dolosa *palpat*:
Domi suæ, non inscia,
Quàm curta sit supellex.
MOMENTA SVNT LIBIDINVM,
MOMENTA GRATIARVM.
Pennata plaudunt Gaudia:
Quæ tangis, *auolabunt*.

8.

Kein Wollust ist der kecken Art/
Daß er die Farb darff halten:
Mit dem / was er zusammen spart /
Kan sich kaum selbst erhalten:
Kein Augenblick werth sein Anblick /
Der Schelm thut heimblich schleichen:
Die Frewden erst/ wanns recht begerst/
Mit vollem Flug außweichen.

Viue Voluptati; si te tamen, inter amores
Sollicitum, pœnas nocte timere iuuat.
Crede mihi, tantos nunquam satiabit hiatus;
Ipsa domi, vix quod squallida *rodat*, habet.
Dulce Malum, crudele Bonum, miserabile philtrum,
VNVM MOMENTVM TOTA LIBIDO FVRIT.
Tam citò læta Venus fugit, & se in nubila condit,
Quàm citò, cùm fraudem sentit, alauda fugit.

O fallax nimis & breuis Voluptas!
Quæ semper timet, & facit timere.
Non est filia *diuitis Macelli*,
Aut *Pistoris*: eget. stolata bysso,
Peiorem patitur famem Sagunto.
AMENS OMNIS AMANS: LIBIDO SANI

EST INSANIA, TERMINANDA PVNCTO,
O! verè volucris leuis Voluptas

Angitur & pallet *curis perfossa* Voluptas,
Risus & in ficto flebilis ore salit.
Tu ne diuitias iactanti crede *salaces:*
Vix dotem vnius pauperis assis habet.
POSTHVME, & hanc duces? ah! nescis, quid sit amare.
Momentum est, QVIDQVID CREDITVR ESSE VENVS,
Auolat, vt venit, *veluti panthera, sagitta:*
Hoc etiam pueri *Grammaticique* sciunt.

SCAZON VIII.

Quid est *Voluptas*, quàm timore, mœrore,
Dolore plena, tecta serico Lena?
Mentitur IRA Cræsam, egena nummatam.
Mullum petenti, gobij dabit squamnam.
QVID EST LIBIDO BLANDA, QVAM VAPORATVM
TERTVLLIANI SORDIDVMQVE MOMENTVM?
ANGVILLA Venus est; *lubricámque* prensurus,
VAH! fortè turpem prendit *Vberis* CANCRVM.

IX.

Vbi multa sunt somnia, ibi plurimæ sunt Vanitates. Eccles. 5.

O! blandientum somnia
Non blanda somniorum!
Quæcunque tandem VANITAS
Emisit illa *Porta*;
Eburnea, seu *Cornea*,
Neutráue, tertiáue:
SVNT VANA, VANA SOMNIA,
SVNT VANA, VANA, VANA.

9.

Ein Traum / sag ich / ist Eytelkeit /
Ist alls ein Traum / was Eytel:

Vons Crœsi Gut / vons Salomons Freud /
Traumt manchem läeren Beutel.
Sags noch einmal / sags abermal /
Nichts seyn der Menschen Jahren:
Dann sauber nichts / pur lauter nichts /
Nur Lari Fari Waaren.

Stulte, quid ad Somni trutinas tua gaudia lancem!
Illa nimis fallax, nóxque dolosa nimis.
Inter opes citharásque, & quæ sibi dulcia DIDO
Finxit, & ad fontis lactea labra sedes.
Et bibis, & turges, tanquam omni ex parte beatus:
Et canis, & Cyprias remige scindis aquas.
Sint hæc blanda licet, tamen illa Parœmia vera est;
Ex nihilo nil fit. Stulte, nec euigilas?

Est, qui compositus sopore blando,
Credit Mænala se subire curru.
Perlustrat nemus, hinnulósque figit
Et molleis capreas. Fatigat vrsos,
Ceruos porrigit, atque collocato
Dentes vellit apro. Vigil, iacere
In lecto stupet. Ergo somniaui?
Inquit languidus. *Ergo somniaui.*

O! vt permulsit mea membra papauere Somnus!
Quàm mihi dulcis, ais, visus hic esse Deus!
Nescio quas Vmbras, sed enim mihi Morpheus Vmbras
Obiecit, lepidis cinctus imaginibus!
Nescio *qua porta* venientia numina vidi:
Sed vidi; & semper visa videre iuuat.
SOMNIA SVNT, *Quæcunque vides,* SVNT SOMNIA, VANE;
SOMNIA VANA VIDES, OMNIA VANA VIDES.

SCAZON IX.

Quid est superbi vana Vanitas MVNDI,
Quàm turbulentus somniantium rhonchus?
Quàm vile noctis Phanthasísque phantasma?
Grallis per auras ambulant super stellas;
Cerá-

Ceráque fictis Dædali volant pennis:
Rhenum frementem lacte spumeo potant.
Stupent Coronas purpurámque deferri.
VAH! vile Noctis Phantasíque phantasma!

X.

Vana sunt opera & risu digna: in tempore visitationis peribunt. Ierem. 15.

Septena quæ MIRACVLA
Iactabat antè MVNDVS:
Septena sunt ludibria,
Et nobiles Chimæræ.
Monstret NEMVS *Semiramis,*
Murósque sulphuratos:
Rhodósque SOLIS æneum
Extollat alta signum.

10.

Wo seynd die siben Wunderwerck?
Was sichst an jhnen wunders?
Zerschmettert seynds; O Welt diß merck!
Auffs wenigst nichts mehr bsunders.
Wo ist der Thron in Babylon?
Der Garten in der mitten?
Dein Sonn Rhodis / der groß Riß /
Hat Finsternuß gelitten.

MVNDE VALE. reuocor. priùs hæc MIRACVLA cerne,
Dicit, & *immensis* pascere diuitijs.
Nempe vbi sunt? quis me volucri super aëra curru
Raptum famosâ sistat in Vtopia?
Vel quis ad Euphraten præpes Babylonia ventus
Mœnia visurum, sulphure cocta, ferat!
Qua tamen aspiciam Rhodon, immanémq; Colossum,
Prima Dies fatui forsan *Aprilis* erit.

Mi-

Mimesis.

Ad Miracula (quod *Ioci* secundent)
Sic proceditur. Et quidem videtur
Primò, quòd fuerint: *deinde*, quòd sint,
Nam Semiramis excitauit Hortos
Pendentes: Rhodos arduum Colossum.
Dicendum tamen: hæc fuisse quondam;
Nunc, non ampliùs esse. *Nam* nec vmbra,
Vmbræ nec leuis vmbra restat. *Ergo.*
Aude aliquid. mirare tui Miracula Mundi.
Quæ, vel Vbi? Quando? Qualia? Quanta? Quota?
Septem, dicis, erant. Ah! quæ ludibria narras?
Quis non cordatus rideat illud, *erant?*
SVNT, SVNT, QVAE DVRANT. Sed *Erant* Babylone superbæ
Portæ; sed tantùm Pensilis Hortus *Erat.*
Per cuius poplites potuit rostrata Colossi
Nauis agi; non EST nunc quoque tantus, *Erat!*

SCAZON X.

Vbi sunt stupendæ tot *Stuporibus* moles
Spectaculorum, quæ videnda miremur?
Indocte Munde, stulte, barde, Bœote,
Numerare nescis *Quinque*, quî queas *Septem.*
Babylonis hortos pensiles adhuc nobis
Iactare! Olympo se Colossus æquâsse!
Sub vtramque ripam gurgitémque metante
Transisse naueis! VAH! iacet, iacet *nanus.*

XI.

Impius facit opus instabile.
Prouerb. 10.

Fastigiata PYRAMIS
Memphiticis in oris:

Quæ

Quæ decidenteis eminus
Suas recepit vmbras:
Tam plana facta caſibus,
Quàm campus eſt cylindro;
Cepaque nunc Ægyptia
Vmbras iacit minores.

II.

Die Pyramis / ein ſchön gedicht /
Egypti Zier vnd Namen /
Brait vndenher / hoch vber ſich /
Geſpitzt zuſam wie Flammen:
Iſt jetzt ſchabab / gebrochen ab:
Ein Handt voll Stain wirſt finden.
Ein ſchlechtes ding vmb Pfifferling:
Auch die thuns vberwinden.

Pyramis & Memphis, tam ſunt mihi fabula, quàm ſint
Pyramus & Thisbe, Naſo iocoſe, tui.
Tantus Hyperbolicæ conſurgit in æthera turris,
Altáque vicino Mons ferit aſtra iugo.
Non ita me pridem ſtimulauit dira cupido
Tangendi ſeptem brachia, NILE, tua.
Vidimus Ægyptum. Sed non mihi viſa duceatos
Alta pedes Memphi Pyramis vlla fuit.

Famâ, quà patet Orbis, vniuerſum
Implet Pyramis. Horreum, an ſepulcrum?
Nam Reges Cérerem que, cúmque ſpicis
Fertur funera condidiſſe. Vertex
Nubes deſpicit: & baſin deorſum
Iactum miſſile tranſilire neſcit.
Mentiris, bone vir: *ſagitta* ſanctæ
Metas tranſilit iſta VERITATIS.

Commentarius.

Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis.
Verius haud quidquam Bilbili ſalſa canis.

Bar-

Barbara: nam quamuis altissima, barbara moles,
Barbara congeries, barbara terra fuit.
Pyramidum. quarum? quis nunc videt eminus vllam?
Non superest lapidum plena vel vna manus,
Vel cophinus. *Sileat miracula:* vitrea, fluxa,
Vana, caduca, nihil. denique *Memphis.* Vbi est?

SCAZON XI.

Vbi Canopi *sunt furentis* insanæ
Substructiones? PYRAMIS, sepulcrale
Onus tyranni, fertur astra sublimi.
Pulsasse cono, cærulas supra nubes:
Lunæque cursu menstruo fatigatæ
Sedem quietis præbuisse. credemus!
Quid, NILE, dicis? vana *tinniunt* sistra.
VAH! præter *vmbram* nil videtur obscuram!

XII.

Sed & magnæ Dianæ Templum in nihilum reputabitur. Actorum 19.

TEMPLVM DIANAE fulgidum
Amazonum pharetris;
Destruxit vnus *Furcifer,*
Quod struxerant IONES.
Incendit, atque *incendio*
Flagrauit ipse Famæ;
HEROST- scelus! resorbeo,
Et *nolo nominare.*

12.

Der Asiatisch Tempel voll
Dianæ Schätz vnd Waffen;
Ich schäm mich / wann ichs sagen soll /
Ist nit allein vngschaffen:
Sonder im Fewr / gantz vngehewr
Im wilden Rauch auffgangen.
Das Teufels Kindt / ders angezündt /
Wolt mit der Brunst erst brangen,

De

De celebri Fano, nec prima, nec vltima reſtat
Tegula, qua poſſet *nuda Diana* tegi.
Quæ ſtetit immodico ſublimis & ardua ſumptu,
Machina procubuit decinerata ſolo.
Qui tantæ flammas admouit *Lucifer* Ædi;
Buſtum, materiam credidit eſſe ioci.
Semper ego obſcurus tantùm? nunquámne? ſed ex hoc
Dixit, iô, Nomen clarius igne feram.

Quid formoſius vlla vidit Ora
Delubro? quod Ionico paratu
Et ſumptu ſtetit: VNIVS SVPERBA
VENATRICIS ET INVIDENDA SEDES.
Inuidit, quia vidit Vnus (*Heros.*)
Cùm ſuccenderet, æſtuante Fano,
Clamauit *Nebulo:* DIANA MAGNA,
O! DIANA EPHESINA MAGNA, SALVE!

Nec Triuiæ Templo molles laudentur Iones.
Hoc quoque non vanè Bilbili ſalſa canis.
Vt ſteterit maius, quàm maximus ambitus Vrbis,
Et prope nil fuerint omnia præter *ebur*.
Quis tamen id laudet, quod non comparet, ab igne
Conſumptum? carbo, fumus, arena, cinis.
Roſtratus incendit vel *Heroſtratus*; adque fauillam
Sedit ouans, velut ad Pergama capta Sinon.

SCAZON XII.

Vbi in paluſtri conditum ſolo *Fanum*
Vanum Dianæ? luſtra quod quater dena
Inſumpſit, Ædiléſque defatigauit!
Non illud hoſtis barbarus, vel hybernus
Subuertit imber, vel ſacrum Iouis ſulphur.
Sed (*erubeſco*) ſed. *quis ille?* ſed fruſtum
Lauernionis *nempe?* miſit in fumum.
VAH! ludibundus triſte plauſit ad buſtum.

XIII.

Tu autem proiectus es de sepulcro tuo.
Isaiæ 19.

Trophæa fixa Gadibus,
ET HERCVLIS COLVMNAS,
Non passus *Vltra* Nereus,
Iacto Tridente vertit.
Quæ celsa mole pendulâ
MAVSOLVS incolebat;
Duxere labem marmora:
SEPVLTA SVNT SEPVLCRA.

13.

Die Hercules am Vfer gsetzt/
Glaubst nit was grosse Saulen/
Hat nach vnd nach das mehr abgfretzt;
Waist/ wo die stuck verfaulen?
Das gantzen gern biß an die Stern/
Dein köstlichs Grab/ Mausole,
Ist gfallen ein mit Marmelstein.
Ich möcht dich da nit holen.

Amphitryoniades quæ toto ex Orbe tropæa,
In Gaditano fixerat alta Mari:
Dum costas balæna fricat, caudámque retorquet,
Subuertit reflui vortice torta Sali.
Id quod in astra ferunt *Cares* regale sepulcrum,
Altera congestâ mors sepeliuit humo.
Tunc primùm inclusæ saxis immanibus Vmbræ,
Facta est *Terra Leuis*, quæ fuit antè *grauis*.

Quin ipsius & Herculis Columnæ
Fecerunt vitium, ruente fluctu.
Alcidæque fuit *Nouerca* Iuno,
Non primi Iouis illa, sed secundi.

Vmbra.

Vmbrarum, morientiûmque fastus,
Mausolea soluta conciderunt.
QVID NVNC MAIVS HABET CADAVER ILLVD?
QVAM VILI FIGVLVS LVTO SEPVLTVS?

Herculis erectas, famæ monumenta, Columnas
Disiecit toto littore sparsa Notus.
Quanquam alij incursu vituli prostrata marini,
Longo alij credant computruisse situ.
At non iam medijs habitat MAVSOLVS in astris,
Vmbra nimis Tumuli forte superba sui.
OMNIA FRACTA IACENT. SAXIS SVNT OBRVTA SAXA.
QVAERE ALIVM TVMVLVM, QVI TEGAT HVNC TVMVLVM.

SCAZON XIII.

Maris OBELISCOS, quos tremendus Alceides
Fixit; refixit, diruítque Neptunus.
Disiecta molles frusta nesciunt Gades:
Nimirum in imo marmoris iacent fundo.
Exaggeratum CONDITORIVM, sub quo
Iacebat Artemisiæ *putris* Coniux:
Terrâ mouente, mugiente subsedit.
VAH! Funus hoc immane quàm grauabatur!

XIV.

Contrita sunt pariter ferrum, testa, argentum, & aurum. Dan. 2.

COLOSSVS ille *Mysticus*
Conflatus ex metallis;
Noctúque visus obijci
Chaldaico Monarchæ:
Quot partibus decreuerit,
Testatur *ima testa.*

De

De mole grandis Hybridæ
Vix parua gleba restat.

14.

Der grosse Mann gehebt empor/
Auß vil Metall gegossen:
Den gsehn Nabuchodonosor
Im schlaf zuletzt vmbgstossen:
Was er nun gelt/ bsechs in der Welt/
Wanns einer je will wissen:
Wie Glas ist er durchauß nunmehr
Zermalen/ vnd zerrissen.

Ille Vir, ille Gigas, variorum caussa laborum,
Corpore qui vasto Regna quaterna tulit;
Ille tibi visus, Pronepos ditissime Nini,
Ebria cùm vinxit numine membra Sopor.
Heu! quantùm attritus, quantum mutatus ab illo,
Quem vix æquabat fraxinus alta, VIRO.
Ad testam ventum est. Melioris massa metalli
Decidit, *inque luto secula pauca iacent.*

Ostentum Babylonij Tyranni,
Per Chaldaica prata *mugientis*;
Cum Regnis prope vanuit quaternis.
Toto corpore comminutus Heros
Latè plausit humum sonante lapsu.
MUTIS POPLITIBVS LVTVM SEQVETVR.
HAEC AENIGMATA SVNT POTENTIORVM;
HAEC LVDIBRIA SVNT ET AVLICORVM.

Arduus atque ingens confusâ mole *Colossus*,
Regnorum Mundi, quæ peritura, typus;
Olim Euphratæo visus per somnia Regi,
Semiuiróque bous semibouíque viro;
Quid moror effari? cecidit. fragmenta supersunt,
A casu scopuli contremuere maris.
Vix pes dimidius titubat de corpore tanto.
Si videas, dices: *quid fuit iste Cinis?*

SCAZON XV.

Obiectus HERMES *magnitudinis primæ*,
Quem Rex superbus somnians ad Euphratem
Suspexit; ictus, lapsus, atque prostratus,
Totum ruinâ, quà patet, tegit Mundum.
Vnus LAPILLVS tot metalla *confudit*.
Pars Tibiarum restat, (illa quantilla!)
Mixtúmque testæ seminarium ferri.
VAH! QVIS MONARCHA STABIT HOC PAVIMENTO!

SCENA INTERCALARIS.
Poëta. Scazon.

A *Duorte Scazon. Iam sequetur immensi series laboris, tota Roma sub visum obeunda proponetur. aduoca vires: contende neruum, grande destinaturus (& en trabale) spiculum.* SCAZON. *Lacessitus vt ego reuertar? vt datâ manu cessem? pedibus salutem quæro: quod Poëtarum licet in duellis. Fide; dextra non fallet. Tam certa nobis, quàm volantibus Parthis, instanti victo.* POE. *Dij Deaq; Scazontem seruate nostrum. Sic places.* SCA. *Iuro. Cortina dum me lata vestiet Phœbi, sagatus ista serum arma librabo.* POE. *Vides feroces, virginésque peltatas vnà sarissis dimicare vibratis. Non illa tecum præliatur ancilla, quæ lacte cygnos abluit, toros sternit, Paphon Gnydónque verrit; éque dumetis trahit palumbes, nec tenere dignetur succincta peluim: cùm sub arietis signo procíue tauri, flammeâ calens febri, phlebotoma sacrum sanguinem Venus mittit. Castæ pudica mentis & memor stirpis, seruire turpe publicúmque detrectat; certátque pugnas prouocata pugnare.* SCAZON. *Haut pertimesco, stat suo loco Scazon.* POETA. *Virile robur, inque feminis numen contusum esse senties.* SCAZON. *Ego castum immanè surgens tollo, qualis Entellus, torquere magni doctus Herculis clauam.* POETA. *Elegia claues in ca-*

caput retorquebit; periculosa pluribus viris arma. Scazon. *Ohe! quis augur! vt prius mihi tellus dehiscat ima. méne sexus imbellis Colu fugabit? rostra me columbarum infesta mactent! glandibus saginatus & farre tosto, pane maior Alcide possum videri.* Poeta. *Parce turgidas, Scazon, inflare buccas. Sæpe sapius vicit contemptus hostis; & superbia conum deiecit, obtriuitque flabiles cristas humi voluta cassidis. nihil prosunt lingua minacis verba. Re triumphatur. Vis frangit iras. Mars coronat Atacec. Scis, qua Camilla Virgili?* Sca. *Scio.* Poe. *At dextrè iecit securim maximo Phrygum damno. Ad arma* Scazon. *vniuersa procedit, seséque ponit Roma Martio Campo.*

XV.

Tu es Caput aureum. & post te consurget Regnum aliud minus te. & regnum tertium aliud æreum quod imperabit vniuersa terra. & Regnum quartum erit velut ferrum, &c. Dan. 2.

Flauum Capvt demessuit
Acinacis Syrorum.
Pectvs tremens Argenteum
Hausit sarissa Pellæ.
Abdomen ingens Græciæ,
Et æris Vmbilicvm,
Exenterauit funditus
Scrutata Roma *ferro.*

15.

Das gelbe Haupt auß Gold gemacht
Hat Persia abgschlagen.
Die silbern Brust / vnd Persisch Macht /
Hat Græcia abtragen.

Den vollen Bauch / nach Griecher brauch /
Auß Ertz gegrünte Lenden /
Hat Rom zerstört / vnd nit auffghört
Mit Eysenbrandt zuschenden.

Anatomia.

Chaldæos strauere Syri Persæque, superbum
Scilicet ex *auro* nobiliore CAPVT.
Argolici Persas fudere, HVMERISQVE micantes
Scilicet *argento* de meliore Syros.
Græcorum VENTREM *inspexit* Romanus *Aruspex*,
Armatíque scidit militis *exta* manu.
In Spolium *ferro* cessit, quod in *ære* reliquit
Græculus. AVSONIAE DEBITOR ILLE FVIT.

Auratum caput euocatus vno
Medorum Satrapes reuulsit ictu.
Argento graue pectus, hausit ense
Græci filius improbus *Philippi.*
Effultum femur ære, bellicosi
Fregit ferrea *Romuli* securis.
Ad tantum, reor, inde totus AERIS
CAMPANI sonitum pauebat Orbis.

Conturbatio.

Flauicomum Medus caput à ceruice reuulsit,
Et spolium captâ de Babylone tulit.
Inque vicem Medi Macedûm cessere tyranno,
Qui Susa excidio Persepolímque dedit.
Ærisoni Ventris grauidísque minacibus armis,
Sunt in Romano vendita frusta Foro.
Æs emptum ferro fuit, impostúmque tributum
Italiæ Dominæ Græcia serua dedit.

SCAZON XV.

Deiecit alti PERSA verticis fastum
Auri coloræ fulgurantis obrizi.

Viuo DARII; palpitantis argento,
Confodit extraxítque Cor ALEXANDER.
Quo seminante bella, GRAECIAE Venter
Concepit iras, ære Martio prægnans.
Enixa demum fudit obstetricanti
VAH! serua ROMAE facta ferreæ, seruos.

XVI.

Venient in triremibus de Italia, superabunt Assyrios, vastabúntq; Hebræos; & ad extremum etiam ipsi peribunt.

Numer. 24.

Quid ipsa? quantum *roboris*
Seruauit aut *decoris*?
SI SE VIDERET IN TYBRI,
PVDERET ESSE VISAM.
Os buxeum, frons cerea,
Genas reliquit OSTRVM.
Fluxere turres vertice,
Murísque *Fratre* tincti.

16.

Vnd aber Rom / wie lang ist sie
So starck vnd schön verblíben?
Gleich wie ein Rebstock in der Blüe
Vom Winter auffgetriben.
Nas / Mund / vnd Haar / schwartz Augen klar /
Seynd biß in Tode verbrochen.
Die gantze Statt / kein Maur mehr hat /
Wo Remus war erstochen.

Hypotyposis.

Et tu *Pastoris* pulcerrima Filia, quanto
Seruasti florem tempore, ROMA, tuum?
Non adeò longo. tenuem deflexit in vmbram
Numinis ille decor, Nominis ille vapor.

Frons ſolitò minor eſt, & naſus acutior æquò,
Colláque ſunt buxus, bella labella cinis.
Hæccine Diuorum genitrix æquata Cybelli?
Sanguine fraterno tam bene lota ſoror?

Nunc quo ROMA loco? fuit venuſta,
Fortis, Martia, glorioſa, felix.
Tu primam faciem, caue, requiras.
Cenſuram refugit: pudet videri.
Aſpectis potes expauere rugis,
Et muſſare ſilens; AN ISTA ROMA EST?
Fortaſſis via deuium fefellit.
Hîc nullum video Remi ſepulcrum,

Quem tamen in finem properata Potentia creuit?
An ſemper ſolidis oſſibus alta ſtetit?
SVMMIS STARE DIV, NVNQVAM NON FATA NEGARVNT.
Hoc quoque proſtrato corpore Roma probat.
Inſpiciat ſpeculum, proprio perterrita vultu,
Horrebit maculas viſa ſenecta ſuas.
Turrigeri crines *raſtro*, non pectine, vulſi,
Fatalem in foſſam procubuere Remi.

SCAZON XVI.

Et ROMA manceps ſeruitutis Argiuæ,
Totius Orbis meſſe diues inuectâ,
Quot, ede, ariſtas vidit, aut tulit ſpicas?
Et ipſa tandem rapta ceſſit in prædam.
Formoſa latro Gentium, ſuos Ciues
Senſit Latrones. Vænijt ſubhaſtata,
Contuſa, deformata, turpis, elumbis,
VAH! abſque muro nuda, ſemipagana.

XVII.

Et ad extremum etiam ipsi peribunt.

Num. 4.

Insignis INFANS vagijt
Sub Romulo Parente:
Cœpit *loqui* sub Hernico,
Creuitque sub Camillo.
Sub Scipione *nubilis*
Puella visa Pœno:
ET NEMPE MVLTVM DEFVIT,
QVIN NVPTA DVCERETVR.

17.

Ein edle Tochter / glaub ich wol /
Hab Romulus geboren /
Die groß erwachst / der Thürn so voll
Auß allen Stätt erkoren.
Zu letzt Mannbar / im besten Jahr /
Werth / daß ein Helde bekommen /
Vnd / wie man meldt / hats nit vil gfält /
Der Hannibal hets gnommen.

Quis neget in paucis sobolem genuisse venustam
Te licet in paruâ, Romule Magne, casâ?
Roma decora genas, quondam florente Camillo
Floruit, in patrio crescere visa sinu.
Iámque viri patiens poterat ducenda videri,
Cùm stipare latus SCIPIO iussus erat.
Quàm prope tunc fuerat *vitiata* libidine MAVRI!
Sed FABII *celeres* eripuere *moræ*.

Vrbs formosior omnibus coæuis!
O! quales habuit Puella ocellos.
O! quàm bella nigros Puella crineis.
O! quàm sidereos Puella vultus.

 Satyróque elapſa puella eſt.

Vidit Scipio: vidit & Camillus.
Et tu *beſtia curioſa*, POENE,
Viſam lumine non ſatis pudico,
Iſtam diceris ambijſſe Sponſam.

Si licet, & fas eſt ab origine ducere gentem,
Nobilius nomen nulla Puella tulit.
ROMVLVS huic genitor: Nutrix anus ACCA, CAMILLVS
Defenſor, Tutor publicus ANCVS erat.
Cùm duo Scipiadæ fremerent, iam digna marito
Creuerat, à multis ſollicitata procis.
Roma fuge: an nigro vis candida nubere Mauro?
Annibal ante fores. candida Roma fuge.

SCAZON XVII.

ROMAE vetuſtum Stemma tot probant Ceræ.
VT PASTOR illi natus Ilia Matre,
Ramis virentes expediuerit cunas.
Fauit Puellæ blanda mater Æneæ,
Rapta [illegible] lactenti;
Volſci ſubacti ſeruiere creſcenti.
Demum apta *duci*, flammeóque velari,
VAH! pæne ab Afro fugit hoſte *compreſſa*.

XVIII.

Et ad extremum etiam ipſi peribunt.

Numer. 24.

Sed Africanas Nuptias
Spreuit, Ducémque *luſcum*:
Nulli *Proco* tractabilis,
Qui non LATINVS eſſet.
Bellona peltis incubans,
Exerta VIRGO mammas,
INGVRGITAVIT OMNIVM
SE GENTIVM RAPINIS.

18.

Aber sie hat den Pœn veracht /
Großmütig sich erzaiget.
Nach einem andern Heurath tracht /
d'Welt gegen ihr sich naiget.
Vnd wie soll ein Amazon seyn /
Hat offt mit Feinden gstritten.
Beym guten Muth / vnd Menschen Blut /
Niemalen durst gelitten.

Paan.

Tura date: incestos euasit Hamilcaris ignes,
Nec satus hoc, tantâ Virgine dignus erat.
Barbarus accipiat Romanam, Afrumne Latina?
Integra corruptum? *cæcum oculata* Iubam?
Infremuit, stantésque comas erexit in altum,
Qualiter in Geticâ Penthesilea niue.
Insonuere tubæ, motóque ad classica Iano,
Sanguineos amnes ebria Roma bibit.

At non filia Romuli petulco
Mauro succubuit; soluta ceston.
MVLTOS ILLA QVIDEM DEDIT COACTA,
DOTALEM TAMEN ANNVLVM NEGAVIT.
Nam quo tempore sæuiebat armis;
Ambustæ veluti Camilla mammæ,
Implacabilis arsit, atque Signis
Inscripsit duo verba: PRAEDA MVNDVS.

Roma offensa metu, Libyci *Riualis* amores
Odit: ego nubam rapta, habeámque Virum.
Qui terret, qui cogit? *amor non audit habenas*,
Non tolerat dominum. Vertere Maure retrò.
Sic ait, infestísque (ita Iuppiter annuit) armis
Lenonem insequitur. Vertere Maure retrò.
Inde leæna ferox, & maior Amazone visa,
Impleuit spolijs Martis vtramque manum.

SCAZON XVIII.

Olli libidinoſus Hannibal viſus
Eſt execrandus; improbóſque complexus
Proci refugit verſipellis ad portam.
Quin imò proritata fraude laſciuâ,
Nigros capillos vngue caſtâ turbauit;
Iræque ſpirans nobilíſque vindictæ,
Qualeis in armis virgines lauat Strymon,
Peruaſit Orbem bellicoſa Prædatrix.

XIX.

Et ad extremum etiam ipſi peribunt.
Num. 24.

Tunc BRVTVS à Cubiculis,
A Clauibus CATONES,
Prolem regebant Iliæ,
FASCEISQVE *colligebant*,
MARCVS rogatus liberè
Reſpondit in Senatu;
Cùm liber in ſententiam
Pedes Togatus iret.

19.

Diß alles zur zeit BRVTI gſchach/
CATONIS ſeines gleichen;
Die thäten Rom in diſer ſach/
Ein ſtarcke Handt darzeichen.
Vil gult der Rath/ vil der Senat/
Vil jeder Stand vnd Orden.
Was Hertz eingſagt/ iſt vnuerzagt
Gredt vnd vollzogen worden.

Salue BRVTE, Pater Patriæ fortiſſime; ſalue
Fortunæ Domitor inuidiæque CATO.

Primo

Primo laurigeræ debetur origo *securis*,
  Quósque gerit *fasces* Lictor & arma manu.
Tempore quo totam compleuit TVLLIVS Vrbem,
  Et clamosa Reis intremuere fora:
Quàm bene tunc Patriam TOGA Consulis *vna* tegebat:
  VNA, sed *innumeris* anteferenda *Sagis*.

Fama est, *impenetrabilem* Catonem,
Et Bruti celeres in arma motus;
Fessis auxilio fuisse rebus.
Hic Fasces reperit, ligauit: ille
I lictor; pedicásque necte, dixit;
I, obnube caput: feri Securi.
Tunc Patres Patriæ secuta Plebes,
Sensit cum Cicerone, cum Senatu.

Tunc Cato, tunc Brutus, rerum legúmque periti,
  Finibus Imperium continuere suis.
Regibus expulsis, virgas fascésque salignos
  Ante noui lictor Consulis ora tulit.
Libertas facilem rexit facunda Senatum.
  Iam Cicero *Dixit*: iam *retulere* Patres.
Vt sua cuique stetit sententia, sic *referebant*,
  Sic Plebes *sciuit*, sic *equitauit* Eques.

SCAZON XIX.

Politeia.

Olli CATONIS innocentis, & BRVTI
Virtus seuera profuit. regebatur
Vrbs vniuersa consularibus curis.
Pulso SVPERBO, fama stabat in tuto
Ciues in omneis. quod Senator edixit,
Astræa mentis in bilance librabat.
VVLTIS IVBETIS, tunc placebat anquiri.
VOLVMVS IVBEMVS, plebs rogata respondit.

XX.

Et ad extremum etiam ipsi peribunt.

Numer. 24.

A morte patris Romuli,
Et nutrientis Accæ;
PVPILLA ROMA SERVIIT
SVIS COACTA SERVIS.
Quiuis in Vrbe *Vitricus*
Certabat esse Romæ:
Fas & *Nefas* defendere
Stricto paratus ense.

20.

Nach Romuli jhrs Vatters Todt/
Vnd Accæ dieß ernehret/
War sie verlassen/ vnd zum Spott
Selbst von jhr selbst zerstöret.
Da der sein wolt/ was er nit solt/
Müßt Rom darzwischen hangen:
Vnd da Vnbill/ gwalt bschützen will/
Ist Rom den Berg abgangen.

Sed iam paulatim video decliuia. Natæ
Mors tua quàm nocuit, Romule Diue, tuæ!
Vix sacra claudebas supremo lumina somno:
Cùm fuit à Seruis Roma subacta suis.
Fluxit in Ancillæ mores; & turpe lupanar,
Et *Catilinarum stupra* probrúmque tulit.
Quid faceret? sonuere tubæ. IVS STABAT IN ARMIS.
Robore quísque potens, crimine tutus erat.

Postquam funeris à toto paterni,
Sexcentesima se metebat æstas,
Vrbi pabula conditæ datura:
Eheu! ROMA labare cœpit. Eheu!

Et

Et ſeruus Dominam ſuperbus oſtro
Orbam temnere, quæ regebat ORBEM.
Virtus ſub pedibus iacebat ima;
Crimen nobile ſedit in Curuli.
Hactenus optato *Zephyro*. poſt fata Parentis
Cœpit ab aduerſo turbine Roma quati.
Fraudibus *effulti* qui ſurrexere tyranni,
Deceptam blandis implicuere dolis.
Serua fuit, cùm ſe dominari crederet. hoſtes
Suſtinuit proprios *ſtulta* vocare PATRES.
Qui FAS omne manu gladium ſtringente ferebant:
Quorum vaginæ *ſcrinia Iuris* erant.

SCAZON XX.

Proteruia.

Fregit Libido ſæua Patrias legeis;
Simúlque fractas ROMA perdidit vires;
Velut, Parente mortuo, minor natu
Circum- doloſi fraude-uenta Tutoris.
Exin tumultus, liuor, ira, contemptus,
Fœdi *Cometæ*, fœda bella ſunt orta.
IVS QVOD DABATVR, HOC AB ENSE PENDEBAT.
VAH! CVRIONIS ſica, mors fuit legum.

XXI.

Et ad extremum etiam ipſi peribunt.

Numer. 24

Sic itur in PHARSALIAM
Bubonibus ſiniſtris.
Emuntur iræ *Ciuium*
Non ſimplici talento.
Iiſdémque ſignis claſſica
Pulſantur & reſultant.
Tilis minantur æmula
Pari furore pila.

21.

Man kompt zu letzt gar in die Nacht /
 Pharsali will ich sagen.
Dort gschicht ein Burgerliche Schlacht /
 Lucanus thuts gnug klagen.
Vatter vnd Sohn / wie Feind da stohn /
 Mit auffgehebten Bogen.
In zweyen Heer / gleich Adler mehr
 Seynd gegen ander gflogen.

Sacrilegium.

Vsque ad fatales rabies effusa *Philippos*
 Traxit: in Æmathijs hęc scelus hæsit agris.
Pila dicata Ioui, læsis rapiuntur ab Aris;
 Martia conflatus transit in arma ligo.
Cerno pares Aquilas, & vtraque ex parte sagatos,
 Si credam lituis, hinc procul hostis abest.
Ciuis it in ciuem, fratrem cognatus, in ipsum
 Quem genuit, Genitor procidit. *O Pietas!*

Mox totis tonuere bella castris.
Discordésque *Togas*, ab ense *scissas*,
Ciuilis cruor imbuit rubore.
(Signabat color iste CANDIDATOS.)
Hem! clangunt aquilæ pares, ad arma;
Aduersúsque secat volatus auras!
Pila in pila cadunt. vtrinque clamat
Hostis: IVPPITER, Ô TVERE ROMAM.

Vos rubræ Rubiconis aquæ, téque *Alea iacta*
 Alloquor, & tanti conscia terra mali:
Quanti constiterint *plùs quàm ciuilia* bella.
 Dicite: quo pretio *vendidit Hasta* neces?
Terrarum cælíque pudor! quæ prælia! Natum
 Collocat Ense pater, filius Ense patrem.
Fraternas acies monstrat Pharsalia Thebis,
 Oedipus in Latio cum Polynice fuit.

SCA-

SCAZON XXI.

Crescit Megæra; creuit & furor belli.
Nam quà Philippi Thessali, malo Fato
Signante, vastos porriguntur in campos;
Eiecta se se Roma, vidit extremum
Nefas suorum, peila Ciuium vidit
Tingenda cæde mutua coruscare:
Ferríque Natos impotenter in Patres.
O Roma, Roma! iam perire cœpisti.

XXII.

Et ad extremum etiam ipsi peribunt.

Num. 24.

Gener Socérque prouocant,
 Hinc MAGNVS, inde CAESAR,
Concurritur pro Crimine;
 QVI PEIOR EST, TRIVMPHAT.
Dum *Punctum Honoris* vnicum
 Secántque diuidúntque;
Stagnant cruenti Thessala
 Latè per arua riui.

22.

Man laufft zusam. Cæsar bereit/
 Pompeius vnbesunnen.
Glück vnd Vnglück zerthailt den Streit/
 Der ärger ist/ hats gwunnen.
O Ehr! O Land! O Geitz! O Neyd!
 O wie vil Blut ist gflossen!
Billich solt man/ all beed Tyrann
 Die Nasen darauff stossen.

Siccine concurrunt? hinc Magnus, Iulius inde?
 Hinc Gener, inde Socer; hinc tigris, inde leo?

Quò *Pueri*, quorſum? ſcelus eſt, quod morte paratis.
Triſte nimis vinci, vincere turpe nimis.
Ambitio vexilla mouet. Discordia cædes
Stipat, & in tabo nat truculentus Honor.
Vmbra honor eſt, veréque *nimis proiecta*: ſed, ô quot
Hæc *vmbras* Orco fertilis Vmbra dedit.

Hinc Caesar capit arma, Magnvs inde:
Hinc *Caluus* furit, & *Comatus* inde.
Quod pellit *Socer*, hoc *Gener* repellit.
O! Victoria flebilis vel ipsi
Victori, nimivmqve flenda Victo.
Fit cædes ab Honore (tunc creato
Vrbis Consvle.) ſanguis implet arua.
Hos eſt, Roma, *tibi ſecare venam.*

Iámque adſunt, Cæſar, Pompeianíque triumphi,
Iudice viſuri *iuſtius* enſe *nefas.*
Nec mora; per medium torquetur lancea cœlum.
Hasta igitur fixa eſt: *Iudicium dabitur.*
Quale? quod horreſcant Thraces, ſecat agmina ferrum,
Vtque armenta ſolo funera trunca iacent.
Campi conſulibus pleni, foſſǽque ſenatu,
Abſoluunt *Libram*, Brenne ſuperbe, tuam.

Scazon XII.

Claſſicum.

Neſcit *priorem* ferre Caesar: *æqualem*
Magnus recuſat deſpicítque Pompeivs.
Ad arma, ad arma, ad arma, ad arma clamatur.
Pugnatur. alta, ceu pilæ, volant pila.
Caliginoſo Mars furore laſciuit.
Semel nocentem, bis nocens trivmphavit.
Latè refuſus ſanguinis ruit torrens.
O Roma, Roma! quo colore mutaris!

XXIII.

Et ad extremum etiam ipſi peribunt.
Numer. 24.

At ROMA languet interim
Venalis, ægra, feſſa.
Turbata mente linquitur;
Labant ſoluta genũa.
Luctam ſupremam nunçiant
Vicina ſigna mortis.
Singultiunt arteriæ,
Formicat icta vena.

23.

Wie diſes Mordgſchrey angelanget/
Vnd allenthalb erſchallen;
Iſt Rom krafftloß/ vnd ſehr betrangt/
Vor Schmertz in Ohnmacht gfallen.
Legt ſich zu Ruhe/ deckt dWolffshaut zu:
Will allerdings verzagen.
Die Farb vergieng/ die Wangen hieng/
Kein ader wolt recht ſchlagen.

Rumor hic afflictas ROMAE ſimul impulit aures,
(Omnia miſceri; ſacra, profana rapi:)
In lachrymas iuit ſimul & ſuſpiria, totis
Turribus, & mœſto *funditus* ore tremens.
Spargit in incertum abſiſtens veſtigia gyrum:
Ante nigram Lacheſis ventilat ora Colum.
Flebilè lingua gemit, dens formidabilè ſtridet,
Lugubrè vena micat, ſi tamen vlla micat.

Fatales vbi triſtium tubarum
Accepit ſonitus, & eiulatum;
Afflatæ niuis inſtar & pruinæ,
Subſedit medio ſoluta campo.

Tune

Tunc vultum malus occupare liuor?
Tunc ruptis tunicis perire ocelli:
Tunc artus gelido quati tremore:
Tunc *pulsu fatuo* salire vena.

Fortè iacebat humi Tarpeio affusa Tonanti,
Præsaga exitij squallida Roma sui:
Cùm trepidam inuasit belli Pharsalicus horror,
Qualem, quem subiti perculit ira Iouis.
Cur tremo, dixit, & his medijs in vocibus hæsit,
Auditæ stragis conglaciata metu,
Sanguis hebet: paleæ ante oculos atomíque vagantur,
Oestro funereo percita Vena tremit.

SCAZON XXIII.

Vocate Ciues Æsculapium. *Ciues*,
Ciues adeste. ROMA VESTRA ferali
Pauore consternata cladis acceptæ,
Pallétque, soluitúrque frigidos artus.
Adeste Ciues. Vultus ecce collapsus:
Cor systole diastoléque confundunt;
Venæque nullo stant tenore ramosæ.
Ah ægra Roma! quid canit tibi bubo?

XXIV.

Et ad extremum etiam ipsi peribunt. Numer. 24.

Ad vltimum *ter sternuit*
Sudore profluente;
Et voce mixtâ fletibus,
AVGVSTE NOSTER, inquit;
Vale, vale dulcissime.
Tibi resigno MVNDVM.
Mox bellicosos exspuit
Maneis fremens sub Orcum.

24. Det

24.

Der kalte Todtschwaiß laufft von jhr/
Nießt dreymal in die tieffen.
Nach August steht all jhr Begir/
Denselben thut sie rüeffen.
Macht vor dem Endt jhr Testament:
Auguste, nach meim Leben
Erb mich/ vnd bett. Hats kaum außgredt/
Vnd stracks den Geist auffgeben.

Agon.

Ter collapsa toro est, *térque* à CICERONE leuata.
Ter gelidùm sudans sternuit, & tacuit.
Mox iterum erigitur, mediáque in morte profatur;
AVGVSTVM NOBIS SISTITE. Dixit. adest.
ILLA: Deo Iuuenis nimiùm dilecte, migramus;
Esto heres Romæ, maxime Cæsar, ait.
Sic effata truces oculos ad Tartara torsit,
Frigidáque exanimi corpore procubuit.

Fatis cedite. Cessit ipsa ROMA.
Sanctè: sternuit. Et ter; *ominosè.*
AVGVSTVM priùs allocuta, CORAM
SEPTEM TESTIBVS, ET NOTANTE MARCO,
SE TOTO DEDIT ASSE DIVIDVNDAM;
Adiecto quoque iure CODICILLI,
Quo præsaga *Triumuiris* cauebat;
Toruùm immugijt, occidítque noctu.

Frontem inuoluerunt feralia nubila, mortis
Indicium pulsæ personuere fores.
Viuit adhuc tamen ægra, iubétque ad limina duci
AVGVSTVM, & cubito nixa, leuata toro,
Macte, ait, ô Italis magnum decus addite terris,
Imperij post me frena regenda cape.
Dixit, & in cœlum descendit ad infera regna,
Semper *Iulæis* Manibus Vmbra grauis.

SCA-

SCAZON XXIV.

Testamentum.

Sternutat. Eheu! TVLLIVS, *Salus*, dixit.
Sed frustra, apertis iam poris venenatæ
Maculæque liuent, itque letifer sudor.
Suprema vox hæc: *Diue noster*, AVGVSTE,
Ex asse factus, institutus, & scriptus
Heres, Iouem precare, solue Legata.
Sub ista vixit, spiritúmque demisit.
VAH! tota buxus, tota ROMA nunc mors est.

XXV.

Dabo te in manus hominum insipientium & fabricantium interitum; igni eris cibus. Ezech. 21.

DEFORME IAM CADAVER EST
FORMOSÆ ROMA QVONDAM.
Quod *extulit* Tiberius
Vespillo purpuratus.
Sub parricida Claudio
Plenum parante BVSTVM,
Pars VRBIS arsit tertia,
Nouæ fauilla Troiæ.

25.

Laufft alle zu / vnd bsucht die Leich /
Werd nit vil schöns mehr finden.
Tiberius nit von jhr weicht /
Will biß ins Grab jhr zünden.
Ein anderer / ein anders plerr
Vmb dises Aaß erwecket:
Ein gantze Meil / den dritten theil
Der Statt in brandt gesteckt.

Spe-

Spectaculum.

Conclamata iacet. Viden, vt reſupina recumbat,
Inque humeros ceruix pendula fiat onus.
Funus adornatur, tectúmque TIBERIVS effert
In Capreas. HEIC EST MORTVA ROMA SITA.
Quanquam iterum in *ſeſe* iuſſu translata NERONIS,
Accipit extremi munera mœſta Rogi.
Perſonat accenſâ *Nebulo Trabeatus* in Vrbe;
Hac facies Troia, cùm caperetur, erat.

EXI ROMA TVIS HVMANDA PORTIS,
EXI, FVNVS ES ET CADAVER: EXI.
Sic tota populus fremit Suburra:
Et ſub fornice defodit *luparum*
Paſtam lacte *lupa.* Neroniana
Mox incendia proſequuntur Vmbram.
Ardent omnia. Ventilare captâ
Iurâſſes Danaos in Vrbe tædas.

Dialogiſmus.

Edite ferales planctus, accurrite Ciues:
Fætet, & in pheretro mortua Roma iacet.
Caldius infodit tumulo *Mero.* SISTE VIATÓR.
Siſto. Quid hic? VRBS EST. *Quantula?* MVNDVS ERAT.
Quiſnam oculos clauſit? DVO CAECI. *quis dedit ignem*
Funereum Populo collachrymante? NERO.
Cupreſſum accendit? TAXVM. *Rogus vnicus arſit?*
VNICVS, ET PRIAMI QVALIS IN VRBE FVIT.

SCAZON XXV.

Rogus.

Ades Diaule nominate Pollinctor:
Effer cadauer Vrbis, effer, incende.
Sed nempe te Tiberius *ſenex Vulpes*
Præuenit, extulítque FVNVS IMMENSVM.
At ſumtuoſi defuit Rogi flamma
Et luculenti? ſcilicet. Nero Matri
Immane buſtuarius dedit buſtum.
VAH Roma! nunc es illa TROIA, quam iactas.

XXVI.

XXVI.

Haccine Vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ. Thren. 2.

Quæ? qualis? ô! quàm viluit
Mutata nunc ab *Illa*,
Quæ viribus Numantiam
Volſcóſque ſubiugauit:
Carthaginis *proboſcides*
Stridentis amputauit:
Rhenique & Iſtri *cornua*
Deiecit inter algam!

26.

Stainaltes Rom / wie wunderſam
Biſt gwichen von der Jungen?
Wer hat auß euch Numantiam
So gwaltigklich bezwungen?
Vnd die erwachſt auff Och[illegible]
Carthaginem zerſchlaiffet?
Der Teutſchen Paß / vnd vber das
Die Waſſerſtróm durchſtraiffet.

Ah! quàm non illa eſt, quàm non eſt illa Gradiui
Neptis, pinniferis inclyta Virgo comis!
Hæccine Caudinas ſub Furcas agmina miſit
Volſca? Numantinos terruit iſta Lares?
Hæccine ſubuertit Tyriæ Carthaginis Arces?
Iſta Iubæ vincto ferrea iura dedit?
Hæccine Danubij ſulcauit remige dorſum?
Percuſſit Rheni cæſtibus iſta caput!

Hoc ritu tumulata. Nunc ab illa
Poſſis quærere: ROMA QVID FVISTI?
Tu vaſtare Numantiam, fugámque
Parthi ſiſtere? ROMA QVID FVISTI?

Tu Carthaginis inſulas & arces
Fundo vertere? ROMA QVID FVISTI?
Tu Germanica terga liberorum
Virgis cædere? ROMA QVID FVISTI?

Metamorphoſis.

Faſcinor, & frontem magici vinxere corymbi?
An ſubitò *funus*, quæ fuit antè *Venus*?
An video Romam, quæ ſub iuga *bobus* adempta
Egit Samnites, edomuſtque Tagum:
Getulo metuenda Duci, Carthaginis horror,
Prædatrix Siculi, claſſe timenda maris!
Quæ *quercus*, Alemanne, tuas formidine mouit,
Ex illis Latium ſculpere docta Iouem!

SCAZON XXVI.

An iſta ROMA? funus iſtud eſt ROMA?
Hic ROMA truncus? hoc cadauer eſt ROMA!
Quis me per? ô viciſſitudo Regnorum!
Ergo iſta Volſcos vicit, & Numantinos
Canes abegit SCIPIONE latranteis!
Hæc tauriformis abſtulit caput Byrſæ!
Quis me? fugauit iſta Larua Germanos?
VAH! *qui per altum me ferat?* VALE ROMA.

XXVII.

Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius. In Thren. 1.

Cunctis tremendæ Gentibus
Emarcuere vires.
Luxus *Nepotum* pignora
Materna diſſipauit;
MVNDIQVE PATRIMONIVM
EVOLVIT VNVS HERES.

Quod

Quod *hic* reliquit, barbarus
Absumsit ALLARICVS.

27.

Die Krafft ist gschwächt / darob vor zeit
Gantz Africa erbidmet.
Nero verzehrt die beste Beut /
Als wann er wär drauff gwidmet.
Der Welt Erbgut verdumlen thut;
Vnd was zu Rom für Hönig /
Hat ein Hurnauß gefressen auß /
Der Wisigotthen König.

Aduerto, nec vana fides. *apoplecticus* illam
Corripuit fastu deficiente *stupor.*
Diues opum, diues pictaï vestis, & auri
Aulaïque (sed hoc, quisquis es, adde) FVIT.
Exhausit Tyberim Gangémque Tricongius auri,
Sanguinis humani turpis *hirudo* Nero.
Aut si quæ misero de funere membra reliquit,
Harpyis Geticis vix pepulere famem.

Nimirum superante morte vires,
In fædam speciosa fluxit vmbram,
Summam pauperiem. Cruentus Heres,
Immanis patrimonij Charybdis,
Præter *peila vetusta,* sarculúmque
Serrani, Curiíque, nil reliquit.
AH! ET FVNEBRE LINTEVM, SEPVLCRO
EFFOSSO, PROCVL ABSTVLERE GOTTHI.

Porsena quas stupuit vires, iam nulla Sabina,
Nedum Nebrophone, vel Cleopatra timet.
Iactet diuitias, quas absumsére nepotes;
Quísque Auiæ faciem conuomuere suæ.
DEPOSITVM MVNDI, census, æraria, fiscum
Vertit Ciuilis depopulata fames.

Reli-

Relliquias, Alarice, tibi seruauit egestas;
Plaustráque prædarum sub Stilicone dedit.

SCAZON XXVII.

O vastitate febribúsque corruptam,
O destitutam viribus suis Romam!
Cui nec Sibylla tristis vlla prædixit
Annis malorum copiam securutis.
Summo labore parta, degener Gnatus
Inter Luparum fæda transtra consumsit.
Analecta carpsit Allaricus Hunnorum.
VAH! Cæsar Vrbis, visus Hunnus est Romæ.

XXVIII.

Vbi est Domus Principis? & vbi tabernacula impiorum? Iob 21.

Eheu! *Quirites* posteri
Stipem petunt honoris.
Tuæ *Vetustas* gloriæ,
Traiane, rupit ARCVM.
Sublime SEPTIZONIVM
Mitissimi Seueri,
Luculliana Pegmata,
MOLES Titi *steterunt*.

28.

Also daß ich nit sich / wie vil
Sich Römer proglen mögen:
Weil jhnen gsteckt ein kurtzes Zil /
Auch deß Traiani Bögen:
Auch dem Gebäw / das hoch von new
Auffgführt mit siben Gaden.
Luculli Rast / Titi Pallast /
Ist auß mit dem genaden.

Quis

Quis desolatæ faciem miserabitur Vrbis!
  In qua de veteri restat honore *Nihil*.
Tempus edax fregit Traiani Cæsaris ARCVM,
  Non aliter, quàm quem tendere, Parthe, soles.
Tortilibus spiris *Moles laqueata* SEVERI,
  Fluxit in exiguum, fulmine tacta, globum.
Luculli vocale nemus subsedit, & Aula,
  Quàm tuus exstruxit, Vespasiane, Titus.

Ad *lessum* propero. NIGRAE PVELLAE,
VESTRAE PLANGITE MATRIS AD SEPVLCRVM,
Traiani cecidit solutus Arcus.
(EHEV! PLANGITE) nec Seucriani
Mansit integra Turris Heptacycli.
Dudum mole suâ Titus, suáque
Lucullus premitur. NIGRAE PVELLAE,
VESTRAE PLANGITE MATRIS AD SEPVLCRVM.

O! Domus Assaraci, & rerum translata potestas!
  O! facies Vrbis mœsta, QVIRINE, tuæ.
Decidit ipse suo Cæsar Traianus ab Arcu:
  Per quem nunc alium lauriger ibit Eques?
Iam septem *Zonas*, CASTAM quibus ante SEVERVS
  Vinxit, Romani prædo *pudoris* habet.
At non marmoreo recubat Lucullus in horto,
  Deplorántque Titum mœsta theatra suum.

SCAZON XXVIII.

Sed & *super te* (VAH!) *caput mouent* gentes,
Femoríque suram (sic stupent) *super ponunt*.
Mutísque dicunt; Arcus ecce Traiani,
Zonísque septem surrigens forum Cochlis!
Regalis ecce picta sponda Luculli,
Celsúmque pegma Molis Adrianææ!
Amarulentùm sibilant Viatores:
VAH! prisca ROMA, nulla nulla iam Roma est.

XXIX.

Et percutiam Domum hyemalem cum Domo æstiua, & peribunt Domus eburneæ.

Amos 3.

Stillare cessánt balsama
Mensæ Neronianæ;
Fædà scatent vligine
Thermæ Neronianæ.
Antonianis balneis
Nunc anseres lauantur.
TYBVR Vopisci floridum
Tondetur à capellis.

29.

Kein Tisch kan ich erfinden mehr/
Der Balsam thäte schwitzen.
Schwaißbäder seynd verseucht vnd läet/
Wie vbel stinckendt Pfitzen.
Gäns baden drin/ daß dKayser jhn
Niemalen eingebildet.
Vopisci Lust/ wies wol bewust/
Tybur, ist gantz verwildet.

Fabula sunt citreæ südantes balsama Mensæ,
Nec Syrias halat mappa relicta rosas.
Fabula, trudentes argentea flumina thermæ;
Nulla per auratum fluxerat vnda tubum.
Fabula, Nymphæum Veneris regale lauandæ;
Mœotis nequeat fædior esse palus.
Fabula, Pierij Tybur glaciale Vopisci:
Semper, vt apparet, rustica villa fuit.

Iam nil de Cilicum liquore nudum
Prandentis fluit in caput Neronis.
ERGO PLANGITE. Nec *lauantis* vnctum
Fragrat malobathro nitente corpus.

Cur non plangitis? ille delicatus
Thermarum tepor alget. illa Villa
Tyburtina ruit. Nigrae Puellae,
Vestrae plangite Matris ad Sepulcrum.

Quæ domus in tota latè fragrauerat Vrbe,
In qua cœnabat *plena Nerone* fames:
Effultósque meris fontes & stagna smaragdis,
Quæ biberat loto *plena Nerone* sitis:
Quásque infudit aquas riguis Antonius hortis,
Omnia iam *sicco* transeat *ore* Canis.
Nec Tybur platanos, nec habet sua frigora Pastor,
Dicere nec possit, *Tityre tu patula*.

Scazon XXIX.

Vbi siderati nunc Neronis ex auro
Tornata mensa, digna Sole conuiuâ,
Et delibutis rore Medico Stellis?
Exaruerunt limpidissimæ Thermæ
Antonianæ, cum lauantibus Nymphis,
Et æstuantis Tybur vmbra Dianæ,
Phœbi flagrante verberatur à curru.
Vah! prisca Roma, nulla nulla iam Roma.

XXX.

Transierunt omnia illa tanquam vmbra.
Sapient. 5.

Orchestra, Ludi, Munera,
Fontes, arena, Circi,
Et *Editores* munerum,
Aurísque *sparsiones*:
Tragœdiæ, Comœdiæ,
Socci Terentiani,
Spectator, Actor, (*Plaudite*)
Vna iacent Ruina.

30.

Schatzkämmer/ Zoll/ Tribut/ vnd Rendt/
Das Gold mit Säck außgmessen/
Vnd waiß nit was für plodermentt/
Schawspil/ Schawplätz/ Schawessen/
Comædi Freud/ Tragædi Leyd/
Ballhauß mit sampt den Ballen/
In/ Reich vnd Arm/ daß Gott erbarm/
Ist alles zhauffen gfallen.

SVMMA. nihil superat. Perierunt omnia Romæ,
Maxima, parua, popæ, victima, fana, Ioues.
Occubuit Scaurus, Circensia Munera cessant,
Euersis cuneis amphitheatra vacant.
Deletus *populus Statuarum*, ancilia Martis
Fracta, togæ ruptæ, dilacerata saga.
QVAE SEPTEM TVMVLOS IACTANTIOR EXTVLIT OLIM,
SVB SEPTEM TVMVLIS VRBS TVMVLATA IACET.

Nania.

Nunc concurrite lachrymæ Sororum,
Vestræque exequias parate Matri:
Namque vnum in tumulum feruntur vnà
Formosa omnia, quæ fuere Romæ.
Saltem funebre dedicate Carmen.

HEIC EST
CONDITA ROMA
TOTA QVANTA.
QVAM CVM
TVLLIOLA TERENTIAQVE
LVGENT
I T A L I Æ
NIGRAE PVELLAE.

Longam odi pompam. Quin totum *elimino* funus
Et simul & semel est mortua Roma Vetus.
Lictores, Consul, Fasces, Dictator, Arator,
Curia, Vesta, Focus, Ludus, Arena, Forum,

Patritij, Ædiles, Equites, Asinaria Plauti,
Nullo, quod stupeas, ordine mistâ iacent;
Roma Antiqua *vale*, lacte enutrita lupino,
Salue sparsa Agni sanguine Roma nova.

Scazon XXX.

Chaos.

Vides *cauernam*? quò, tonante sub cœlo,
Lapsu repentè cuncta iacta sunt vno:
Quæcunque bifrons extulit domo Ianus;
Corona lata, flaua, querna, naualis,
Muralis; æs, HS; theatrales
Stichi Getæque, Rosciique Comœdi;
Vestale Sacrum, buccinæque Florales:
Vah! prisca Roma, nulla nulla iam Roma.

SCENA.

Scazon, Poëta.

Hac me sub vmbra fessus atque lassatus prosterno. Poe. *Scazon surge. Surge, non audis marcore segnis loripes? adhuc grandis via restat. Illa quippe meta, si nescis, tangenda, quam centesimus lapis signat. Elephante surge.* Sca. *Dum tuos bibo fontes, Comitiisque publicis vocor Versus; maiore nunquam me sciui fatigatum, aut fortiore dimicâsse conflictu. Languent lacerti: pes tremit: stupent nerui.* Poe. *Vt hiscit instar Appula canis, rictu fumante, linguâ turpis oris exertâ! ut oscitatur! ecce qualis Entellus! saperda vane, qualis Hercules, quantúsque assurgis? hac promissa? sic fidem seruas?* Sca. *Fortes vt ista Ludia, viriléique, immane quassis dant negotium peltis! Despero palmam ferre. Flent, gemunt, rident simulare docta, blandiuntur & damnant: laudant & vrunt, ingerúntque sarcasmos.* Poe. *I nunc super-*

superbe, téque feminis præfer, quas ante spernens sibilánsque disflabas pulmone toto. Iámne Amazonum castra expertus horres, & sagatus agnoscis vires togatæ militis? stola cedit tua metallum stantis ære loricæ: peplo galerus Mercuri, mitra crista. At non & illæ conqueruntur, aut pugná, confecta donec finiatur, excedent. Sic est: tremendis & ferocibus verbis omneis repletis curias, forum, siluas, Helicona totum; Marte sério nulli. Cognata Metra turgidi Pharisæi, quòd more vestro claudicare contemnant, arcetis ore tetrico, graui passu, sufflante naso, personantibus rhonchis. Elegia mollis est, Adonij nani, Horatianum grande, Sapphicum vile. Phaleuciorum grex pipit, tonant turma Heroicorum, ganniunt Iamborum. Sed vos natatis poma flaua Scazontes, intérque Versus vultis esse Prætores, & Consulari dignitate fulgere. Vobis volumen tibiæ placet curuæ, plantam biformem calceante Spondæo. At nominatum cùm venitur in campum, ventres soluti palpitatis ad ferrum. Vt vos Iambi perduint! SCA. *Minas Vates strictas reconde. Surgo præliaturus.* POE. *Cratera, Scazon, quem furoris impleui peculiaris, fluminis sacri plenum (stimulabit iras) sume (suggeret vires) vnóque tractu nil moratus exhauri.*

XXXI.

Cuncta subiacent Vanitati.
Eccles. 3.

Qui discutit SCIENTIAS,
 Haud mitiora cernet.
Quin imò, quando videris
 Immitiora, FLEBIT.
Quas subtrahendas improbis
 Credebat esse Parcis;
Solo recisas stirpitus
 Dolebit occidisse.

31.

Wie dises fallt / so fallen auch
Die siben freye Künsten.
Man hasts / ist schon ein alter brauch /
Sie gelten schier am münsten.
Die voller Witz / vnd voller Spitz
Vnsterblich sich geachtet /
Eben dieselb / seynd grün vnd gelb
In ihrer Kunst verschmachtet.

Scilicet à Fatis Vrbes & sola prementur
Saxa! SACRAS ARTES non minùs illa premunt.
Si potes has sicco collapsas cernere vultu,
Durior es scopulis ilicibúsque silex.
Quæ fatuis vitæ fallacia stamina torquet,
Hæc quoque non fatuos ludificatur *Anus*.
Sæpe quidem SAPIENS, *Colus* est ex marmore nostra
Dixerat; & tantùm vilis *arundo* fuit.

Dulces Aonides, & expeditæ
In certamina mille laudis ARTES:
Quis tam barbarus improbúsque vinctis
Post tergum manibus, solo salóque
Proscriptas, medio fugauit Orbe?
Mores! tempora! fastus & cachinnus
Cogunt NVMINA MENTIVM, pudendam
Immortalia nunc subire mortem.

Ludibrium.

Quid mihi cũ Roma? lachrymas quod prouocat hoc est;
Tristis in exsilium Musa nouena migrat.
Flent homines, piperis thecam si corripit ignis;
Rident, si tantùm Bibliotheca flagrat.
Qui pallere cupis, qui contabescere morbo,
Qui vulgo fieri fabula longa, *stude*.
Nec tam sarcasmus, quàm *Mors indocta* timenda:
Non priùs hæc *Asinos*, quàm mala sternit *Equos*.

Scazon XXXI.

Indigner? ânne rideam? ânne deplorem?
Et Liberales in luto iacent Artes:
Ipſæque Muſæ, Virgines verecundæ,
Poſt non ferenda probra, vímque Stultorum,
Raptámque primæ Caſtimoniæ zonam,
Ad ſtupra collo protrahuntur obtorto.
Lauro ſepultæ verminant ſub ambuſtâ,
Vah! ipſa Pallas fit Meduſa, fit ſerpens.

XXXII.

Verumtamen in imagine pertranſit homo. Pſal. 38.

Num reſtat vna linea
De *lineis* Apellis?
Num vel manus, vel pes tuâ
Lyſippe ſculptus arte?
Num de Myrone bucula
Veris amata tauris?
Num delicati Mentoris
Cælata Cypris auro?

32.

Apellis Stuck / vnd was zu letzt
Rom hat gſehn an der Tyber /
Vnd was Lyſippus hat gemetzt /
Iſt nit ein ſchnipff mehr vber.
Myronis Khu / vnd er darzu
Seynd bey einander gſtorben.
Das Venus Gſicht / wieß Mentor gricht
Auß Gold / iſt auch verdorben.

Pellæum Regem quoties depinxit Apelles!
Cui ſoli libuit pingere, quod licuit.

Et quoties illum Lysippus marmore finxit!
Cui soli licuit fingere, quod libuit.
Quale hoc æris opus? quod taurus amauerat instar
Vxoris: potuit cui *socer* esse Myro.
Mentoris in Caelo, quàm *Cælo* pulcrior arsit
Cypris, & hæc vbi nunc omnia? sub tumulo.

Emblema.

Iam scit mortvvs artifex Apelles,
Qvae sit Linea svmma linearvm.
Lysippi statuæ iacent sub ipso;
Et bos ærea Dædali Myronis
Multis viuere visa, rupta vixit.
Et captura suo decore Martem,
Aphrodisia Mentoris marina,
Toto dissiluit polita *dente*.

Ex tot Apellæa radiatis vultibus arte
Quis nasus superest? pars quota *Bucephali*?
Multa manu simulacra Deûm Lysippe venusta
Finxisti (nec ego plurima ficta negem)
Dic, quibus in terris tua nunc, quibus errat in agris,
Quémue bouem incendit Vacca, *bubulce Myro*!
Dic Mentor Veneris Pater ingeniosus eburnæ,
Quam tua nunc *Idam* Filia pulcra subit?

Scazon XXXII.

De penicillo quot pilos Apellæo
Restare credis, simiásue certantes
Pictis tabellis prouocare Naturam?
Epimethis alter multa saxa Lysippvs
Ex Arte *Pyrrha*, ceu *Maritus vxore*
Homines creauit. Sed fuêre mortales.
I nunc, Myronis æream bouem *mulge*.
Ebur *precare* Mentoris sepultum. Vah!

XXXIII.

Defecit ſufflatorium. In igne conſumtum eſt plumbum. Fruſtra conflauit Conflator.
Ierem. 6.

Quis auctor ille Phidias
  OLYMPICI TONANTIS?
In ære doctus integros
  Exercitus *mouere.*
Tubam putaſſes clangere,
  Vellíque ſigna caſtris!
Quî monſtra credunt omnia;
  Credant & hæc Apellæ.

33.

Du lobſt mir vil den Phidiam,
  Vnd thuſt mir jhn hoch preyſen/
Wie er ſey gweſt ein Florian/
  Vnd ſonders in Glockſpeiſen:
Hab Roß vnd Mann gſetzt auff den Plan/
  Mit Trommel vnd mit Pfeiffen:
Diß ſagt man wol/ ders glauben ſoll/
  Möchts lieber ſehn vnd greiffen.

Inter mira Deûm, pleno crepat ore Vetuſtas
  Phidiacáſque manus, Phidiacúmque IOVEM.
Horreſco referens; pleno *Manus vnica* campo,
  Agmina conſertis duxit ahena viris.
Maſſa informatis pugnabat dura lacertis:
  Mandebat ſonipes id, quod erat *ſonipes.*
Denique quid? credam? ſed non Iudæa Rebecca
  Me peperit. Vos, vos credite Beniamidæ.

Sanna.

Narrant de PHIDIAQVE *Phidiáque*
(Iſti namque BREVEM volunt fuiſſe,

Hi *longum)* memorabili furore
Informeis animâsse Marte glebas.
Cadmæas acies dedisse in ære
Viuas, támque truces, vt intuenti
Præ formidine surgerent capilli.
Sit iam credo volare posse *Verpos.*

Hyperbole.

Quid non de Phidia memorant? fornacibus illum
Eduxisse acies, ærea signa virûm.
Ibant per campos orichalca mouentia bellum,
Et metuenda tulit fusilis arma cohors.
Addidit *hinnitum* ferro, dedit *aure micare,*
Et *nescire loco stare,* notare tubam.
Ohe! iam satis est. Rumpunt mendacia fibras,
Incuruántque trabes, vt tabulata ruant.

SCAZON XXXIII.

Quid istud? ecquid Fama narrat armata?
Ex massa ahena Phidiam figurasse
Thebana bella, Tydeúmque, Adrastúmque,
Dirósque Fratres, cum Mimante Phlegræo.
Hinnire visus æripes equus *bruto*
Fremens *metallo*, classicúmque sentire
Graiúmque ποππύζοντα. Crede Iudæa
VAH! ventre grauido & horridū gerens *Dagesch.*

XXXIV.

Quare frustra laboraui?
Iob 9.

Quis pinxit hanc Lucretiam
Casto decore toruam?
Vt odit! vt se transigit!
Mors ista pænè viuit!

Nat-

Natra: quis hanc LVCRETIAM
Faciebat anne *Fecit?*
Quid quæris? illum nemo iam
Noscebat anne *Nouit.*

34.

Wer hat Lucretiam gemahlt
Mit so erhebten Farben?
So trutzig / keusch / so fein gestalt
Ein rechter Welscher Garben.
Sag aber der / wer ist dann der /
Der sie so wol gemahlet?
Sein Nam haist N. den ich nit kenn;
Gott waist / wer jhn bezahlet.

Icon.

Aspicis, vt castum fodiat Lucretia pectus,
Ora minax, frontem nubila, torua genas:
Formosam tamen *Ira decet.* Sic muta videtur
Velle Tabella loqui, picta Tabella mori.
Fallimur; an doctis labor hic defluxit ab astris?
An ducente manum Numine, pinxit homo?
Quis tamen ille fuit? cur se non nominat Auctor?
Quære in Sarcophago: fortè ibi Calua iacet.

En: LVCRETIA viuit in Tabella.
Lumen nictibus igneum minatur.
Verus Pugio, *verus* iste sanguis,
Veri pectoris ex PVDORE manat.
Pulcri vulneris eminet cicatrix,
Spumantíque cruore tingit Vber.
Quis *fecit?* liceat rogare? NEMO,
Seu NVLLVS, vel VTERQVE, siue NEVTER.

Hæc est TARQVINII Lucretia casta SVPERBI,
Vita pudicitiam fortiter ense suam,
Qui procul aspiciet, falletur Imaginis vsu:
Viuere iurabit, séque mouere manus.

Vibrantes oculi letali horrore renident.
Non peto, quis pinxit: Sed quis in hac tabula
Pictor eam *genuit*? fætet. De nomine tanti
Patris & Artificis linea nulla super.

SCAZON XXXIV.

Placet iſte vultus, hæc LVCRETIAE forma
Expreſſa. Quiſquis edidit, dedit viuam.
Fortaſſe quæri *vera* poſſit ad FICTAM.
Frontis voluptas cum dolore miſcetur;
SED os honeſtum, neſcias, quid accuſet.
Stridet decorum vulnus, & ſinum replet.
Nec dextra ceſſat. Per Deas! quis hanc pinxit!
VAH! glorioſus & dicaculus. *Sutor.*

SCENA.

Poëta, Scazon.

A*D illud alluſiſſe credo te, Scazon:* Ne Sutor vltra. SCA. *Quid velis, probè noui. Ad illud. Acres improbáſque cenſuras, plebs imperita pro lubentia ructat: Quod cuique pronum. Nulla merx magis vulgo venalis eſt minúſque emenda, quàm rhonchus. Vbique proſtant Zoïli.* POE. *Tamen velo latens Apelles, deprehendit inuiſi deforme roſtrum calceúmque Cerdonis; picémque frontis lubricámque gingiuam, crepida ſonantis verberauit impactu. Quaſi molares & caduca maxilla, ſtridente ſerrâ dentium, vacillârunt. Interminatus ergo reſpuit vano Pellæus ab Sutore Pictor illudi.* SCA. *O ſi Poëta clancularios Momos audiret, vncâ quaque nare perflantes. Et huic Apelli, per Lares, in arcano liceret eſſe, denſa ponè carecta. Quoties & ipſe cogeretur infeſtas ferire malas; cùm fremens Ariſtarchus, armatus ignorantia rudi ſparro, geminat caninam litteram ſuper Verſu; quem reddit*

esse peiùs. hic cothurnatus, luxatus iste, durus ille, gibbosus & luscus ille. Ineptus ille, qui censet; Molossus ille, qui proteruus allatrat. Poe. *Mansuesce Scazon.* Sca. *Cùm poëma contorquet vibrátque cirrhos: cur Poëma contorquet vibrátque cirrhos? si resoluerit: nodo volet ligari fibuláque constringi. Iam displicebit syrma, iam fluens vestis, auroque picta fimbria laborato. Iam nasus ipse. Polybosus est, latus, plùs aquo acutus, simus, olfacit Momum emunctus. Omnis forma ducitur probro. Fastidiorum tanta támque monstrosa patet voluptas.* Poe. *Tadijs putes vngi: & cùm cruentos inserit metris vngues; morbo leuari.* Sca. *Plecte suberis ictu, tam faculentum liuidúmque Suterem.* Poe. *Plorante lesso, lessus, inquit, est mollis. Ridere malim gratiosus Idémque ringetur ore, séque coget in nubes, ridente Phœbo. Sic fricatur à vetis, iráque mœsta tetricáque lasciuit, & odit omne non suum miser Fungus Atqui nec artis est, nec ingeni, plumbo grauare lancem, turbidóque Saturno implere rugas, à Catone formatas. Sed in Tabella suscitare, quod viuit: sed penicillo prouocare Naturam; hoc Sutor artis est, & ingeni Mome.* Sca. *O Mome Sutor.* Poe. *Mome Sutor.* Sca. *O Mome!*

XXXV.

Imaginem ipsorum ad nihilum rediges.
Psalm. 72.

Fallacis VVAS Zeuxidis,
Mendacium Iocosum,
Quod *passeres* deceperat
Pendentibus racemis:
Decerpsit *Auster* humidus,
Heu! sæuus esuritor.
Nimbus Tabellam perdidit,
Et alites fugauit.

35.

Die Zeuxis mit dem Pensel pflantzt
Am Maurstock edle Trauben/
Umb welche auch die Vögel dantzt
Zum Böhrlein abertlauben.
Die hat der Wind/ das Lumpengsind/
Mit Regen vberstrichen.
Der Herbst so milt/ das schöne Bild
Ist allerdings verblichen.

Est vbi, cùm scitur Zeuxis, quæratur Imago
Zeuxidis. hæc, inquis, Vitis, & Vua fuit.
Prodijt è Concha decepti Vinea Sturni,
Atque *oculis* potuit dulcis Imago *tibi*.
Audio, quod narras. Hoc non minùs: improbus Vuas
Expressam fœdo diluit imbre Notus.
Vastatus paries, & *verè pensilis* Hortus.
Damna vetustatis VITIS & VVA tulit.

Miracula.

VELO Parrhasius latente Zeuxin,
Pictâ Zeuxis aues fefellit VVA;
Vuâ purpureáque, cæruláque,
Fixa in pariete mitibus flagellis.

Quæ non tam radiata *penicillo*;
Quàm *Thyrsi* potuit stylo videri.
AH! NIMBO PERIIT VORANTE TOTA
HAEC VINDEMIA NOBILIS COLORVM!

Adynaton.

Zeuxidis Vua tuis *gemmis* præfertur Iacche,
Vua quidem tantùm picta, *merúsque Color*;
At quouis, si non caruisset *Odore, Sapore*,
Vinum Cos poterat dulcius inde premi.
Gustauit Passer: quanquam velocior Auster
Præreptâ bibulam vite fefellit Auem.
Helluo ventus erat. *Siccum* & *spectabile* Vinum
Ebibit. à pluuio putruit VVA Ioue.

SCAZON XXXV.

Antiquitatis ista prærogatiua est;
Vuas comesse, quas coloribus Zeuxis
Impleuit. is tam *musteos* suâ fecit
Manu racemos; vt volatici fures
(Quos inter est & *innocens* auis passer)
Totis diebus *pectinauerint* rostro.
(Et pectinabat sæpe sæpius passer.)
VAH! Bruma totum tabefecit Autumnum.

XXXVI.

Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi: & in hoc ergo Vanitas & cura superflua est. Eccle, 4.

Priscis sepultis *Iunior*
Florere cœpit *Ætas*.
Durerus absque circino
Qui CIRCVLVM *creauit*.

Colore clarus ANGELVS.
Colore Pisanelli,
CALLOTVS, *Ater, Candidus*,
Bolsvvertij, RVBENI.

36.

War ist es / auch in vnserm Lande
Seynd Künstler auffzutreiben.
Durerus kondte mit freyer Hände
Ein Ring ohn Circkel schreiben.
Der Raphaël vnd Pisanell
Den Welschen haben gfallen.
Schwartz vnd Bolßwerk sein auch wol werth/
Callot/ Rubens vor allen.

In Veterum famam docti fluxere Nepotes,
Ingenio, manibus, moribus, Arte pares.
Quis nisi DVRERVS potuit sic ducere Sphæram,
Vt manus vna sibi Circinus ipsa foret.
Quod fuerat Quidam Cois, hoc ANGELE Romæ,
Hoc Florentinis es PISANELLE Rosis:
Hoc nobis Lotharingus erit CALLOTVS, in ære
Aureus; & viuo Belga colore RVBENS.

Fata.

Discedunt Veteres, & in theatrum
Personæ veniunt Recentiores.
DVRERVS digitum mouens in orbem,
Hic est Circulus, inquit, ET RECESSIT.
Prodit ANGELVS, ingemitque mœstùm:
Sic viuit moriturus; ET RECESSIT.
PAVLVS ecce RVBENS, *Silete*, clamat;
Sic viui moriuntur; ET RECEDET.

Iámque adeò Veterum, velut vmbra, euanuit ætas;
Altera nunc nostro pullulat herba solo.
Circulus ALBERTI solo carbone notatus,
Annulus est digitis, Norica Virgo, tuis.

Alter

Alter apud Tuscos Zeuxis PISANELLE vocaris,
ANGELVS VRBINAS nomen Apellis habet.
Quis placeat magis? ánne *Rubens*, ánne *Albus*, an *Ater*?
Hic PICTOR triplex, est simul ipse *Color*.

SCAZON XXXVI.

Truduntur Anni. trudit Artifex primum
Secundus; istum tertius; Noui priscos.
Pygmæus ater CIRCVLVSQVE Dureri
Vincant Catenas & Cyclopa Thimantis;
Sic Raphaëlis Itali PVER, grandem
Virum Theonis. nempe Belga famosus
RVBENS, Apelli cedet! immò non cedet.
VAH! quæ per artes it redítque vertigo!

XXXVII.

Non est priorum memoria, sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in nouissimo. Eccle. 1.

His *palma* nunc addicitur,
At quàm diu virebit?
Vertente caudam sæculo,
Vix ampliùs virebit.
In plurimis Prouincijs
FVISSE nescientur.
Obliuiosus nominum
Illos vocabit OLIM.

37.

Die habens præ, jhr Salb ist gut /
Wie lang / wie lang wirds riechen?
Die Kunst wird bald / als wie ein Glut
In dAschen sich verkriechen.

Wie

Wie mancher Printz / manche Provintz
Wirdt nimmer an sie dencken /
Lob / Stam / vnd Nam / wird alls beysam
In Boden sich versencken.

Nomenclatura.

Istis astra micant, hos gloria floribus ornat;
Et nardo & violis, & casia & Cyane,
Et Myrto malísque: sed ô quò gloria tendis?
Nonne breui dices: *Nos quoque floruimus.*
Exactis octo lustris, sistetur imago
Nobilis, à doctâ suspicienda manu;
Nomina quærenti Auctoris, tibi ficta dabuntur;
Hanc pinxit CAIVS RESPHA CLASOMENIVS.

His Actoribus explicata *Palma*,
A summis datur infimísque. Viuant,
Regnent, & populi per ora currant.
Atqui post aliquot superba messes,
LAVS cum *messe* cadet; putrísque famæ
Cristatum *caput* & decoris *alas*,
Et *linguam* BONA VERBA nunciantem,
Longa obliuia mortis amputabunt.

Omnibus in Siluis horum penetrabilis Echo
Nomina percussâ rupe sonora canit.
Dic mihi quid vox est, nisi flabilis aura? quid au
Aura? quid hic est, quem *Vocis imago* canit?
Post aliquot soles occumbet fama; NIGRIQVE
Tam *nigra* fors fuerit, quam fuit ipse *niger*.
Quis pinxit, quærent aliqui: responderit Heres;
Aleph Beth Gimel. Sic mihi dixit Auus.

SCAZON XXXVII.

Hos noster Orbis basiare dignatur,
Horum *ferina* fertilis, *pepo* maior,
Lactuca Tusca, *brassicaq;* sunt latæ.
Nam quid Nealces, Pausias, Pason? isti

Fa

Faciunt vtramque paginam triumphalem.
Sed auguramur, quod licet. trahent olim
Et hi suam rubiginem super saxo.
VAH! dicet ille & illa: *quàm rudis Pictor!*

XXXVIII.

Qui loquitur mendacia, peribit.
Prouerb. 19.

Quòd frendeas, res maxumas
Quandoque parua vastat.
Smyrnæa certè Carmina
Non *struthio* vorauit:
Sed VNA tantùm SYLLABA,
Sed nequior *trecentis*.
Illam trecentis *felibus*
Vt Dij Deæque perdant.

38.

Offt bälder als das Laub vnd Gras
Ist etwas groß vergangen.
Von welchem Thier ist Ilias
Homeri auffgefangen?
Das Mäußlein biß / vnd gantz zerriß
Will gschweigen jetzt der Ratzen:
Die fressen weck gantz Bücherstöck /
Wanns sicher seynd vor Katzen.

Ingemis auditis? audi peiora: peritur
Turpiùs. in lucro est mors miseranda minùs.
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ
Te sibi quisque Deum Ciuis, Homere, rapit.
Adde: quòd & fures rapiant tua carmina mures,
Et quærant flauum cum tuo Vlysse fauum.

Laudo: ſed ignauis indignor felibus, Illæ,
Olim debuerant hanc iugulaſſe *gulam*.

Expoſtulatio.

Fumantem mouet æmulis ſaliuam:
Quòd ſublimia, ducta ad vmbilicum,
Albo pumice raſa, digna cedro,
Cùm probro monumenta deſtruantur.
Doctos Iliadis ſacræ labores,
Roſit *Mus* opicúſque putidúſque.
Quid viuis Cate? cui bono creauit
Te Natura? *vorare Mus* HOMERVM!

Quid? quòd ab indoctis Docti crucientur? Homerus
Iam non reſpondet τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.
Quæ Fera diuini cœleſtia *vincula* Vatis
Soluit? hyæna, biſon, bubalus, vrſus, aper?
Bellua quæ? quid Muſa iubes expromere? tædet,
Et piget atque pudet dicere: Muſa ſine.
Bellua quæ? pudet ah! *quæ bellua?* ridiculus Mus.
Quis poſthàc ſæuos arguat eſſe Catos?

SCAZON XXXVIII.

Et hanc propino nauſeam. Sit ex arte
Opus politum, Palladíſque nocturnâ
Fragret lucernâ: non poteſt ab infami
Perire dente? teſtis ILIAS cæci
Oculus Poëtæ: quem trifurcifer ſcalpſit
Bibliopibulus eruítque pſicharpax.
Nec obſtitere perditiſſimæ Feles.
VAH! Quid POETA non Poëta ſperabit?

Cruciantur vbi sunt.

XXXIX.

[N]unquid visionem cassam vidistis, & diuinationem mendacem locuti estis.
Ezechiel. c. 13.

Macer MARO disparuit,
Et cum Marone Dido:
Pinguísque FLACCVS Cerbero
Vt *porcus* immolatus;
Nasonis elegantiæ,
Rhamnusiæ Tibulli,
Propertianæ Cynthiæ,
Et Lesbiæ Catulli.

39.

Gestorben ist VIRGILIVS,
O CLIO, den bewaine.
Auffgmetzget ist Horatius,
Halb seine vnd halb schweine.
Nasonis Zierd / hat vil verführt;
Ist aber selbst eingsessen.
Tibulli Schatz / Catulli Spatz
Kan auch kein Käß mehr essen.

[Q]uem tantùm *finxit* sibi SEXTO Æneïdos ORCVM;
Mortuus ah! *verum* iam videt esse MARO.
[M]æcenas *atauis* Rex *regibus edite*, FLACCVM
Huc quoque vidisti præcipitare tuum.
[N]on superest Naso, non ille Propertius Vmber,
Cui tenero cordi Cynthia sola fuit.
[S]ed neque Veronæ superat genialis Alumnus,
Cúmque tua Nemesi, mœste Tibulle, iaces.

Iam nullas canit eclogas Maronis
Famosus Melibæus, aut Menalcas.

Plus

Plùs quàm Tantaleâ siti laborat
Fractâ tristis Horatius *lagenâ.*
Nasones quoque transiere; & vnà
Dulces nequitiæ Tibullianæ, &
Nequam stultitiæ Catullianæ, &
Stultæ lætitiæ Propertianæ.

Onomatopœia.

Illegoquiquondam Gracilimodulatus Avena
Dicere iam cessat; *Arma virúmque cano.*
Et tu Flacce iaces, *Epicuri de grege porce;*
Infernóque epvlvm das epulande Ioui.
O! bene, quòd viuens lessum sibi fecerit ipse,
Qui perijt gladio, Naso Poëta, suo.
O! malè, quòd serò vestros Mors carpsit amores,
Docte Catvlle tuos, culte Tibvlle tuos.

Scazon XXXIX.

Et Mantuanus occinens sibi Lessum
Olor senilem, cum dolore decessit.
Lyra Venusina iam Proserpinam mulcet,
Si fallit aureis; est Megæra, quæ plectat.
Focvs Tibvlli *friget.* Vmbriæ valles
Suo carent Aurelio; suos tristis
Luget Catullos Lesbiásque Verona.
Vah! ipse longo Naso ductus est *naso.*

XL.

Fallax equus ad salutem.
Psalm. 32.

Pincerna Vatum Pegasvs
Confossus ense Turco:
In posterum quid nectaris
Sicco propinet vngui?

De pelle cæſæ belluæ
Non Mantuana Muſa,
Sed forſan indoctiſſimus
Veſtitus eſt ſatelles.

40.

Sultan der Türck hat Pegaſum
Mit Säblen nider ghawen.
Ligt jetzundt Todt; vnd eben drumb
Flüßt nichts mehr auß der Klawen!
Wann ein Poët die Haut doch hett/
So kündt er ſich mit kleyden.
Dieſelb villeicht ein Scherg einweicht;
Vnd diß muß Maro leyden.

egaſus Othryſij porrectus acinace Turci,
Dicitur in bifido procubuiſſe iugo.
am non fatidicum mouet exhalantia numen
Stagna, nec hinnitu Phocidos antra replet.
iſcera ſparſa iacent, diuulſáque ab oſſibus oſſa;
Et quâ debuerat *pelle* Poëta tegi;
ortè Poëtarum Momus veſtitur; & iſtum
Turpè rudens *Aſinus* corpore geſtat EQVVM.

Felix bellua Perſei lupatis,
Cuius Bellerophon volauit alis:
Pœnas Threïcio dedit Tyranno,
Stratus PEGASVS, ínque mille fruſta
Conciſus, vomet entheum liquorem?
Illum non vtinam STVPOR comeſſet,
Cui nomen proprium excidit Melampi:
Qui nullum, *niſi ſcripſerit*, ſalutet.

Anathema.

llum illum tigridis lactârunt vbera, qui te
Confodit centum Pegaſe vulneribus.
rgo iaces, nulláſque fremens ſitientibus vndas
Elicis, ætheriâ digne Caballe plagâ.

Exu-

Exuuiásne tuas infamis Lictor habebit?
Non potiùs *Thorax Virgilianus* erunt?
O scelus! hac Mopsus gradiens in pelle superbit
Vide, dicens, quod sum ego mirè Poëda felox.

Scazon XL.

Lugete Vates. Pegasvm; decus vestrum,
Agir bubulcus Ottomannicæ caulæ,
Sub Machomete fustibus trucidauit.
Triste hinniebat Quadrupes, *Adhinnite*
Ictus tremebat: *palpitate* nil posthac
Fundet liquoris: *iam sitite*, detractâ
In pelle sese iactat ambulans Stipes!
Vah! hoc Poëtæ sustinere vos probrum!

XLI,

Verè mendaces erant colles, & multitudo montium. Ier. 3.

Parnassvs ipse euanuit,
Videntibus Poëtis:
Exaruere laureæ,
Stupentibus Poëtis;
Fugere serta Bacchica,
Gementibus Poëtis:
Striges tulerunt barbita,
Frementibus Poëtis;

41.

Daß sich Parnaß nit sehn mehr laßt;
Wo ist er hin gewichen!
Die Lorberblätter von dem Ast
Seynd sauber abgestrichen.

Auff

Auff beeden Bihl / waiß nit wie vil /
Außdörꝛte Kräntz verligen.
Kain Vogel singt / kain Saiten klingt /
Poëlis ligt in Zügen.

Quid mihi Parnassum toties cantastis Amici?
Ille tamen nunquam Collis in Orbe fuit.
Dixistis: certa, veniet Peneïa Daphne,
Velabítque tuas casta puella comas.
Credidimus: sed nulla fides. Peneïa Daphne
Nulla venit. Daphne Thessala nulla venit.
Adde: quòd & digitis citharæ parere recusent:
Fila tremunt, ceu mors *vnguibus* illa trahat.

PARNASSVS, DEVS OMNIVM DEORVM,
IN QVAS NESCIO SE MIGRAVIT ORAS.
Ingens *cordolium* omnibus Poëtis,
Vili straminis orbe laureatis.
DAPHNE, DESIIT ESSE VIRGO DAPHNE.
Sunt fractæ citharæque tibiæque.
Dic porrò, quid agent in Vrbe Vates?
Si rectè memini, *famem fricabunt.*

In qua Valle latet Mons, de quo PVBLIVS olim;
Pandite, cùm dixit, *nunc Helicona Deæ.*
Fugit, vt & LAVRVS cogantur tempora Vates
Glandibus (ô sertum!) cingere Chaonijs.
Iam nullæ crescunt hederæ sub Phocidos antro;
Quàm nullæ Oetæo Caucaséóque iugo.
Quódque ego detestor, motâ Testudine, tristis
Clamor, & horrendæ Vocis imago redit.

SCAZON XLI.

Iuuate vestra bella monstra cantantem,
Musæ iuuate. Si fuit; fuit vester
Biceps, tricépsne, centicépsne Parnassus?
Quid sunt sequaces ductiléſque per rupem

Herbæ canoram? flore quis ſuos vnquam
Virente crineis gratioſus incinxit?
Fallórne? an aurem dulcè ludit Euterpe?
VAH! plena nugis mentientibus plauſtra!

XLII.

Erubeſcetis ſuper Hortis, quos elegeratis. Iſai. 1.

In teſqua verſus degener
HORTVS Nouem Sororum;
Daphnen fugârunt floridam
Lappæque carduſque.
In quo frequenter anguipes
Serpebat herba cliuo;
Vrtica creſcit noxia,
Et igne peiùs vrit.

42.

Der neun Musarum Paradeyß/
Mit Rosen ziert vnd Ilgen;
Ist geben jetzt den Dösten preiß/
Sawblumen alls außtilgen.
Ebhew wie Tranck ligt da zerstrewt/
Niemand thut jhm abwarten.
Die Nessel brännt ein an die Händt.
Pfuy dich/ du schöner Garten!

Sed neque iam primæ ſortis Topiaria cerno,
Aſperą nec Clarijs floribus arua fragrant.
Antè quidem thymbrâ, lauróque, thymóque virebant
Nunc tenet obſeſſos plurima *lappa* toros.
Serpylla, & faciles hederas in vincula duci,
Sæua trucidauit diripuítque manus.
Vrtica in thalamo dominatur adultera Floræ.
Non facilè attrectet Pieris; *vrit enim.*

Qui

Qui quondam fuit Hortus, eſt *Eremus.*
Portentum priùs elegantiarum,
Nunc compendium inelegantiarum.
Ductis ſentibus impeditus horret.
Nec Bacchi coma, floridóue myrtus
Laſciuas hederas amore nectit.
Linguæ pullulat Herba *virulenta.*
O! ne tange malam; vrit, vrit, vrit.

Dicite Caſtalides, quis veſtrum perdidit Hortum?
Quis caſiam, & coſtum, & cinnama vertit aper?
Omnem tam ſubitò laurum exedère *capellæ?*
Quid facit in prato *carduus* Aonio?
Quis colles ſertis nubentibus interdixit?
Vlmum cur refugit Vitis amare ſuam?
Scilicet Vrticæ ſtimulum auerſata Thalia,
Vt mala me (Dij te) *Beſtia* mordet! ait.

SCAZON XLII.

Intremus HORTVM. quàm Fauonij prono
Suauiantur ore! læta ſunt Tempe
Heliconis. æther ridet, & ſacris ningit
Roſiſque liliſiſque. contubernales
Palmæ ſuſurrant; populíque ſuſpenſæ
Fagíque & alni, prouocantibus flabris,
Fagos & alnos, populóſque ſolantur.
VAH! triſtis *Ironia*, amara valdè. Vah!

XLIII.

Vbi ſunt Dij tui, quos feciſti tibi?
Ierem. 2.

Ah! *execratas* DELPHICVS
TRIPVS ſtat inter *ollas.*
APOLLO rurſus paſtor eſt,
Sedénſque tondet agnos.

Polluta Cyrrha texitur
Telis aranearum:
Victrix Arachna Palladi
Insultat exsulanti.

43.

Der Delphisch Dreyfuß auff dem Herd
Koche Erbißmuß vnd Bonen.
Apollo wider d'Schäfle schert /
Muß bey den Hirten wohnen.
Das läere Hauß / durchauß vnd auß
Die Spinnweb vberzogen.
Trutz daß sich jetzt Minerva setz /
Vnd sey jhr vbel gwogen.

Delphicus ille Tripus, qui quondam oracula fudit
Impositus flammis rustica pisa coquit.
Pascit Apollo greges, notísque Amphrisius aruis,
Lanificas emptâ forfice tondet oues.
Quid, quòd in Aoniam penetrârit Aranea Cyrrham
Venari Musas *cassibus* ausa suis.
Tela Minerua iacis? *telam* caue flaua Minerua:
Figet enim telâ pectus Arachna tuum.

Delphorum Tripodem Faber profanus,
Et contemtor, *in ordinem redegit.*
Sub fago sitit, esurítque Apollo.
Nodoso quoque scipione nixum,
Vidi pascere Myrtili bidentes;
Arcanísque cubilibus Mineruæ
Oppandi laqueos, quos à trecentis
Annis nexuit impudens Arachna.

Quam verum optasti Delphis tibi dicere, sordet
In manibus crudi fictilis *Olla* coqui.
Si quæris, quid agat noster crinitus Apollo:
Hoc tantùm possum dicere, pascit oues.

Interea *petulans* irrupit in Exſulis aulam,
Limináque obſtructis clauſit Arachna plagis.
At tu excluſá fores fruſtra Tritonia pulſas.
Ceſſa: non aperit Lyda puella tibi.

SCAZON XLIII.

Mentitur autem *Rumor* in ſuum collum:
Adhuc futura pandit illa, quæ Delphis
Seruatur OLLA, plena *myſtici fumi*,
Apollo diues nulla paſcit armenta:
Sed in reductâ valle barbiton pulſat.
Nec inuoluta Cyrrha retibus ſquallet
Aranearum, ſed tapetibus fulget.
VAH! triſtis *Ironia*, amara valdè. Vah!

XLIV.

Et ſiccabit venam eius, & deſolabit fontem eius. Oſeæ 13.

Fons CASTALIS, fons CASTALIS
Amiſit omne numen.
Limoſus hæret margini
Vulgaris inſtar vndæ.
Nullius œſtrum Spiritus
Concuſſa ripa ſentit;
Pigróque marcens alueo
Aquas trahit profanas.

44.

O Caſtalis / du edler Safft!
O edler Brunn auff Erden!
Auß dem wir angefüllt mit Krafft
Halb Götter können werden.
Ey wie ſo ſtill / der wie ein Mühl
Zuvor biſt vmbher gſtrudlet.

Wem wolſt ſein lieb / jetzt aller trüb /
Faul / müſſig / matt / vnd bſudlet.

Fons, Aganippæus, ſancti *vindemia* Phœbi,
In fæces olidas tranſijt, ínque lutum.
Non illo magis alta palus Mœotica marcet,
Quæque putres ranas tabida nutrit aqua.
Quid moueam Stagnum? nullâ tamen arte mouetur.
Non eſt in toto viuida gutta Dei.
Accubat in ripis, vt feſſus meſſor in agro,
Et dormit ſomnum languida lympha ſuum.

Fons, qui Pegaſidum repleuit Vrnam,
Quondam ſplendidior vitro trigono;
Nunc eſt tubere tetrior paluſtri.
O fons! Blanduſiæ ſupra nitorem,
Quondam perſpicuúſque limpidúſque;
Nunc infra vada pigra ſtantis vndæ,
A fundo, vapidúſque luridúſque.
O iam non AQVA VIVA, ſed *cadauer*.

Caſtaliæ lymphæ, quondam libamina Vatum,
Mœrent, & nullo numine ripa ſalit.
Vidi ego, cùm nuper Fontem ſpatiarer ad illum,
Horrida quàm turpi ſqualleat vnda ſitu.
Non caluit gurges, nunquam ſurrexit arena,
Non fluctus bullis intumuere nouis.
* *Nec Lethen magis eſſe ſoporiferam puto. paſſum heu!*
Scribere carmen vix, cogito quando de eo.

SCAZON XLIV.

Pimplæus humor, humor ille Pimplæus,
Mutare mentem mollis Vnda, quam lambunt
Auidi Poëtæ; funditus profanata
Latet ſub vlua, níſque diſtat à vappa;
Nec concitatis fons inæſtuat ſpumis.
Quanquam inde ſumas mille congios, ſempe

Pumex

Pumex manebis, ſiccus, aridus pumex.
Vah! Hippocrenea Gurgitis Caballini!

XLV.

Et obſurdeſcent omnes Filiæ Carminis. Eccle. 12.

Sic, vnde Diuûm munere
Soli bibêre vates;
Baotus inde turbidam
Quiuis *Camelus* haurit;
Sitim leuant & *Arcades*,
Lyram ſubinde *pulſant*.
Hinc *ſpaſmus* ille verſuum,
Strumaq; peſſimorum.

45.

Mich dürſt nit mehr / trinck wer da mag /
Dein Waſſer macht eims Grimmen.
Ja gar am hellen liechten Tag /
Thun die Camel drinn ſchwimmen.
Es trincket dich das laidig Vich /
Wer wolts jhm doch verzeyhen?
Diß ſchatt der Stim̃ / macht dVerß ſo ſchlim̃
Daß einer möcht drein ſpeyen.

Dum *furor* hoc olim cœleſtis in amne natabat,
Hinc, donec vomeret, quiſque Poëta bibit.
Aſt vbi turbatus liquor eſt potante camelo,
Intactam præfert quiſque Poëta ſitim.
Illo fonte bibam? quem longis auribus haurit
Sileni ſonipes, Alpheſibæus ὄνος.
Iam non miror ego paſſim tot carmina vendi,
Incuſſo colapho quæ mereantur emi.

Iſti proſtituam meos calores
Naturámque Poëticam lacunæ?

Si quaſcunque feras lauet. lauentur.
Sed quæ carmina? *carminanda*: quæque
Peiùs dicta ſonent, in obſoletæ
Nodis ilicis *hirriente ſerrâ*.
O! Si Vatibus his cacuminatis,
Muſæ pro ſtrophio darent *echinum*.

Indignatio.

Denique quis, dixi, bibat hanc ſine nomine vappam!
Quanquam olim (memini) ſæpiùs inde bibi.
Sic ego: cùm turpis veruex, & craſſus & ingens
Haurit eam gibbo ſtante Camelus aquam.
Accurrunt Aſini *bipedes*, & amica luto ſus.
Inque palude canunt; ô glaciale chaos!
O verè deformis hyems! ô flabra trionum!
O *nequam* verſus! ô

SCAZON XLV.

Quiſquámne ſanæ mentis, inſtet haurire
Sudans & algens, tam putrem vadi limum?
Deóque caſſas è paludibus fæces
Libet, camelis commouentibus Lympham?
Aurita quin & acris ingens mula,
Conſtanter inquinata proluit labra.
Mox *ſtans in vno*, mille *porricit* verſus.
VAH! quas polentas, quæ venena fungorum.

XLVI.

Vana locuti ſunt vnuſquiſq; ad proximum ſuum. Pſal. 11.

Obmutuere TVLLII,
Obmutuere Craſſi:
Hortenſij, Salluſtij,
Altùm ſilent in Vrna.

Famo-

Famoſa ROSTRA Rhetorum
Peſſum dedêre Gotthj:
Vertunt in vſus priſtinos
Recepta fruſta *Nauta*.

46.

O Cicero, wo iſt dein Mund?
Craſſe, wo iſt dein Zungen:
Die wünſcht ich / wann ichs haben kundt:
Nun hats euch ſelbſt mißlungen.
Es habens zwar auch dRoſtra gar:
Wer wolt mehr auff ſie ſteigen:
Die Schiff am Port fahren mit fort/
Vnd zaigen euch die Feigen.

Tullius eloquij pelagus diffuſius olim,
Siccior eſt topho pumicibúſque cauis.
Siccus es Hortenſi, Salluſti, Craſſe; nec vlli
Ex cine-iam-facto gutture verba fluunt.
Quanta quies Romæ! Venti *poſuere* Forenſes.
Nulla in facundo gurgite Cauſſa natat.
Quæ vetus in fluctu populari Rhetor agebat,
Merſa nigris Thules ROSTRA feruntur aquis.

Philippica.

Non craſſum queror aut periſſe Criſpum,
Te te lugeo flende, MARCE TVLLI,
Sicâ Popilij peremte ſerui.
Non tantùm tua *Villa Tuſculana*
Antiquo Domino caret: ſed ipſa,
Quæ te Roſtra tulere perſonantem,
Poſtquam & murmura *Fuluia* tulerunt;
Piratæ rapuere ſanniones.

O! fortunatam natam me Conſule Romam!
Hoc olim: ſed *nunc* Marce diſerte taces.
Sunt muti cineres, quos vrnâ Hortenſius efflat,
ET IAM DE CRISPO SCRIBITVR HISTORIA.

Heu pudor! in Latijs saltauit *Simia* Rostris,
Vrsa perorauit; Vandalicúsque *Catus*.
Istáne sunt igitur famosæ frusta triremis?
Cæsa manu toties Rhetoris? icta pede?

SCAZON XLVI.

Prodigia.

Facundus oris & disertus Arpinas,
Tacet resectus colla, mutus vt piscis.
Sallustiana fama cum Iugurthino
Sopita bello, conquiescit in castris.
Quæ Leguleius Rostra pressit Orator,
Piscator auexisse fertur *Hollandus*;
Frustis carinas nauium refecturus.
VAH! fortè Rostra remigans *capit salpas*.

SCENA.

Poëta, Scazon.

SCazon: proteruè Rostra fingis abrepta remo manúmi Martia Batauorum. Nam quando Tybris viderit peregrinam classem secantum liquidam viam Germanorum per æquor? quo sinu maris clausi in se reducto, nobilem Cathedrarum texêre prædam? cuius Insula fundo primùm intulere? Nauta qui vocabatur? SCAZON. *Diuino tantùm. Rostra si quidem sæuo conuulsa ferro, rursus è foro tracta subiere pontum: frusta certiùs certo, venisse doctos auguramur ad Belgas. Nam quæ sub astris comparetur huic genti, virtute, dignitate, legibus, bello, scientiáque gloriáque nauali? Spatiosa veru terga Nerei rostris proscindit, exercétque subditos campos. Insternit Altum molibus, natantésque animosa lato vectat alueo siluas. Ipsum videtur expulisse Neptunum hereditate Patris, & suo regno: Medijs in vndis*

nuptias

nuptias Napaarum piscatur. Omnis Nympha cum choro Phorci pendit tributum, caruliqueTritones famulare iussis offerunt tubis cornu. Quà Phœbus ignes condit, & coruscantem mergis quadrigam: quà renascitur somnum excussus, Auroraq; lachrymas siccat; Mare Belga frænat & capessit Hollandus. Hic, si quis vllus abstulítque fregítque florentis Eloquentiæ sacram sedem. Poe. *Ah! illa Rostra: qua sonora verborum torrente pleno lacteóque inundarunt. Vbi forensis Tulliana maiestas, grauitas Catonis copiaq; Gracchorum, & Laliorum, Cæsarúmque regnârunt.* Sca. *Fortassis Abderita natus in Myda optantis aure. patriáque veruecum; exasciata, dedolata fragmenta, in antra vertit frigidásue cisternas.* Poe. *Acumen istud crassioris est nasi. Refer hoc Amyclis, & labella compesce.*

XLVII.

Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui perierunt per linguas suas. Eccli. 28.

Fabri disertum filium,
 Fabrvm *Philippicarum*;
Angina pridem seria,
 Non ficta strangulauit.
Hic est, hic est Demosthenes!
 Ancilla monstrat olim;
Sed iam licebit quærere;
 Vbi ergo svnt Athenae!

47.

Demosthenem sehr wol beredt
Den Griecheren verpflichtet/
Den hat zu letzt in seim Todtbeth
Das Halßwehe hingerichtet.
Jetzt schweigt er still / vnd sagt nit vil:
Zuvor hats ghaissen / Der ists /
Das ist der Mann / der reden kan.
Jetzt fragen alle / Wer ists?

Atticus Orator, princeps incude relictâ
Factus, & indocti gloria docta Fabri:
Tutiùs ô quantò tractasset forcipe *ferrum*,
Quàm quòd Agens caussas AVREA verba *dedit*.
Mentiri nocuit. perijt miser: ídque *Figuris*
Omnibus atque *Tropis* Parca Pelasga probat.
Quid prodest DIGITO OSTENDI? quod garrula quondam
Fecit ad vndantes *Hydria* fontis aquas.

Facundissime Cecropis Nepotum:
Qui tot crimina tristium Reorum;
Vt fert patria terra, palliatus,
Verbis consilîisque *palliâsti*:
Exsûl denique nudus interisti.
Et tunc nulla puella dixit: Hic est,
Quem monstro tibi RHETOR· αὐτὸς ἔντε
ψελλίζει: *bene dicit iste Balbus.*

Forsan adhuc magni stupeas Demosthenis artem,
Qui linguam ad *cotem* Blæsulus exacuit;
Argentanginâ, morbo peiore, peremtus.
Finis in exsilio Rhetoris iste fuit.
Frustra *Ancilla* manu protentâ perstrepit; HIC EST.
Hic terror, Macedûm Magne Philippe, tuus.
Monstraret Tumulum saltem, librámque vel vnam
Pulueris, aut dentem, qui *genuinus* erat.

SCA-

SCAZON XLVII.

Paroxyſmus.

DEMOSTHENES orare juſſus, ὦ ἄνδρες
(Namque hoc crepabat millies) Ἀθηναῖοι,
Inter--repentè faucibus ſtetit--tractis;
Retróque lapſus, εἶπα dixit extremum.

Laudatus antè, cùm ſuum σοφῶς bellè
Audiſſet; olli cor mouebat, vt tauri
Proſecta; palmo ſeſqui pectus extabat.
VAH! blæſe, famâ ſic puelle lactari.

XLVIII.

Verba ſunt plurima, multámq; in diſputando habentia vanitatem. Eccleſ. 6.

Zeno, Thales Mileſius,
Solon, Bias, Cleanthes;
Barbâ SOPHI ſpectabiles
Inſtar trucis Cometæ;
Poſtquam canora pulpita
Strauere diſputando:
Tandem catarrhis obruti
Tußire deſierunt.

48.

Man lobt auß den Philoſophis
Zenonem vnd Cleanthen:
Lang Hangebärt / gut dürmiſch Griff /
Wie andere Altanten.
Da mehr als gnug / ſpitzfindig / klug /
Geſchryen diſe Kunden:
Hats der Todt grad / im diſputat
Erwiſcht / vnd vberwunden.

Ad ſectas venio *bacchantes* more Cleanthæ,
Et Chryſippææ nomina nota Scholæ.
Barbati Proceres, quibus HIRCVS ab ore pependit,
Mixta decuſſatis *Lana caprina* pilis.
Voluebant grandes Nugas de Corpore Quanto,
De Mundi cunis, de Genitrice Maris.
Dum clamant, agitántq; manus, rumpúntq; columnas
Ilia ruperunt; Stamina Parca. *iacent.*

Sophiſma.

Quis nunc excutiat ſcholas Sophorum?
(V. G. rancidi BIANTIS,
Qui ſecum ſua ſemper obſoleto
In dorſi cophino tulit) ſuperſunt?
Mors rixantibus intulit Sophiſma.
Aut vis, dixerat, *aut, amice, non vis.*
Sed non vis: (comes ire Mortis) ERGO
Vis. Si vis: (comes ire) VADE MECVM.

Deliciæ.

Huc coliphia peſſimâ carminum. Ad anteiquum æuum
Tendimus? horrendos imus enim ádque Sophos.
Quorum atro mento barbas (mirabile dictu)
Naturæ manus inſcripſerat in folio.
Ructabant Verum: nunquam non ore ſpuebant
Docti aliquid; gnari & dinumerare atomos.
Sed quò verſibus his miſerabilibus crucianda
Monſtra hæc venerunt denique? mortua ſunt.

SCAZON XLVIII.

Fauete linguis. Manibus parentamus
ZENONIS, & Zenoniani ARISTIPPI.
Ollis ſcatebat ſub veterrimo mento
In vtramque partem diſputanda barba:
THESIS Sonabat ore tuſſis hirſuto.
Conchyliata diluere *gutturem* ſputa.

Sed

Sed dum ore, naſo, diſputántque ſputántque,
VAH-l mors ſaliuam, quæ fluebat, abſterſit.

SCENA.

Poëta, Scazon.

R*Vbiginoſe ſerue, loripes Scazon, qua verba promis? gutturi meo* guttur *ſapit.* SCAZON. *Meóque* gutturem. *Gulam Plauti peteſcit illecebra. Peluetuſta delectant ramenta multos gnaritatis antiqua.* POE. *Audire malim ſtupea ſonum lingua.* SCA. *Non ipſa Aëdon blanda Thraciæ pellex, deuirginatam ſe gemens, mihi môſſit tam muſtulentè vinulam voluptatem.* POE. *Horreſco: ceſſa.* SCA. *Támne ſqualis Euander tibi videtur, Enniúſque contagu ſpurcificus, vt qua metra detenebrauit, decoritérque raſa concelebreſcunt, ceu ſpectra volcanoſa durius inciles.* POE. *Quid dicis?* SCA. *Obtuteſco ſpectiles verſus Turpilianos, Vnimammijs ſcriptos.* POE *Quid dicis?* SCA. *Ille cum ſipabat in terra ſub ilicetò; vel ſedebat in ſolla: dulce malaciſſans vanitudinis carmen expectorabat. ore dein columnatis iterum ſilebat, tam quietus, vt ſtrigor obnoxioſus occupaſſe ſirpatum Vatem tremore crederetur incuſſo. donec réceſſet languor ille diuinus. Ad ſe reuerſus cernuabat.* POE. *Occidis. Abſiſte Scazon.* SCA. *Ex Lucretio ſperſos ſicilio flores, optuméque oleſcenteis, ephebitati plectiles coronanda.* POE. *Silices loquendo proijcis, ſpuis ſaxa. Iam nunc ſeuerè comminatus edico omitte priſcis inquinare me verbis. rotunda, plana, clara, terſa conquire.*

XLIX.

Nos inſenſati errauimus à via veritatis,
Sap. 5.

In qua vetus computruit
Antiſthenes cauerna?
Quo Morio Democritus
Defecit in cachinno?
Siluæque TRVNCVS Stoicæ,
CANISQVE *palliatus?*
Verſare ſuetus DOLIVM,
Vt Sol ſuam quadrigam.

49.

Wann hat Antiſthenes der Alt
Sein Grab anfangen machen:
Democritus den Deipel ſalt/
Vnd auffgehört zulachen?
Ein doller Hund/ auff ſeinem grund
Diogenes vor zeiten/
Iſt jetzund gſtreckt/ im Faß verzeckt?
Das Aaß die Rappen reiten.

Augia.

Ipſe Crates *Antiſ*que *thenes* ſub Ceſpite fætent;
Iſte ſuæ vitæ prodigus, alter opum.
Tandem Democriti *laſſatus pulmo* reſedit;
Cui totum & tantùm Viuere *riſus* erat.
Teſtæ habitatorem Cynicum *porrigine* plenum,
Diogenem occidit *ſeſquicaninæ* fames.
Mirandum eſt, quali STVPOR hic regnârit in aulâ;
Sole mouente ſuam, mouit & ipſe ſuam.

Non omneis cinerum mouebo foſſas,
Inquiram tamen, an *profundus* Orbis,
Riſor Democritus, ſit inſepultus.
Fertur tantum habuiſſe ſplenis vnus,

Quan-

Quantum mille homines, in officinâ
Nutriti modijs facetiarum.
Sed quid Diogenes agit Molossus?
Quod præsepe vorat? quid Vmbra latrat?

Bellaria.

Sic age deînceps Musa mea, exhululans mihi dic; quò
Venit præceptor rabula Diogenis?
Et qui perpetuò ridens sursum atque deorsum
Mundum irridebat risibus assiduis.
Et qui macrâ præ ariditate friabilis, omneis
Rictu allatrabat dolio in exiguo.
Nonne suo in stabulo perijt cum straminibúsque?
Quonam alio húncce *Canem* carmine namq; canam?

SCENA.

Scazon, Poëta.

SCazon: *probásne Disticha ista lasciua, & nequiter proiecta.* Scazon. *Nequius quidquam excogitare poßit vlla Medea! aut duriúsue tristiúsue, quàm versus, quos ludit ista (penè dixerim mœcha) Sed feminarum quis reconditos sensus exploret augur, indolémque describat? quidquid libido sua fierit, procax audet impune sexus, ridet, inque neglectu nomen decúsque quærit, & petit plausum.* Poe. *Omitte ringi. Nunc opus lacertosis, Scazon, lacertis. sarculum solo merge. Euerte marru & ligonibus sacra illustrium sepulcra Stoicidarum.* Sca. Industriorem *non habebis.* Poe. *Ad furcas, cruces, triremes, inque peßimam pestem, cum tam vetusto, mucido, scabro verbo. Me téque iuxta fabulam dabis Musis, Desiste tandem. Symmachi tui rident* industriorem. Sca. *Iuppiter feri saxo, si non monenti paream. Iubes terram euiscerari mortualium? Factum puta. Sophorum hocce veternosas, & obsoletos heic vides Caprimulgos.*

POETA. *Argute Scazon, Oedipum tua mentis immitt Sphyngi litterariæ noctis. Scrutare Caluas, vncialium tecto. sensus notarum Mortis augur indaga. Interpretare, quo legis, characteres.* SCA. *Quando remordet ista funebris cu-ra; extemporalis factus ecce sum Mantes.*

EPITAPHIA.

H. P. E. A. S. C.

N. V. F. ***** F. **

*** H. P. E. ** D. ***

****** T. P. ******

***** Æ. S. C. ****

** H. S. S. T. **

* F. ** H. S. Q.

* C. A. **** C. *****

C. O. E. O. ****

SCA.

SCAZON XLIX.

HEIC. POSTVS. EST. ANTISTHENES. SOPHVS. CLAVDE.
NARES. VIATOR. PAETET. * PAETET.

HEIC. POSTVS. EST. DEMOCRITVS. * TOTVS.
PVLMO. * AEGER. SPIRITVM. CACHINNAVIT.

HOC. STOICORVM. STIPES * TRVNCORVM.
* FIMETO. * HOMO. SECVNDVM. QVID.
* CITER. AVTEM. * * CANIS. *
COLORE. ODORE. ET. ORE. * *

L.

Vbi nunc ſunt ſapientes tui?
Iſai. 19.

Dic: quo cubet ſub ceſpite
Silentij Magiſter?
Nunquam ſatis leguminum,
Nil auſus *eſſe* pulpæ.
Quæ ſeminudi Socratis
Spelunca condit oſſa?
Vbi vxor eius putida
Capútque trunca—*tippe?*

50.

Sag mir: wo dann Pythagoras
Im Y blib ſtecken?
Der jhm nie gnug der Linſen aß/
Kain Fleiſch hat dörffen ſchmecken.
Wo ſeynd/ ſag her/ deß Socratis
Verlegte Bain vnd Rippe?
Wo iſt zumahl ſein Ehegemahl
Die feine Fraw Xanthippe?

Sed neque PYTHAGORAM violento mortis ab ictu,
LITTERA defendit PYTHAGORAEA ſuum.

Qui

Qui parcè cænauit, olus, lentéque comedit
Lentem, quippe memor: NE QVID in ore NIMIS,
Te quoque Calue Senex *Sapiénsque* vocate, cicuta
Sustulit, & nemo SOCRATIS ossa tulit.
XANTHIPPE perijt, placidi Iouis improba Iuno,
E scaphij toties vindice nube pluens.

Quid piscis Samius silet? quid ore
Clauso Pythagoras facit, *stupendus*
Verborum Euclio? dijs famem malignis
Vouit, sustinuítque contumacem.
Arsurus Siculo priùs iuuenco,
Quàm cocti bouis ore polluendus.
Pol! quid Socratis Vxor, aurearum
Xanthippe facit Αλφα feminarum?

Qualiter est moriens quoque mortuus in sabulet[o]
Qui viuens vixit, nomine Pythagoras.
Hic nunquam (sic me Dij ament) olera atque legu-
mina
Ad satiem audebat deijcere in stomachum.
Non minus exstinctus pater ingens Socraticorū est:
Quanquam hilaris Stygias iuit & ad tenebras.
Viderit autem Hecate, Coniux vbi sit Xanthippe:
Quæ quia erat mala tam, est digna quoque hísque
metris.

Epita-

EPITAPHIVM, ET
Cenotaphia.

H. E. S. Q. P.
G. L. P. S. V.
V. V. O. E. S.
I. P. F. R. Q.
***** S. S. ***** C.
G. V. ****** S. ****
***** H. F. E. ****
********* F. S. *****
H. D. D. D. *****
******** X. P. ******

SCAZON L.

HEIC. EST. SEPVLTVS. QVI. PIACVLVM. GRANDI.
LOQVI. PVTAVIT. SI. VEL. VNICVM. VERBVM.
ORE. EXCIDEBAT. SOMNIANTIS. IN. POENAM.
FABAS.

FABAS. REMOVIT. QVATTVOR. * SEPTEM.
SOLITVS. COMESSE. GASTRIMARGVS. VT. *

HEIC. FERTVR. ESSE. FILIVS. SOPHRONISCI.

HEIC. DIRA. * DEIRA; DIRA. XANTHIPPE.
* PROTERVA. * *

Plurima desunt.

LI.

Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Ad Rom. I.

Dic: quid Platonis manserit
De MAXIMÓ PLATONE?
Quàm *Gallus implumis, bipes?*
(Cur non & ocreatus?)
VAH! VAH! HOMO PLATONICVS!
Cœnandus in *culina.*
Gulæ futurus gratior,
Quàm ferculum Thyestæ.

5 I.

Plato, Plato im hohen Thon
Die Weißheit hat angstimmet.
Aber sein Definition,
Das Menschlich Gschlecht nit zimmet.
Weil Plato dann ein Gockelhan/
Zu seinem Spott vnd Schaden/
So sey er drauff zum Koch hinauff/
Ins Kuchelstüblein gladen.

Oestrum.

Eloquar hoc etiam, licet indignentur Athenæ:
Diuinus perijt, dispenitque, PLATO.

Pið

Irô cæli terræque pudor! Sophus omnia nouit.
Cur igitur nescis, mi Sophe, quid sit Homo?
Est, inquit, *animal* generosum, *implume, bipésque*.
Sic scio, quid gallus; non scio, quid sit HOMO.
Aut certè hunc hominem fas est apponere mensis;
Nec tamen auersos sol reuocabit equos.

Nunc intrabo Sacrarium, quod olim
Sparso ture colunt Athenienses.
Salue MAGNE PLATO, Magister Orbis.
Dic: quid est Homo? GALLVS ABSQVE PLVMIS,
Toto pectore rideamus omnes.
Salue MAGNE PLATO, Magister Orbis.
Dic; quid est Homo? *gallus absque plumis.*
TOTO CORPORE PRANDEAMVS OMNES.

Comere Musa comas iterum fuligine tersâ
Pulcrior. Ecce Plato nunc adeundus erit.
Quæramus tumulos; certum est latitare sub vno
Illum, qui NATVM scit reperire BONI:
Gallinæque Virum nudatum vertice cristas
Exæquans Homini, perdidit OMNE GENVS.
Siccine definis Hominem Sophe Magne? Platonem
Innumeros tales Atreus ipse vorem.

CENO-

CENOTAPHIVM.

H. F. E. M. P. S.
I. **** V. **** L. ***
S. ****** B. ***** M.
C. P. S. M. V. ***
*** L. P. A. ****

SCAZON LI.

Augurium.

HEIC. FERTVR. ESSE. MAXVMVS. PLATO. SITVS.
IMPLVMIS. ** VIRILITER. LVMBOS.
SVCCINCTVS. ** BIPES. ** MANÈ.

CANTV. PERACTO. SI. MOMORDIT. VXOREM.
* LAETVS. PRAELIATOR. ARGVTVS.
* * *

Ieiune Lector, quid Platona derides?
Assatus est Homo iste; calcea dentes.

LII.

Quid est necesse homini maiora se quærere. Ecclef. 7.

Natum Stagiræ, gurgite
Euripus hausit alto.
Tunc passus AR——LES *syncopen.*
Vitaq; Nominisque,
Muscas cadenteis tutiùs
Fixisset otiosus;
Quàm quòd maris reciproci
Euentilârit æstum.

52.

Der groß vnd weise Stagirit
Ist in dem Meer ersoffen.
Sein hohe Kunst die schilt ich nit:
Hat aber eins nit troffen.
Wär er darfür hinder der Thür
Gar in ein Bernhaut gschloffen:
Als daß er gfragt / vnd sich so plagt /
Warumb das Meer abgloffen.

Pauper Aristoteles, quo non est *ditius* vllum
Ingenium, medijs naufragus hæsit aquis.
Fluctibus Oceani reflui lunaribus haustum,
Altera Lethæi torsit arena vadi.
Quid miser æquorei tentat secreta profundi?
Dilectæ satiùs pensa tulisset Heræ:
Quàm quòd in Euripo Maris indagauerit æstum.
Ille fit à *lunâ* percutiente caput.

Quicunque es, Palinure Nauta, siste.
Hoc portu situs est Sophus Sophorum.

Scrutantem vada cæca curiosè,
Submersit Maris æstus; éstque passus
Omnes *tres Capitis*, periculoso
Hoc in gurgite, *Diminutiones*.
Vnde ARISTOTELES priùs, modò *Arles*
Passim scribitur. HEIC CINIS QVIESCIT.

Quæro Stagiritam, frustra. Submersus in alto
Dicitur infelix occubuisse mari.
Quà patuit, totum complexus pectore Mundum,
Debuit in Mundi parte perire sui.
Nunquid non poterat *culices* mactare *rotundos*,
Aut membra interea sternere sub platano?
Tutius hoc, quàm quo refluum mare Cynthia *sorte*
Arietet, erecto scire supercilio.

CENOTAPHIVM.

H.	F.	E.	N.	S.
S.	I.	N.	I.	E.
C.	T.	D.	F.	R.
Q.	S.	A.	I.	F.
C.	T.	S.	******	S.

SCAZON LII.

HEIC. FERTVR. ESSE. NOBILIS. STAGIRITA.
SEPVLTVS. INTER. NAVFRAGOS. IN. EVRIPO.
CVIVS. TIMENDA. DE. FVGA. REVERTENTIS.
QVOD. SIDVS. AVRIGARET. IMPROBOS. FLVCTVS.
COGNOSSE. TARDVS. SE. * * SVBMERSIT.

Atqui sedenti profuisset, in cella
Vultus manúsue defricare verrucas.
VAH! texuisset vincla syllogismorum.

LIII.

Non enim erit memoria sapientis, similiter vt stulti, in perpetuum. Et futura tempora, obliuione cuncta pariter operient. Moritur doctus similiter vt indoctus.
Eccles. 2.

Nunc cogitur quiescere
Argutus *Ambulator:*
Longæque *Sessor* Porticus
Nolens Volens *iacere.*
Labuntur altæ tegulæ,
Et impluit Lycæis:
Nil præter atras noctuas
Stoæ cauerna nutrit.

53.

Jetzt ruhe einmal du schöner Kopff /
Kanst nimmer müder werden:
Der ewig gsessen vnderm Schopff /
Ligt lang zwerchs auff der Erden.
Ihr Critici, vnd Stoici,
Wo wöllt jhr füran sitzen?

Das alte Nest / wo jhr seyt gwest /
Die Eylen jetzt beschmitzen.

Sic, quia non aliter fas est, à morte quiescit,
Inuitus. non *mors*, sed dolet alta *quies*.
Sessores super ipsa suos, quàm longa recumbis
Porticus, immani pondere lapsa premit.
Aspicio lachrymans destructa lycæa. sub vdo
Impluuio, glacie septima bruma riget.
Vnica culminibus laceris quæ *noctua* mansit,
Aëra iam pennâ liberiore secat.

Iam nullum videas Sophum sedere,
Niti, currere, stare. nempe *Parcis*
Visum est, esse quietiùs, *iacere*.
Zenones, Senecásque Cordubenses
Inuoluit sua nunc *abolla*, FATVM;
FATVM, quod toties in ore, FATVM.
Ædes procubuere. Noctis ales
Incestat vaga Stoicas cathedras.

Exin docta vacant sacraria. Non nisi mulas
Plurimus hàc petaso mulio tectus agit.
Porticus exclusis Sessoribus altera nutat,
Altera cum *Truncis* vestibulóque ruit.
Atria tristis hyems Academica subruit imbri.
Templa tegunt decimæ Palladis alta niues.
In qua certauit SAPIENTIA mitibus armis,
Nunc est bubonum facta palæstra specus.

SCAZON LIII.

Quid de lycæis Ambulantium longis
Academicorum, pulpitóque clamoso;
Quid de proseuchis, exedrísque famosis,
Haráque docta, déque Terminis Artis;
Quàm vile *Blictri* mansit atque *Schindapsis*?
Verba absque sensu, nucleo nuces cassæ.

Vbi noctuarum Diua sola regnabat;
Vah! noctuarum sola natio regnat.

LIV.

Vbi est litteratus? vbi legis verba ponderans? vbi Doctor paruulorum?
Isai. 33.

Ad textum:

Sequentur istos cæteri:
Sunt plurimi secuti.
Iustinianus, Bartholus
Baldusque *l. Debet.*
Et l. Vasa collige.
§. citaris.
Seu replicent, seu triplicent.
Coguntur ad Tribunal.

54.

Druckt dapffer drauff / die habens gar /
Wir müssen all nach springen:
Juristen in der Todtenpar
Auch dises Liedlein singen.
Seyt still Balde vnd Barthole,
Macht nit vil Gschwätz vnd wesen /
Ist doch vmbsunst all ewer Gspunst:
Dann Parca kan auch lesen.

Hoc habet, exclamas, tandem deleta Vetustas?
Hoc quoque *tu*, clamat, tectus *habebis* humo.
Bartholus et Baldus, consulti numina Iuris,
Funereo pressi marmore, nunquid habent?
Vade: sedet Prætor. Sed Zasius excipit vnctus.
Excipiat, dicto vade vadate die.

A perimente (nota Verbum) Perimende citaris.
Nosti, quid *Strictum Ius* velit ense sibi.

Omnes, quos grauis occupauit Hora,
Vel muti tamen insonant; SEQVERIS.
EXPERTIS HABEAS FIDEM ROBERTIS.
Clamant Causidici duo forenses,
Baldus, Bartholus, & MORI, *esse iuris*
Naturalis, & insiti cuique,
Scriptis ex *Titulis* probant sepulcri.
Quod Ivs non abolet *Nouella*, firmat.

Monimentum.

Posteritas: sic te Manes affantur in vrnâ.
QVIDQVID ES, HOC FVIMVS; QVOD SVMVS, ILLVD ERIS.
BARTHOLVS ET BALDVS, BALDVSQVE ET BARTHOLVS (istos
Misce, vtcunque voles) iam subiere Scrobem.
Ius sanis prodest, moriturum nulla tuentur.
Fata vocant; *naso ducere Fata nequis.*
Ah! valdè modicè studuisti in Codice Iuris;
Si nescis, quòd Lex prima sit ista, MORI.

SCAZON LIV.

Titulus.

Ita est. sequemur. Posteros præiuerunt
IVSTINIANVS, VLPIANVS, & BALDVS
Profundus *Vrinator* æquoris Legum.
Fuere. ne se nobilis crepet Doctor
Titulósque iactet. namque siue I. V. D. scribat
Seu V. I. D. DVIue, vel D. I. V. diu nemo
Euasit ictum. túne primus euades?
VAH! funerales nescit iste Pandectas.

LV.

Frustra multiplicas medicamina. Sanitas non erit tibi. Ierem. 46.

Hippocratem, qui *Virgulâ*
  Morbos abegit albâ.
Tabum vomentem denique
  Delusit ars medendi.
Tectus *cupressu* lugubri
  Componitur Machaon:
Galenus HERBAM PORRIGIT,
  Et dicit: *Hac fefellit.*

55.

Hippocrates hat abgebawt/
  Wird jetzt mit Füssen tretten.
Kein Aphorismus oder Kraut/
  Kundt jhn vom Tode erretten.
Machaon ligt/ist längst verstickt/
  Jetzt nur ein blosser Schatten/
Galen ist hin/sein Medicin
  Hilfft jhn zur Erden bstatten.

Cur non Hippocratis Coi monumenta reuolui?
  Quem Rex Persarum credidit esse Deum.
O numen! cuius nunc est *vespillo* sacerdos,
  Sarcophagus Templum, Tus *humus*, Ara *cinis*.
Quis potuit medicas numerare Machaonis artes?
  Nulla tamen summum depulit herba malum.
Fatali lecto defixus membra Galenus,
  Ingemuit mœstis flebilis vsque modis.

Qui *radicitus* est in arte DOCTOR,
Is radicitus interisse dicat
Omnes Hippocrates Machaonásque.
Hausto Mandragoræ satur veneno,

Guſtauit cerebrum Cati Galenus,
Mox præceps datus è ſuo cerebro.
Exeſto Medicina. quando nullum
E tot millibus vlla iuuit herba.

Si quiſquam inſtantis vim Leti euadere poſſet;
Hic foret Hippocrates vnicus vnus homo.
Num potuit? non ſi Mundi totius in herbas
Natum vertiſſes arte, Epidaure, tuâ.
Tentârunt eadem Podalyrius atque Machaon,
Quíque dat ex Medico fonte Galenus opes.
Mors tamen hos omnes irriſit *dentibus albis:*
Quæ cùm tela manu vibrat, ait; RECIPE.

SCAZON LV.

Ad pharmacorum *pyxides*. ſenem Coum,
Quanquam TYRANNVM MORTIS, vltimo morbo
Nec Gentiana, nec papauer admorſum,
Nec caſtus Agnus, nec malagma ſanauit.
Fatis Machaon obſequi reluctatus,
Parere tandem debuit, vel inuitus.
Et Pergamenum calda Febris exhauſit.
VAH! qui mederis vlcus & tuum cura.

LVI.

Quæ autem in cælis ſunt, quis inueſtigabit?
Sapient. 9.

Cœlum SENIS *cryſtallinum*
Caſus, puérque fregit?
Iniqua cura ſiderum
Oppreſſit Archimedem.
Copernici deliria
Sunt inuolucra gypſi.

Quid

Quid hoc? *iacet* Copernicus,
Tellus *stat*, astra *currunt*.

56.

Der Syracusisch Himmel steht/
Zerbrochen seynd Coluren.
Jetzt macht der gwaltig Archimed
In seinem Staub Figuren.
Die Erden steht/vnd nit vmbgeht/
Wie recht die Glehrten mainen.
Ein jeder ist seins Wurmbs vergwist/
Copernicus deß seinen.

Fortè *Mathematico* datur indulgentia vitæ,
Astra Syracosio qui dedit ire Polo.
Occubuit cum sideribus, quæ plurima vitro
Fixit, & exhibuit de niue nata silex.
Quid scripsisse iuuat; si quidquid scripserit vnquam
Non nisi in Astronomo creditur esse *furor?*
Iámque putem nimiùm tibi stare Copernice Soles;
Soles sunt *oculi*, nunc sine luce, tui.

Qui Cœlum vitreum polósque finxit
Astrorum moderator Archimedes;
Fatali reuolutus ex Olympo,
In vallem cecidit nimis profundam.
Quæ systemata sunt Copernicana,
(O! systemata quæ Copernicana!)
Vel librarius allinit papyro;
Vel fiunt piperis breues cuculli.

Credis? in exiguo fragilíque natantia vitro,
Astra Syracosio sunt famulata Seni.
Quale tamen cœlum, quod fracto illabitur axe?
Qui perijt, qualis Conditor ille fuit?
Credis & hoc? stellas *terebrare* Copernicus ausus
Occidit, in paucis prodigiosus homo.
Quæro ego; cur sol stet; *quia mente subaudio Fixum.*
Mobile sit Fixum, dicit. *Ohe!* doleo.

DVVM EPITAPHIA.

H.	A.	V.	A.	S.	Q.
I.	V.	F.	M.	I.	****
***	A.	C.	M.	V.	***
H.	P.	E.	C.	S.	***
D.	T.	M.	S.	C.	S.
N.	H.	V.	C.	E.	I.

SCAZON LVI.

HEIC, ARCHIMEDES. VVLNERATVS. A. STELLIS.
QVAS. IN. VITRO. FRAENARE. MOLIEBATVR.
IACET. * * AVDEBAT.
COMOSSE. MVNDVM. VELLE. * *
HEIC. POSTVS. EST. COPERNICVS. SATIS. DIXI.
TERRAM. MOVERI. STARE. CREDIDIT. SOLEM.
NARRA. HOC. VIATOR. CAETERIS. ET. IGNOSCE.

Si forsan esses biliosior, dic VAH!

SCENA.

Scazon, Poëta.

POeta. POE. *Scazon.* SCA. *Sudo, diffluo totus.* POE. *Deterge mappâ manticáue villosâ.* SCA. *Depono marram. Sat, reor, datum fessu. Frangunt labores. Quot profundus extraxi examinanda squallida Vetustatis Vespillo saxa! qua potissimam partem exesa fallant Delphicos Sacerdotes, ipsúmque Numen, cui focus calet Delphis.* POE. *Morose Scazon, ergo iam fatigaris? At non labascunt integerrima vires; cùm pinguis offa fumat, & tremunt quadra sonante pernâ: tunc valentior miles Scazonte nullus; omniúmque postremus adipata fata signa deseris mensa. Vbi canistros insidet Ceres alba, plenóue nodis nigra spumat in vitro.* SCA. *Equidem calente Sirio. Reuertenti tauro subactu à noualium sulcis, quis pabulum, quis gramen inuidet fesso? Et me refossis tot cadauerum fungis, tot expiatis erutísque speleis, nullam mereri bucceam sepulcralem? Horresco, spectris territus Sophorum, tam fuliginosis & nocenter obscuris. Circumuolare me videntur infesti Manes Platonis, audio querelarum lamenta, disputantiúmque barritus.* POE. *Satis ista: nunc procede; déque* Fortunâ *subeunte, tenta prouocáque Fortunam.*

LVII.

Sapiens timet & declinat à malo: stultus transilit & confidit. Prou. 14.

Hæc qui legis, cur ringeris?
Longósque rodis vngues?
Nimis tibi confidere,
Narcisse mi, videris:
Si nec mouebunt funera
Præmissa tot Virorum;
Sempérque stare contumax
Speras cadente Roma.

57.

Der vber diß die Nasen rimpfft/
Mit runtzlen ziecht sein Stirne:
Der waißt fürwar nit was er stimpfft/
Warumb er sich erzürne.
Seinds dann nit längst/vom Todt geängst/
Die ich erzehlt/verfahren.
Da Rom fiel ein/möchst du der seyn/
Der ständling wolt verharzen.

Fallor: an iratum Lectoris sentio vultum?
Et fluit in toruas frons caperata notas?
Imbellis certè Phrygiáque exclusus in Ida,
Seu Narcissus erit, siue Hyacinthus erit:
Qui Puer, *ad plures* cùm iam præcesserit agmen,
Mota Virûm dubitet Martia castra sequi.
Roma Caput Mundi cecidit, cecidere Gigantes;
Et tu consistes *Pumilione* minor?

Iras comprime, delicate Lector:
Ne nos despue, ne precare diras.
Quod decerpsimus ex virente lauro,
Tu *Vatis folium* puta Sibyllae.

Regno-

REGNORVM DATVR ET VIDETVR AETAS:
REGVM VIX DATVR ET VIDETVR AESTAS.
Si ne *Roma* quidem fuit perennis:
Caſum nemo poteſt queri caſarum.

Vapulo cenſuris. damnamur pollice preſſo,
Semicaper lato *Zoilus* ore furit.
Quid palles, frontíque minax iraſceris ictæ?
Támne tibi videor, Mome, fuiſſe *Cato?*
Tu leuior conchâ, tenero tu mollior hædo,
Iam deſperato SOLVS in Orbe ſapis?
O *turtur!* Romæ & Phrygibus durare negatur,
Et tu, cum Mortis venerit hora, *gemes?*

SCAZON LVII.

Quis? Momus ánne *Amomus*, hîc mihi *naſum*
Ciet *ſagacem?* quid fremuit? quid os fædum
Inſpicat inſtar alitis peregrinæ?
Narciſſe votis impotenter inflate,
Quid indecoro maceras metu pectus?
Vrbs (Orbis inquam) caſibus ſuis ſtrata eſt,
Tu perſeueres? ſic *ſciure* te mulces?
VAH! molle ſcrophæ ſumen, albe porcelle.

LVIII.

Qui ponitis Fortunæ menſam, & libatis ſuper eam: numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis. Eſai. 65.

Tu *ſolus* OVI Caſtoris,
Matríſque pullus *albæ?*
Parcas vt optes *parcere*;
Fatum retrò moueri.

Fidum videtur improba
FORTVNA numen esse?
Cuius *Rotam* vel *fimbriam*
Astratus osculeris.

58.

Bist du der Aff / das schöne Kindt /
Am Holderstock entsprossen?
Daß dir verschmacht so hart vnd gschwindt /
Was Gott ob vns beschlossen:
Walst nit / das Glück / hab böse dick /
Betrügerisch / verstohlen:
Hängst doch am Rad / daß vmbher gaht /
Bist je ein guter Tscholen.

O formose Puer, Ledæo nate cubili,
Digne supra nubes cum Ganymede rapi.
Iam iam Fata tibi cedent: quæsiuimus Vnam
Parcarum, an vellet parcere: dixit; *Ita.*
Plaudit ad hæc Mopsus, sua nec ludibria sentit,
Fortunæque dolos ingeniúmque leue.
Quid video? supplex etiam lachrymísque refusus,
Eius odoratos imbuit ore pedes.

Thersites, animose mi Puelle,
Formosissime, belle mi Puelle,
Quot sunt, quótque fuêre, erúntque belli
Thersites: animose mi Puelle,
Dic; Parcas *quianam* petas fauentes?
Et SOLVS *quianam?* deinde asellus
FORTVNAE, *quianam* fricas asellam?
Heu, frustra scabis. Ista mæcha fallit.

Scilicet *Hic, Ipse, Ille, Iste* est Salapusius *atrox*,
In gremio Matris natus Acidaliæ.
Sanè, cur Lachesis tibi non sapphyrina ducit
Stamina, gemmatâ deproperanda colu?
Dic age: Fortunæ credis tria verba loquenti?
Atqui ego mentiri credo, licet taceat,

Sed neque more tuo curuus procumbo velut bos,
Nec Lenæ plantas osculor, vngo, lauo.

SCAZON LVIII.

Encolpe Phœnix, & Cupidinis frater,
Alter Paris, parísque frontis ac oris:
Quâ fronte, quo, dic, ore Fata contemnis?
Poscas ab illis dulce saccarum, myrrham
Offerre suetis! ecce supplicabundus
Stas in lacerna limen ante Fortunæ;
Gemis tremísque, *splendidéque* mentiris.
VAH! vile numen prouolutus *inceras*.

LIX.

Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas.
Prouerb. 7.

Insane! qui te sustines
Ab hac Dea peruri.
Adultera te mancipas,
Quæ peierare nouit;
Procísque noctes ebrias
Toríque iura vendit.
O! quot proterua Principes,
Vxorios fefellit.

59.

O Tummeshirn / O voller Zapff /
O daß jhrs Glück erkennten.
Die euch verhaist ein Busterkrapff /
Vnd gibt euch nur ein Blenten.
Keim seys vertrawt / als wers sein Braut /
Kaim kan ich dises rathen.

Sie

Sie bricht die Ehe/drauff kombt das wehe/
So viler Potentaten.

Quin potiùs *furcâ* demens *expellis* amores?
Quos leuis in cæco pectore Diua parit.
Pulcra tibi Coniux (si Dijs placet) atque pudica
Obtigit, & nunquam fallere docta virum.
Quàm timida & mitis! quàm non scelerata! Marit
Nam violare fidem, non putat esse scelus.
Totus ei Mundus patet, vt Commune Lupanar.
O! quot in hoc Regum *concutit* illa toros.

Vaticinium.

Quæro: siccus es, an mades adusto?
Aut Fortuna procax tibi vorandum
Insano *leporem* dedit marinum?
Ah! cur vreris igne tam doloso?
Hanc te ardere Deam? iugum recusat,
Prædico: Meretricis es maritus.
MESSALINA nihil veretur æra
Noctu poscere, & aduocare *seruum*.

Epithalamium.

Anticyris dignum caput est, cui femina pellex
In sponsam, & Thais vendita serua placet.
Hymen, ô Hymenae Hymen, Hymen, ô Hymenae!
Duxisti Vxorem; Ciuibus, ánne tibi?
Nempe mihi, dicis. Sed non hoc dicit Agyrta;
Qui cum *Fortuna* dormit, Amice, *tua*.
Cornutos etiam Reges facit ista Capella,
Auriculásque sui donat habere Midæ.

SCAZON LIX.

Attende Daue. non licet bis errare,
Quam ducis? *Istam?* ludiam, leuem, cæcam
Istam? dolosam perfidámque Fortunam?
Quæ purpuratos polluit toros! *Istam?*

Catulire pernox perdiúsque consueuit:
Pandítque cuiuis fornicem. papillarum
Multum proterua nudat. haud minùs mortis.
VAH! quot venustum Regna perdidit Scortum!

LX.

Fallax gratia & vana est pulcritudo.
Prouerb. 31.

Tot ora nunquam Proteus
Deponit & resumit:
Quot ipsa vultus *Panicos*
Permutat & refingit.
Cum *Phosphoro* quæ Tyndaris,
Et naris expolitæ,
Sub *Hespero* fit turpior
Anu *canente lessum*.

60.

Erzehlt ihr List / ders zehlen darff /
Sie liegt / daß möcht erkrummen.
Wie manches Gsicht / wie manche Larff
Brauchts zu dem falsch vermummen.
Bey Sonn auffgehn / ist sie gar schön /
Auffgmutzt mit Pfawen flügel:
Zur Vesperzeit ein Raffelscheidt /
Ein arger alter Zigel.

Quid facias? *frontem* quæ non habet, accipit *omnes*.
Oris inops, nunquam non satis oris habet.
Deprendas licet in facto, peccasse negabit.
Visa tibi dicet: *forsitan illa fuit*.
Adde: quòd (& disces ex solo nomine monstrum)
Vt bifrons Ianus, sit tua IANA *biceps*.
Vultibus è geminis tantùm vnus manè videndus.
Namque vnô, non est turpior in capulo.

Quid-

Quidquid DALILA Dalilæ; Neæræ
Aut fallacis habet NEAERA fallax:
Hoc FORTVNA libidinosa totum est,
Vultu, pectore, fraudibúsque comtis.
Et Circen Thymelénque vincit ore,
Transmutans meretricios colores.
Alter Proteus: hoc die venusta,
Maurâ fœdior altero perustâ.

Mysterium.

Hoc quoque scire iuuat: Portumna est, quæ tibi nup
Et tot habet vultus, quot noua Luna, nouos,
Vtque simul speculo diuersa videntur in vno,
Plurima sic vnâ fronte videnda gerit.
Vis Nioben? *dura* est. vis pulcram? *Tyndaris* ipsa est!
Certantémne viris? mox erit *Andromache*:
Et tibi certabit nimiùm, vellétque capillos,
Hirce: feres turpem litigiosus anum.

SCAZON LX.

Fortuna non fidelis est, vt Euadne,
Aut Sisygambis. sumit omnium vultus
Ponítque! fallax, ambidextra, *Communis*.
HAC DOTE NVBIT. annulum maritalem
Donat vel hosti, nec rogata, te *cornu*
Ingens ferente, quale Vir gregis simi.
Cerite, Mæchæ non notas tuæ næuos?
VAH! quale pingit nux cadauer! ô stacte!

LXI.

Auerte faciem tuam à muliere comta.
Eccli. 9.

Oblata labris basia
Luctantibus recusa.

Etsi rogaret millies,
Tu millies recusa.
Quæ verba fingit sesamo
Dulcísque plena melle,
Credas cerassæ toxico
Flauóque sparsa felle.

61.

Sie thut / als wanns dich lieben wolt /
Zum Fridenkuß anmueten:
Gibt dir in d Hand ein Monatsold /
Wann gscheid bist / gib jhr Gucte:
Schlag sie von dir: sag / weich von mir /
Dein Red will mir nit gfallen.
Ja! steckt sie vil / wanns reden will:
Ist lauter Gifft vnd Gallen.

Mitte igitur thalamum, & noli pro dote pacisci,
Suauiáque oppositâ pelle dolosa manu.
Quin vultum quoties inuitat ad oscula, dorsum
Obuerte; & pedibus protere vota Lupæ.
Rhetoricam nosti, quæ sit tibi verba *datura*;
Aurea cúmque tropis, byssina cúmque fauis?
Aurea? sed ferrum, sed plus quàm ferrea verba.
Byßina? sed crassus sunt, mihi crede, rudens.

Quò vesane ruis? resiste Scorto.
Cerussata Puella non omittet
Caussas quærere basiationis.
Palpabit, mihi crede. complicatis
Prostans oscula porriget labellis:
Promissura rosas thymúmque mellis;
Manatura nigri palude fellis:
O! quæ basia, qualibus labellis!

Et statuis tali Dominæ seruire Maritus?
Probráque suauiolo Coniugis emta pati!
Si me non spernis, spernes meretricis amatæ
Oscula; nec pretium, nec patiere preces.

Mella quidem loquitur, blandísque incesta perora
Ignibus atque oculis, lena diserta, suis.
Tu tamen haud fidas: ignes, sunt frigora Thraci
Noctua sunt oculi; mélque Venena merum.

Scazon LXI.

I nunc, & osculare publicam Laruam,
Regúmque sputis basiísque *fatentem.*
Raptos ocellos (*orba proprijs*) furto
Vibrabit, *emulgere* suauium docta.
Sed tu resiste, si sapis. sed infringe
Exercitatam lubricis genis palmam.
Ne verba credas, quæ dat, esse *mel. fel* sunt.
Vah! *Alueari* quantus incubat fvcvs.

LXII.

Est malum, quod vidi sub sole, quasi per errem egrediens à facie Principis, positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. Eccle. 8.

Rvfinvs hoc expertus est,
Et Consul *euiratus.*
Byzantio proscribitur:
Statvae trahuntur vnco.
Finguntur ex his vrcej,
Strigil, patella, peluis.
Eunuche: *nunc* es vsui
In omnibus tabernis.

72.

Rufinus walst von der manier /
Vnd ein Eunuch zusagen.
So gar jhr Bildenuß ist in vier /
Ja hundert stuck zerschlagen.

Eutro

Eutropi Leib/ das alte Weib/
War gstossen zu eim Zelten.
Ders Ertz hat gnutzt/ drauß d Häfen butzt/
Der kan jhms wol vergelten.

oc quoque Rufinus monstrum testatur Eoum,
Eutropiúsque Spado, Consule maior *Anus.*
ux Byzantini timuerunt numina Ciues,
Mox Byzantinæ diripuere manus.
aurigeri soluunt statuas incendia serui.
Fit Scyphus aut forceps, quod fuit antè caput.
pponens *leporem* fors Hospes dixit: Amici,
Hæc Patera EVTROPIVS semiuir antè fuit.

CONSTANTINOPOLIM petamus. Aulam
Pulso. Phosphore: nonne consulares
Vidisti trabeásque purpurásque,
Ad sordes & ad incitas redire?
Rufinum, Eutropium quid interemit?
Fortuna, puto, *non modestus Vsus.*
Eunuchi facies in ære visæ,
Sellas olfaciunt Patroclianas.

Vertumni.

t sileant alij: satis hoc Rufine loquâris,
Túque sub Arcadio Cæsare, serue potens.
ilis vterque priùs, sed vterque ad summa leuatus,
Quantus Vterque fuit, Tantus Vterque ruit.
ictor adoratos, simulacra argentea, vultus
Fregit, & effigiem soluit in igne sacram.
lassa coit, flagrant oculi, liquefactáque sudant
Membra, metalla fluunt. *cuditur hinc matula.*

SCAZON LXII.

Talio.

Hoc est, Eoi cæca quod dedit pessum
Portenta Mundi. te scelesté Rufine,

Te

Te *serue Nequam*, te marite castrate,
Princeps spadonum, qui regentis Auroræ
Ipsum regebas fraudulentus *Aurigam.*
Sed nuda demum pænè terga discerptus,
Æs vultuosum conflagrare sensisti.
VAH! *ipse Consul fascibus tuis casus.*

LXIII.

Vir vanus in superbiam erigitur: & tanquam pullum onagri, se liberum natum putat. Iob. 11.

I, curre demens Hannibal
Ex Africa per *Alpeis.*
Rupes *aceto* diuide,
Perfringe claustra Brumæ.
Quam copiam CANNENSIVM
Prædaris *annulorum:*
Pensabit VNVS ANNVLVS,
Ex quo bibes *venenum.*

63.

Lauff / lauff mein Sohn Hamilcaris,
Ich will dich nit verstechen.
Lauff hin / deß Essig nit vergiß /
Mit dem muße dAlpen brechen.
Wirst ring vollauff auff einem hauff
Bey Cannis können rauben.
Aber der ein / wirdt dein Tode seyn /
Das kanst mir sicher glauben.

Nemesis.

Annibalem mirare Ducem, per vasta cucurrit
Æquora, pérque Alpes inuiáque antra feris.

Non

Non curſum tardauit hyems, non vortice torrens
Spumeus, annoſæ nec tria luſtra niues:
Italiam intrauit; *diſcerpſit* viſcera Romæ:
Submerſit Cannas ſanguine, ſe Venere.
Quid tamen ex ſpolijs collegit Equeſtribus? AVRVM:
Ex quo tot lacrymas, fata, Stygémque bibit.

Quid ſe lætius Hannibal cruentus
Ad Cannas Trebiámque vidit vnquam?
AVDACI NIHIL INVIVM. Reliquit
A tergo fluuios, ſubegit Alpes:
Exanguis tremefecit ora Romæ,
Et portam ſtetit Afer ad Capenam.
Fortuna, heus aperi. quid ipſa? MAVRVM
IRRIDENS. PARAT INTERIM SEPVLCRVM.

Quid Libyæ Catulus, Soboles animoſa leonis
Hannibal Hannibal? *hic*. Italiam Italiam
Per mare, per ſcopulos petit, exciſáque per Alpes,
Saxáque durato conglaciata gelu.
Iámque tenet CANNAS. metitur Romana iuuentus;
Pingues ſanguineâ cæde lauantur agri.
Annulus impletur modijs: Capitolia nutant.
Summa; Peri Victor. ſume Venena, PERI.

SCAZON LXIII.

Allegoria.

Getulus Alpes inuias penetrauit:
Vbi niuoſis in iugis HYEMS *dormit*;
Trudítque ſomno congelata cryſtallum.
Carthaginenſis Ductor hanc ACETI vi
Expergefecit; tranſiénſque plorantem
Rhodanum Padúmque, victor iuit ad Cannas;
Et annulorum prædo repperit meſſem.
VAH! & venenum MAGNVS EXSVL inuenit.

SCE-

SCENA.

Poëta, Scazon.

S*Cazon : acetum, si quod Annibal propter Alpes reli*
quit, sume. Languidam venam exacuit acrimonia. la
uat putri pulmone spissum pectus. excitat tristes & oro
sos spiritus, minas torua inducit, & rugosa vallium fronti
Decet seueros ira pulcra Scazontas. Scopulos aceto Luscu
iste diuisit : & non cerebri diuidat tui nubem; capútque pra
stet peruium Dei flabris! SCA. *Nec tu iocari desines! & ho*
nempe poßit videri vanitas. POE. *Et est nempe.*

LXIV.

Vidi seruos in equis; principes ambulantes super terram quasi seruos. Eccle, 8.

Dat colla loris nauticis,
 Torquatus antè miles.
In *insulam* detruditur
 Dictator è *Curuli.*
Fixâ *sub hastâ* væneunt
 Et Persicæ tiaræ.
Inscripta frons fert *Literam*,
 Quæ *fasciam* ferebat.

64.

Gestern war Cuntz zum Scepter glockt/
 Muß heut den Kolben tragen.
Heut Schultheiß / Morgen Bettelvogt
 In seinen alten Tagen.
Noch Reich/noch Cron/halts Glück lang schon/
 Wirdt bald ab jhn verdrossen.
Der Herr wirdt Knecht / der Edel schlecht;
 Daß seynd mir seltzam Possen.

Stigma,

Stigma.

Eſto : hodie clauum teneas in Puppe Senatus;
Cras quid agas? remos fortè triremis ages.
Eſto: hodie *ſellâ* ſuper ora vehare *Curuli*:
Cras quid eris? Gyaris forſitan exful eris.
Mutatur toties fuluum diadema lupato!
Infami laqueo murice tincta toga.
Frontibus in medijs famoſum K legetur,
In quibus ardebat lucida gemma priùs.

Vices.

Ludus luditur. iſte, qui TRIVMPHAT,
Cras ductus ferietur *in triumpho.*
Hic, qui ſquammeus ardet in METALLO,
Cras damnabitur *ad metalla* foſſor.
CARVS REGIBVS, ET LEVATVS ALTVM,
CRAS (à Legibus) ALTIVS LEVATVR.
Per quam tænia multiplex cucurrit,
Frontem lamina ſignat atra ſerui.

Cothurnus.

Sæpe adeò videas captiuum ducere remos,
Qui nuper niueis Victor ouabat equis.
Currum aſcenſuro dorſum inclinare *Sapori*;
Regis ebur, populi quem ſuper ora tulit.
Vertice de ſummo gladium pepuliſſe Coronas,
Purpureos truncos immaduiſſe mari:
Vittatúmque caput, turpi ſub fornice *raſum*,
Crines ſeruitij proſtituiſſe notis.

SCAZON LXIV.

Vidi camelis taureíſque nautarum
Occalluiſſe dorſa purpuratorum.
Vidi repentè per Gemonias ſcalas
Ceruice fractâ deijci magiſtratus.

Vidi Dynaſtas corrogare pannoſos
Humi trientem, fruſta panis *in ponte.*
Vidi tyrannos *ambulare cum ſacco*
Per ciuitatem. VAH! in horrido Cippo.

LXV.

Veniet tibi quaſi viator, Egeſtas, & Pauperies, quaſi vir armatus. Prouerb. 6.

Hic ille BELISARIVS
Confoſſus à triumphis.
Caſtrenſe Mendicabulum,
Mundíque cæcus exſul:
Bellator antè ſtrenuus;
Nunc publicus ROGATOR.
Si vel *ſcobem* porrexeris,
Hac ſportulâ beaſti.

65.

Gebt doch dem Beliſario,
Ich bitt vmb Gottes willen /
Ein ſtücklein Brot: ſo iſt er fro /
Vnd kan den Hunger ſtillen.
Der blinde Mann / nimbt alles an /
Daran iſt gar kein zweifel:
War vor dem Fahl Feldt General;
Jetzundt ein armer Teufel.

Exomologeſis.

ILLE EGO ſpectatis Dux BELISARIVS armis,
Victor VVandalicos cùm popularer agros;
Oedipodioniæ patior contagia noctis,
Atque Eriſichthoniam *(qualia monſtra!)* famem.
Per Superos mediôſque precor: donate trientem
Seminecì; ſi qua eſt gratia, ſiqua fides.
Quæ GVLA ſexcentis ſteterat *pauonibus* olim;
Non habet, vnde Ceres *mucida* poſſit emi.

Quem

Quem cernis *vacuo* rigere vultu,
Effossísque oculis pati tenebras;
Et scissâ miserabilem lacernâ,
Dextram porgere numulum daturo;
Semesæque cucurbitæ cauernâ
Ad *micas* titubare colligendas:
BELISARIVS est. an ille, qui Se,
Qui Thracas Libyámque vicit? IPSVS!

Huc ventum est. audet iam *Belisarius* ossa
Rodere, relliquias sollicitante manu.
Audeat & scabiem putris mordere polentæ,
Illecebrásque vocet, passeris *exta*, suas!
Huc *Canus* ad portam. dabitur stips altera Cæco.
Cæco: qui quondam SOL tibi, Roma, fuit.
Ecce triumphator Gotthorum nobilis, ipsam,
Si satiet, patulo deuoret ore *Famem*.

SCAZON LXV.

Dialogus.

Quis iste clamor pertinax quiritantis?
Rex viue. Belisarij Ducis. Cuius?
Bis subiugantis Africam, quater Gothos.
Quid poscit? *Aera.* Pauper? *Irus ad Restim*
Miser redactus: orbibus cauis noctem
Mortémque portat Lachrymosa quis fronti
Subduxit astra? *Carnifex Ducum*, LIVOR.
VAH! pænulatus Imperator in turba.

LXVI.

Cecidit Corona capitis nostri. In Thren. c. 5.

MAGNI superbus FLAVII
Ablauius Dynasta;
Ibat verendis Cæsarum
Sublimior quadrigis.

 Sed

Sed valle mox depressior
Contaminauit enses;
Discerptus instar *Marsyæ*
In mille frusta cæsi.

66.

Ablauius wolt in dem Reich
Als Keyser einher traben /
Dem grossen Constantino gleich:
Hett gern die Cron. solls haben.
Morgen. Wolan so laßt vns dann
Das lincke Füßlein bucken.
Au we! man hawt (schreyt vberlaut)
Jhn baldt zu tausent stucken.

Te quoque *Stultorum* lepidas auxisse choreas,
ABLAVI, in paucis ambitiose, ferunt.
Namque vbi collegit se CONSTANTINVS in astra,
Diceris *Heredi* præripuisse PATREM.
Diceris Ausoniâ *clangens* super Vrbe volasse.
Diceris aurifluas explicuisse comas.
Diceris & gladijs cecidisse, vt *victima* sectus.
Et iam FORTVNAE diceris esse PILA.

Etymon.

Prô! Quis purpuream vomit sub Orcum
Infrendens animam? nouúsne *Pentheus*
Membratim laniatur? ánne CONSTANTINI pullus ouans, & ALTER IPSE?
Si Primus quia Cæsar ense *cæsus*,
Hoc à Cæsare *Cæsares* vocantur;
ABLAVI, tibi nullus inuidebit
Nomen. *cæsus es:* ergo CAESAR. esto.

Delicias hominis! Romanum Ablauius Ostrum,
Bifrontésque sacri fulminis ambit Aues.
I puer infelix: I *Simia* CONSTANTINI.
Indue Cæsaream cæsariate togam,

Induit: & longis resonat *singultibus* Aurum.
Poplitibus subitò tota fit AVLA *minor*.
Vix ea: cùm strictis coëunt mucronibus enses
In iugulum. hoc *punctum* est, GLORIA *sana*, tuum.

SCAZON LXVI.

Teredo Lauri, purpuræque bis tinctæ
(Semel tuo cruore) *Blatta*, Pomíque
Regalis, Imperíque *Vermis*, Ablaui:
Quid Flauiana sceptra mollis affectas?
Vesane regna. punieris à voto.
Pœna est, quod optas. Irruit repens miles,
Et ludibundi Cæsaris secat collum.
VAH! Improborum résque spésque *decollant*.

LXVII.

Conuersa est in luctum Cithara mea.

Iob. 38.

FORTVNA ludit musicis,
Vt est perita, chordis.
Nunc fila *tendit* pollice,
Nunc *laxat* & remittit;
IRATA MOX TESTVDINEM
ALLIDIT AD SEPVLCRVM.
Hinc flebilis symphonia,
VLVLATVS Aulicorum.

67.

Diß alles gschicht / als wie man sagt /
Nach weiß der Lautenisten.
Sie schlagen lieblich auff den Tact /
Vnd wann man ist am besten:
So schlagt die Hand / bhaut an ein Wand /
Daß Trümmer darvon springen.
Diß ist das *la la sol sol fa*,
Das d'Hofleut allweil singen.

Quidquid DALILA Dalilæ; Neæræ
Aut fallacis habet NEAERA fallax:
Hoc FORTVNA libidinosa totum est,
Vultu, pectore, fraudibúsque comtis.
Et Circen Thymelénque vincit ore,
Transmutans meretricios colores.
Alter Proteus: hoc die venusta,
Maurâ fœdior altero perustâ.

Mysterium.

Hoc quoque scire iuuat: Portumna est, quæ tibi nupsit,
Et tot habet vultus, quot noua Luna, nouos,
Vtque simul speculo diuersa videntur in vno,
Plurima sic vnâ fronte videnda gerit.
Vis Nioben? *dura* est. vis pulcram? *Tyndaris* ipsa est!
Certantémne viris? mox erit *Andromache*:
Et tibi certabit nimiùm, vellétque capillos,
Hirce: feres turpem litigiosus anum.

SCAZON LX.

Fortuna non fidelis est, vt Euadne,
Aut Sisygambis. sumit omnium vultus
Ponítque! fallax, ambidextra, *Communis*.
HAC DOTE NVBIT. annulum maritalem
Donat vel hosti, nec rogata, te *cornu*
Ingens ferente, quale Vir gregis simi.
Cerite, Mœchæ non notas tuæ næuos?
VAH! quale pingit nux cadauer! ô stacte!

LXI.

Auerte faciem tuam à muliere comta.
Eccli. 9.

Oblata labris basia
Luctantibus recusa.

Etsi

Etsi rogaret millies,
Tu millies recusa.
Quæ verba fingit sesamo
Dulcísque plena melle,
Credas cerasiæ toxico
Flauóque sparsa felle.

61.

Sie thut / als wanns dich lieben wolt /
Zum Fridenkuß anmueten:
Gibt dir in d Hand ein Monatsold /
Wann gscheid bist / gib jhr Gucke:
Schlag sie von dir: sag / weich von mir /
Dein Red will mir nit gfallen.
Ja! steckt sie vil / wanns reden will:
Ist lauter Gifft vnd Gallen.

Mitte igitur thalamum, & noli pro dote pacisci,
Suauiáque oppositâ pelle dolosa manu.
Quin vultum quoties inuitat ad oscula, dorsum
Obuerte; & pedibus protere vota Lupæ.
Rhetoricam nosti, quæ sit tibi verba *datura*;
Aurea cúmque tropis, byssina cúmque fauis?
Aurea? sed ferrum, sed plus quàm ferrea verba.
Byssina? sed crassus sunt, mihi crede, rudens.

Quò vesane ruis? resiste Scorto.
Cerussata Puella non omittet
Caussas quærere basiationis.
Palpabit, mihi crede. complicatis
Prostans oscula porriget labellis:
Promissura rosas thymúmque mellis;
Manatura nigri palude fellis:
O! quæ basia, qualibus labellis!

Et statuis tali Dominæ seruire Maritus?
Probráque suauiolo Coniugis emta pati!
Si me non spernis, spernes meretricis amata
Oscula; nec pretium, nec patiere preces.

Mella

Mella quidem loquitur, blandíſque inceſta perora
Ignibus atque oculis, lena diſerta, ſuis.
Tu tamen haud fidas: ignes, ſunt frigora Thracu
Noctua ſunt oculi; mélque Venena merum.

Scazon LXI.

I nunc, & oſculare publicam Laruam,
Regúmque ſputis baſiíſque *fatentem.*
Raptos ocellos (*orba proprijs*) furto
Vibrabit, *emulgere* ſuauium docta.
Sed tu reſiſte, ſi ſapis. ſed infringe
Exercitatam lubricis genis palmam.
Ne verba credas, quæ dat, eſſe *mel. fel* ſunt,
Vah! *Alueari* quantus incubat fvcvs.

LXII.

Eſt malum, quod vidi ſub ſole, quaſi per err rem egrediens à facie Principis, poſitum ſtu tum in dignitate ſublimi, & diuites ſe dere deorſum. Eccle. 8.

Rvfinvs hoc expertus eſt,
Et Conſul *euiratus.*
Byzantio proſcribitur:
Statvae trahuntur vnco.
Finguntur ex his vrcej,
Strigil, patella, peluis.
Eunuche: *nunc* es vſui
In omnibus tabernis.

72.

Rufinus waſſt von der manier /
Vnd ein Eunuch zuſagen.
So gar jhr Bildtnuß iſt in vier /
Ja hundert ſtuck zerſchlagen.

Eutropi Leib / das alte Weib /
War gstossen zu eim Zelten.
Ders Ertz hat gnutzt / drauß d Häfen butzt /
Der kan jhms wol vergelten.

Hoc quoque Rufinus monstrum testatur Eoum,
Eutropiúsque Spado, Consule maior *Anus.*
Quæ Byzantini timuerunt numina Ciues,
Mox Byzantinæ diripuere manus.
Laurigeri soluunt statuas incendia serui.
Fit Scyphus aut forceps, quod fuit antè caput.
Apponens *leporem* fors Hospes dixit: Amici,
Hæc Patera Eutropius semiuir antè fuit.

Constantinopolim petamus. Aulam
Pulso. Phosphore: nonne consulares
Vidisti trabeásque purpurásque,
Ad sordes & ad incitas redire?
Rufinum, Eutropium quid interemit?
Fortunæ, puto, *non modestus Vsus.*
Eunuchi facies in ære visæ,
Sellas olfaciunt Patroclianas.

Vertumni.

Vt sileant alij: satis hoc Rufine loquâris,
Túque sub Arcadio Cæsare, serue potens.
Vilis vterque priùs, sed vterque ad summa leuatus,
Quantus Vterque fuit, Tantus Vterque ruit.
Lictor adoratos, simulacra argentea, vultus
Fregit, & effigiem soluit in igne sacram.
Massa coit, flagrant oculi, liquefactáque sudant
Membra, metalla fluunt. *cuditur hinc matula.*

SCAZON LXII.

Talio.

Hoc est, Eoi cæca quod dedit pessum
Portenta Mundi. te scelestę Rufine,

Te *serue Nequam*, te marite castrate,
Princeps spadonum, qui regentis Auroræ
Ipsum regebas fraudulentus *Aurigam.*
Sed nuda demum pæne terga discerptus,
Æs vultuosum conflagrare sensisti.
VAH! *ipse Consul fascibus tuis casus.*

LXIII.

Vir vanus in superbiam erigitur & tanquam pullum onagri, se liberum natum putat. Iob. II.

I, curre demens Hannibal
  Ex Africa per *Alpeis.*
Rupes *aceto* diuide,
  Perfringe claustra Brumæ.
Quam copiam CANNENSIVM
  Prædaris *annulorum:*
Pensabit VNVS ANNVLVS,
  Ex quo bibes *venenum.*

63.

Lauff / lauff mein Sohn Hamilcaris,
  Ich will dich nit verstecken.
Lauff hin / deß Essig nit vergiß /
  Mit dem must d'Alpen brechen.
Wirst ring vollauff auff einem hauff
  Bey Cannis können rauben.
Aber der ein / wirdt dein Todt seyn /
  Das kanst mir sicher glauben.

Nemesis.

Annibalem mirare Ducem. per vasta cucurrit
  Æquora, pérque Alpes inuiáque antra feris.

Non

Non cursum tardauit hyems, non vortice torrens
Spumeus, annosæ nec tria lustra niues:
Italiam intrauit; *discerpsit* viscera Romæ:
Submersit Cannas sanguine, se Venere.
Quid tamen ex spolijs collegit Equestribus? AVRVM;
Ex quo tot lacrymas, fata, Stygémque bibit.

Quid se lætius Hannibal cruentus
Ad Cannas Trebiámque vidit vnquam?
AVDACI NIHIL INVIVM. Reliquit
A tergo fluuios, subegit Alpes;
Exanguis tremefecit ora Romæ,
Et portam stetit Afer ad Capenam.
Fortuna, heus aperi. quid ipsa? MAVRVM
IRRIDENS. PARAT INTERIM SEPVLCRVM.

Quid Libyæ Catulus, Soboles animosa leonis
Hannibal Hannibal? *hic*. Italiam Italiam
Per mare, per scopulos petit, exeisáque per Alpes,
Saxáque durato conglaciata gelu.
Iámque tenet CANNAS. metitur Romana iuuentus;
Pingues sanguineâ cæde lauantur agri.
Annulus impletur modijs: Capitolia nutant.
Summa: Peri Victor. sume Venena, PERI.

SCAZON LXIII.

Allegoria.

Getulus Alpes inuias penetrauit:
Vbi niuosis in iugis HYEMS *dormit*;
Truditque somno congelata crystallum.
Carthaginensis Ductor hanc ACETI vi
Expergefecit; transiénsque plorantem
Rhodanum Padúmque, victor iuit ad Cannas;
Et annulorum prædo repperit messem.
VAH! & venenum MAGNVS EXSVL inuenit.

SCE-

SCENA.

Poëta, Scazon.

Scazon : acetum, ſi quod Annibal propter Alpes reliquit, ſume. Languidam venam exacuit acrimonia. lauat putri pulmone ſpiſſum pectus. excitat triſtes & otioſos ſpiritus, minas torua inducit, & rugoſa vallium fronti. Decet ſeueros ira pulcra Scazontas. Scopulos aceto Luſcus *iſte diuiſit : & non cerebri diuidat tui nubem; capútque præſtet peruium Dei ſlabris!* SCA. *Nec tu iocari deſines! & hæc nempe poſſit videri vanitas.* POE. *Et eſt nempe.*

LXIV.

Vidi ſeruos in equis; principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos. Eccle, 8.

Dat colla loris nauticis.
  Torquatus antè miles.
In *inſulam* detruditur
  Dictator è *Curuli.*
Fixâ *ſub haſtâ* væneunt
  Et Perſicæ tiaræ.
Inſcripta frons fert *Literam,*
  Quæ *faſciam* ferebat.

64.

Geſtern war Cuntz zum Scepter glockt/
  Muß heut den Kolben tragen.
Heut Schultheiß / Morgen Bettelvogt
  In ſeinen alten Tagen.
Noch Reich/noch Cron/halts Glück lang ſchon/
  Wirdt bald ab jhn verdroſſen.
Der Herr wirdt Knecht / der Edel ſchlecht;
  Daß ſeynd mir ſeltzam Boſſen.

Stigma.

Stigma.

Esto: hodie clauum teneas in Puppe Senatus:
Cras quid agas? remos fortè triremis ages.
Esto: hodie *sellâ* super ora vehare *Curuli*:
Cras quid eris? Gyaris forsitan exlul eris.
Mutatur toties fuluum diadema lupato!
Infami laqueo murice tincta toga.
Frontibus in medijs famosum K legetur,
In quibus ardebat lucida gemma priùs.

Vices.

Ludus luditur. iste, qui TRIVMPHAT,
Cras ductus ferietur *in triumpho.*
Hic, qui squammeus ardet in METALLO,
Cras damnabitur *ad metalla* fossor.
CARVS REGIBVS, ET LEVATVS ALTVM,
CRAS (à Legibus) ALTIVS LEVATVR.
Per quam tænia multiplex cucurrit,
Frontem lamina signat atra serui.

Cothurnus.

Sæpe adeò videas captiuum ducere remos,
Qui nuper niueis Victor ouabat equis.
Currum ascensuro dorsum inclinare *Sapori*;
Regis ebur, populi quem super ora tulit.
Vertice de summo gladium pepulisse Coronas,
Purpureos truncos immaduisse mari:
Vittatúmque caput, turpi sub fornice *rasum*,
Crines seruitij prostituisse notis.

SCAZON LXIV.

Vidi camelis tauresque nautarum
Occalluisse dorsa purpuratorum.
Vidi repentè per Gemonias scalas
Ceruice fractâ deijci magistratus.

Vidi Dynastas corrogare pannosos
Humi trientem, frusta panis *in ponte.*
Vidi tyrannos *ambulare cum sacco*
Per ciuitatem. VAH! in horrido Cippo.

LXV.

Veniet tibi quasi viator, Egestas, & Pauperies, quasi vir armatus. Prouerb. 6.

Hic ille BELISARIVS
Confossus à triumphis.
Castrense Mendicabulum,
Mundíque cæcus exsul:
Bellator antè strenuus;
Nunc publicus ROGATOR.
Si vel *scobem* porrexeris,
Hac sportulâ beasti.

65.

Gebt doch dem Belisario,
Ich bitt vmb Gottes willen /
Ein stücklein Brot: so ist er fro /
Vnd kan den Hunger stillen.
Der blinde Mann / nimbt alles an /
Daran ist gar kein zweifel:
War vor dem Fahl Feldt General;
Jetzundt ein armer Teufel.

Exomologesis.

ILLE EGO spectatis Dux BELISARIVS armis,
Victor VVandalicos cùm popularer agros;
Oedipodioniæ patior contagia noctis,
Atque Erisichthoniam *(qualia monstra!)* famem.
Per Superos medióśque precor: donate trientem
Seminecí; si qua est gratia, siqua fides.
Quæ GVLA sexcentis steterat *pauonibus* olim;
Non habet, vnde Ceres *mucida* possit emi.

Quem

Quem cernis *vacuo* rigere vultu,
Effossisque oculis pati tenebras;
Et scissâ miserabilem lacernâ,
Dextram porgere nummulum daturo;
Semesæque cucurbitæ cauernâ
Ad *micas* titubare colligendas:
BELISARIVS est. an ille, qui Se,
Qui Thracas Libyámque vicit? IPSVS!

Huc ventum est. audet iam *Belisarius* ossa
Rodere, relliquias sollicitante manu.
Audeat & scabiem putris mordere polentæ,
Illecebrásque vocet, passeris *exta*, suas!
Duc *Canis* ad portam. dabitur stips altera Cæco.
Cæco: qui quondam SOL tibi, Roma, fuit.
Ecce triumphator Gotthorum nobilis, ipsam,
Si satiet, patulo deuoret ore *Famem*.

SCAZON LXV.

Dialogus.

Quis iste clamor pertinax quiritantis?
Rex viue. Belisarij Ducis. Cuius?
Bis subiugantis Africam, quater Gotthos.
Quid poscit? *Aera.* Pauper? *Irus ad Restim*
Miser redactus: orbibus cauis noctem
Mortémque portat Lachrymosa quis fronti
Subduxit astra? *Carnifex Ducum*, LIVOR.
VAH! pænulatus Imperator in turba.

LXVI.

Cecidit Corona capitis nostri. In Thren. c. 5.

MAGNI superbus FLAVII
Ablauius Dynasta;
Ibat verendis Cæsarum
Sublimior quadrigis.

 Sed

Sed valle mox depressior
Contaminauit enses;
Discerptus instar *Marsyæ*
In mille frusta cæsi.

66.

Ablauius wolt in dem Reich
Als Keyser einher traben /
Dem grossen Constantino gleich:
Hett gern die Cron. solls haben.
Morgen. Wolan so laßt vns dann
Das lincke Füßlein bucken.
Au we! man hawt (schreyt vberlaut)
Ihn baldt zu tausent stucken.

Te quoque *Stultorum* lepidas auxisse choreas,
ABLAVI, in paucis ambitiose, ferunt.
Namque vbi collegit se CONSTANTINVS in astra,
Diceris *Heredi* præripuisse PATREM.
Diceris Ausoniâ *clangens* super Vrbe volasse,
Diceris aurifluas explicuisse comas.
Diceris & gladijs cecidisse, vt *victima* sectus.
Et iam FORTVNAE diceris esse PILA.

Etymon.

Prô! Quis purpuream vomit sub Orcum
Infrendens animam? nouúsne *Pentheus*
Membratim laniatur? ánne CONSTAN-
TINI pullus ouans, & ALTER IPSE?
Si Primus quia Cæsar ense *cæsus*,
Hoc à Cæsare *Cæsares* vocantur;
ABLAVI, tibi nullus inuidebit
Nomen. *cæsus es:* ergo CAESAR. esto.

Delicias hominis! Romanum Ablauius Ostrum,
Bifrontésque sacri fulminis ambit Aues.
I puer infelix: I *Simia* CONSTANTINI.
Indue Cæsaream cæsariate togam,

Induit: & longis resonat *singultibus* Aurum.
Poplitibus subitò tota fit AVLA *minor*.
Vix ea: cùm strictis coëunt mucronibus enses
In iugulum. hoc *punctum* est, GLORIA *sana*, tuum.

SCAZON LXVI.

Teredo Lauri, purpuræque bis tinctæ
(Semel tuo cruore) *Blatta*, Pomíque
Regalis, Imperíque *Vermis*, Ablaui:
Quid Flauiana sceptra mollis affectas?
Vesane regna. punieris à voto.
Pœna est, quod optas. Irruit repens miles,
Et ludibundi Cæsaris secat collum.
VAH! Improborum résque spéſque *decollant*.

LXVII.

Conuersa est in luctum Cithara mea.

Iob. 38.

FORTVNA ludit musicis,
Vt est perita, chordis.
Nunc fila *tendit* pollice,
Nunc *laxat* & remittit:
IRATA MOX TESTVDINEM
ALLIDIT AD SEPVLCRVM.
Hinc flebilis symphonia,
VLVLATVS Aulicorum.

67.

Diß alles gschicht / als wie man sagt /
Nach weiß der Lautenisten.
Sie schlagen lieblich auff den Tact /
Vnd wann man ist am besten:
So schlagt die Hand / dLaut an ein Wand /
Daß Trümmer darvon springen.
Diß ist das *la la sol sol fa*.
Das dHofleut allweil singen.

Dulce canens Siren (sed non innoxia Siren)
Fortuna has proprio ludit in Orbe vices.
Personat *in fidibus* scissis è tergore Regum;
Hi sunt deliræ mollia fila Lyræ.
Hos ferit, hos digitjs *subigit, versátque* micátque,
Non aliter citharâ quàm, GETA docte, tuâ.
A Cantu MOLLI sensim *tolluntur in Altum:*
In DVRVM *lapsu* mox *grauiore ruunt.*

Musica Regia

Cantu duro.

Et FORTVNA suas habet camœnas,
Audi; quid Philomela cæca rudat.
BelLAtor *Gilimer* SOLVTus arMIs,
SubLAto FA FAuoRE, REx ab auLA
LA Lapsus FA FAcit theatra MIMI
MIRE Mirifici FAmelicíque.
InFAMI MIseRE LAboRE LAsso
Da Panem, *Citharámque*, spongiámque.

Salue FORTVNA insignis Citharistria Regum,
Quæ tot delicias ingeniosa facis.
Ludere par impar, dextréque errare sinistra
Diceris, in *fidibus* mobilis, ínque *fide.*
Suauiter ordiris, sed primùm *in fine* notabit
Vespillo, cuius cœpta sit Oda toni.
Tympana quin etiam surgens *heroica* pulsas;
Dent modò, quam tundas, Aulica terga cutem.

SCENA.

Poëta, Scazon.

SCazon: Placétne, Syllabis ab Vndenis, modulatus ari barbitóque concentus? SCAZON. *Ni fallor, iste Dithyrambus agrestis, non expolitum rus olet nimis vile; phalerat nugas Musa, desipitque plus iusto, sapiens videri qua cupi*

Relin-

Relinquantur crotali puellis, & nuces, & obscura crepundiorum. Rhythmus ore prolapsus perstringit aurem: sed teterrimum Carmen, quod gratioso vulnerat sono mentem, intrátque pectus, id placebit & Phœbo. Vulgo probantur multa, quæ sagax nasus admota damnat. & tuâ quidem pace, quidquid notandas elegantias quærit, aut (si licebit sic loqui) minurizat: & otiosis in negotijs griphos, anagrammatismos mobiles, vel abstrusum ænigma ponit ac superbit, haud laudo. Plebs ista, plebs miratur; & scobem ferri fulgentis, aurum credit esse Pactoli è fonte fusum. Maior incubat vero Deus Poëta, maior Enius fibras implet rapitque. Poe. *Quî licenter hæc dicis, periculosa se dat alea, Scazon.* Sca. *Attendo.* Poe *nonne Amazones tuæ ludunt, & destinatas dulcè decoquunt rixas, apinásque miscent? dedecéntne ludicra inuenta Lusum Vanitatis explosa?* Sca. *Defendis istas pellices & excusas.* Poe. *Submissius Bœote, mitius Scazon.* Sca. *Atqui Secunda, vix videtur in castu numeranda Nymphis. tota semper argutat, & semper auguratur, & iocos cogit prodire septis, sæpe ne quidem salsos. Hoc fœminarum est. rebus haud modum figunt.* Poe. *Absiste Scazon, verba perdis, ad rhombum.*

Scazon LXVII.

Nónne *Aulicorum* vita, mira testvdo est?
Canunt & ipsi: flebilémque Fortuna
Lessum gubernat tristibus notis, pausis
Gradibúsque Scalae Musicæ. quot ex illa
Cecidere! sunt & crebriora seruanda
Svspiria *eheu* ... fila temperant Parcæ;
Quæ verberentur, verberata rumpantur.
Vah! *Aulicorum* vita, mira testvdo.

LXVIII.

Excelsa quoque timebunt & formidabunt in via Eccle. 12.

QVAE SVMMA SVNT, MOX CONCIDVNT,
ET RVRSVS IMA FIVNT.
Deiecta vidi surgere,
Vidi suprema labj.
Sternuntur alta culmina,
Non alta proteruntur.
Minora sponte corruunt,
Maiora vi premuntur.

68.

Wie vil auß jhnen scheint die Sonn/
Vnd geht bald wider zgnaden.
Steigt auff/ vnd ab: darzu/ darvon/
Hangt alles an eim Faden.
Was gar zu hoch/ fallt sampt dem joch/
Mit gwalt zu boden nider.
Dem kleinen ding/ vnd was so ring/
Ist jede Muck zuwider.

Prociduas strages & lapsum summa minantur,
Vt nunquam pronâ mons sine valle fuit.
Sæpe casa in turrim modulante Amphione creuit,
Inque vicem turris montibus æqua ruit.
EXIMIVM NIHIL EST. Præceps excelsa feruntur,
Planitiem pedibus ludicra turba ferit.
Parua suo strepitu rumpunt arbusta *cicada*.
MAGNA ferox circum-Sarmata-uentus agit.

Stent præsepia firmiora rupe:
Securum nihil est. Periculosè
Ceræ remigio secabis auras.
Hic RERVM modus est: cadunt caduca,

Et vel summa ruunt palatiorum,
Vasto turbine quassa, cum fragorè.
Viles attegias & inuolucra,
Sputum proterit Æoli iocantis.

Fama est, in summis habitare PERICVLA summa
Nubibus, & CASVS altiùs ire polo.
Vidi, qui factus fuerat *de Rhetore* CONSVL,
Et factus qui DE CONSVLE *Rhetor* erat.
Inuidiâ pallent miseróque timore Dynastæ:
Verna humilis, pœnæ est iam satis ipse sibi.
Pygmæo grus bella mouet, tollítque per auras:
Tota Gigantæum degrauat Ætna caput.

SCAZON LXVIII.

Quid vis in altum gloriosus extolli
Rotísque trochlesque Candidatorum?
Labére. prudens mitte celsa sectarj.
Honore fultum sæpe corruit pegma.
DOMINO CADENTE, SAEPE SERVVS ASCENDIT.
VIS ALTA, STERNIT ALTA; MAGNA, VIS MAGNA.
MAIORA, MAIOR; PARVA, QVIDQVID OCCVRRIT.
VAH! supra & infra, ponè & antè torquemur.

LXIX.

Recordare Domine, quid acciderit nobis. intuere & respice opprobrium nostrum.
In Thren. Ierem. 5.

Ad nostra transi tempora
Tot luctuosa Fatis;
Prorsus nihil Saturnia,
Ferréque duriora.

Quàm lubricâ vertigine!
EVROPA sola mutat
Collisa Regna mutuò
Quales *furunt furores!*

69.

Der Lust hat / schreitt zu vnser Zeit /
Da weder Stern / noch Friden /
Die nichts bringt / als groß Hertzenleyd /
Auß hartem Eysen gschmiden.
Vor Angst vnd Noth Europa tobt /
Schwindlet vnd trimbßlet vmbher.
In Krieg / Zwitracht / feindtlicher Macht /
Stirbt schier vor Layd vnd Kummer.

Quantùm ex voto credit nos fingere, retrò
Ad nostros Soles mentem oculósque ferat.
Quos neque Saturnos *rutilos*, neque Iuppiter *albos*,
Sed *nigros* Mauors ferreus esse dedit.
Sidoni, Teutonico quateris miseranda tumultu.
Sidoni, quàm malles à *Boue* rapta vehi!
Sidoni, ceritas peperisti EVROPA Puellas.
Ecce fremunt raucis OMNIA REGNA tubis.

Iam quid ferrea nostra clamat Aetas?
Clamat Stentoris ore: *Quis vel unum*
Saturni meliore de moneta,
Prisci temporis AVREVM *reducat?*
EVROPEN, nisi Bos amatus olim
Portet trans maris vltimi recessum;
Submerget rapidò procella fluctu,
Et mors obruet atra, Matisque luctu.

Transeat ad nostris famosum luctibus æuum,
Qui queritur falsò Nos, nimiúmque, queri.
Præmoneo? tantùm non aurea secula speret.
Ferrea sunt, *ferro* ferrea tota rigent.
Eheu! in terram refluis Europa capillis
Ambulat, & versos tendit ad astra pedes.

In se regna ruunt, totos iaculantia montes.
Non alius Lapithas traxit in arma furor.

Scazon LXIX.

Tardus moueri, qui negabit, inquirat,
Æuíque nostri discat experimenta.
Vbi nulla flauis mella murmurant bullis,
Frugésue tellus non arata producit.
Nec vua gemmas lachrymatur iniussa,
Auróue siluæ prægrauantur & nutant,
Sed tota ferro cincta sæuit *Europe*.
Ah! in parentem (Regna) Filiæ surgunt.

LXX.

Plorans plorauit in nocte, & lachryma eius in maxillis eius: non est, qui consoletur eam ex omnibus Charis eius.

Thren 1.

In vnica Germania
Quid defuit malorum?
Quam mira *Lustra quatuor*
Vicissitvdo torsit.
Nudata dorsum vapulat
Immanibus flagellis:
Suisque plorat naufraga
In sanguinis procellis.

70.

Gantz Teutschlandt seufftzt in diser plag /
Gar offt / nit-nur bißweilen.
Es wehrt schier ewig dise klag /
Wer will den Schaden hailen?
Ich main man hab jhr gmacht das Grab /
Bsech ainer die Blutstraimen:
So grosse Wundt / das man leicht fundt
Ein gantzes Brett fürleimen.

Inter Centauros, credo, Germania vixit:
Tam malè confuso flebilis ore redit.
Cæditur; *hinc illæ lachrymæ:* & trieteride sextâ
Cæditur, & diris cæditur vsque flagris.
Audio deformes tergo stridere catenas.
Horribiles ictus, vt catapulta, sonant.
Vomicis in morem rapidus cruor effluit. Ister
Fumat, & à tabo Molda, Lycúsque, calent.

Intra Teutoniæ cubile. vise
REGINAM *furiâ doloris* ægram.
Iam vigesima quarta Bruma ningit;
Ex quo, Tisiphone mouente taxum,
Est crudelibus vstulata flammis.
In se more phreneticæ ruentis,
Toto corpore sauciata sæuit.
Non est tam PLAGA, quàm cruenta *Plaga.*

REGNA: quid à vestris Soror ah! GERMANIA telis
(Et *germana* Soror, támque venusta) petit?
Num quisquam in proprio lasciuit sanguine? sed v
Quot lustris agitat tam furiosa Venus!
Crudeles! quid enim video lacerata papilla est;
A scapulis cæsis nautica lota rubent.
Crudeles! tota est VNVM Germania vulnus;
Mentitur, *quisquis *vulnera*, dicit, *habet.*

SCAZON LXX.

Non te ferocis ad Borysthenis flumen
Remitto. testis *copiosus* est RHENVS.
Alemannus Amnis, & *puerperis* notus.
Hic insolentis fert imaginem luctûs.
Cornutus antè, nunc recusus à fronte.
Illimis antè, nunc rubore confusus
Amisit vrnam, plenus vlcerum tabe.
Ah! vinctæ crines sanguinantibus *Cannis:*

71. He

LXXI.

Hæc quoq; vidi in diebus Vanitatis meæ. Iuſtus perit in iuſtitia ſua & impius multo viuit tempore in malitia ſua.

Eccleſ. 7.

Vrgete nimbi lumina,
Et irrigate vultum:
Vt verna nix in flumina
Palpebra colliqueſce.
Pectus lacerti tundite,
Malas arare pugni:
Vt ALLEMANNAE PATRIAE
HEROIBVS parentem.

71.

Gantz Zäherbäch vnd Augenflüß
Möcht ich von mir außgiessen:
Wie Schnee möcht ich zerzehn vmb diß/
Was jetzt mein Hertz thut schliessen
Ihr Händ schlagt zu/ laßt mir kein ruhe/
Daß Layde ist groß bey frommen:
Weil in dem Feld/ so mancher Held/
Der zeiten ist vmbkommen.

Threni

Currite plorati viuo de lumine fontes,
Quartos ſepteno *Nilus* ab ore pluit.
In mare molle caput, crines vertantur in vndas,
Fróńſque pruinoſis humida ſtillet aquis.
Cur ceſſas ignaua manus, quid in otia pendes?
Debuerant pugnis iam rubuiſſe genæ.
Neſcis, quos animo luctus, quæ funera voluam?
Funera: quæ gremio Teutonis Ora tegit.

Bini vos Oculi, GEMELLE CASTOR,
Pars noſtri meliórque molliórque;

Si, qui vos rogat, *intimâ* Poëtam
Stellâ diligitis; mouete fonteis,
Frænis fundite lachrymas solutis.
O! nimbos date, Pleiadúmque fletus.
O! emittite, quidquid est liquoris.
Tristeis inferias paramus VMBRIS.

Acis ero: namque est Acis mutatus in amnem.
In noua Byblis ijt flumina, BYBLIS ero.
Lugendum est; stagnate oculi, stagnate refusis
Fontibus: in lachrymas lumina liquiminor.
Lugendum est: vngues sulcis inuertite vultum.
Hos orbes stellis euacuate manus.
Ense parentandum est Germanis Manibus, ense;
Tabóque hostili TVMBA lauanda Ducum.

SCAZON LXXI.

Nondum per vdum labitur Thetis lumen!
Huc exsolutæ tabidam niuem Brumæ,
Huc, Pinde, verte. voluat Hebrus æstiua
In os fluenta. totus æquoris fiam,
Tegámque campos euagantibus riuis.
Atrate Scazon, quin *cucurbitas* grandeis
Dentásque lachrymaris in sepulcreto?
Ah! occidêre Teutonum tot HEROES!

LXXII.

Hæc fecerunt tres robustissimi.
2. Reg 33.

Iacésne Dux fortissime,
TAMPIERE Lotharinge?
BVQVOYVS ergo vulnerum
Perfusus imbre vixit?

Ah!

Ah! cerno PAPPENHEMII
Mixtam iacere Caluam.
Sed hæc *triumphis* omnibus
ARMATA gaudet VMBRA.

72.

Vor Preſburg gſchach diſt Niderlag
Deß Tamplers an dem Graben.
Deß Buquons Fall Newhäußlen ſag /
Was Wunden er ſoll haben.
O Pappenhaim! O Pappenhaim!
Zwaymal thu ich dich nennen:
Biſts gar wol werth / an deinem Schwerdt /
Muß man ein Kämpffer kennen.

Pannoniæ terror, poſitis *Tampierius* armis,
Nunc in ſarcophago flebilis Vmbra iacet.
Bellica *Buquoyum* nubes, & ferreus imber
Obruit ad tumulos, terra Bohema, tuos.
Henricus, cuius facies fuit vna cicatrix,
Pappennhemiacæ Conditor Hiſtoriæ;
Ille quoque exiguâ preſſus componitur arcâ,
Orbe tamen toto LIBERA FAMA volat.

TAMPIER mortuus: & vetabor omni
Tantum condere funus apparatu?
BVQVOYVS tumulatus; & vetabor
Immugire ferociùs ſepulto?
PAPPENNHEMIVS, ille Vandalorum
Terror, Martia ſeculi voluptas,
Eheu! mortuus: & vetabor iram
Fletu mergere tigridi pauendam!

Accedo ad Tumulos; & te, Tampiere, ſaluto:
Cuius defleuit Marſpiter ipſe necem.
Quæ Buquoyani tegit arida Corporis oſſa,
Vrbs illis verè eſt tunc NOVA viſa DOMVS.
Et tu Germanis etiam ſine carmine note,
Qui de vulneribus nobile nomen habes;

Tu

Tu quoque (prorumpunt lacrymæ) Bellator ab hoſte
Cæſus, apud Maneis, DVX ALEMANNE, manes.

SCAZON LXXII.

An commouebo Saxa MercurI virgâ?
Prodite ſacri TAMPIERII Manes,
Vt vos honoret horreátque Presburgum.
Prodite Manes CAROLI, ſepultíque
Mauors coronet fortis oſſa BVQVOII
Prodite tandem, ſtanneâ vel in tumba
Sueco timendi PAPPENHEMII Manes.
Ah! ergo & AIAX iſte noſter occiſus!

LXXIII.

Gloriam adeptus eſt in tollendo manus ſuas, &
iactando contra Ciuitates rhomphaeas.
Quis ante illum ſic reſtitit?
Eccli. 46.

Et *Tu* iaces in puluere
TILLI verende TILLI.
Veſtite tot victorijs,
Quot denſa barba canis;
Equis in vrbem candidis,
Alto vehende curru:
Vatum ſacris horroribus
TILLI canende TILLI.

73.

Vnd du ſo gar / wie kans doch ſeyn /
Du Tilly biſt geſtorben:
Wiewol auß allen in gemein
Ein Helden Nam erworben,

Ach welcher wirdt / wie sichs gebührt
Dich mit Triumph belohnen.
Phœbus thuts best / Gott ist der mehst /
Du Glory der Wallonen.

Quæ Fati-rerúmque vices! & Tillius ictus,
Vindelicos celebres vulnere fecit agros.
Ille triumphorum Martis certissimus Heres;
Ille decus belli, *Cassis* & *Vmbo* Ducum.
Ille in Tarpeias arces soliúmque Quirini,
Quadriiugis, mistâ plebe, vehendus equis.
Ille labor Varum: cui nec cantatus Achilles
Par sit & Æneas; vix Gedeone minor.

Eheu! Tillivs vndequaque Magnvs,
Famâ, nomine, rebus; Imperare
Et parére suis sibíque doctus:
Qui totus *caput*, & *manus*, & *ensis*;
Quouis tempore, fertiles ab hostis
Fuso sanguine *messuit* triumphos.
Hic Ingolstadij, iacens in arcâ,
Sex intra spativm pedvm tenetvr.

Rumpe dolor leges, & habenas sperne pudoris;
Mortuus in pheretro Tillivs ipse iacet.
Cui *bene dotatis* Victoria nupserat oris,
Ad bellatorem ducta puella Virum.
Ex qua tot genuit fœcundâ coniuge Natos,
Quot Capitolinum spicula numen habet.
Nunc nunc Herois cane Musa, vt Statius olim;
Qua super imposito, aut *Magnanimum Æaci-den*, &c.

Scazon LXXIII.

Et tu *caballo vecte candido* Tilli,
Quem duplicatis *induit* sagis Virtus;
Manúque duxit per cruenta nimborum,
Per & profunda vulnerum; per & clara
vicio-

Victoriarum, culmen ad Quirinale:
Iaces. iacentem funebri toro vidi.
Sed Fama, VATVM *tibijs* stat, & stabit.
Ah! nullus Orpheûs excitauerit surdum.

LXXIV.

Quomodo ceciderunt fortes in prælio? quomodo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica? 2. Reg. 1.

O! vera belli numina,
Et inuocanda castris:
Delapsa cælo *Fulmina*
In hostium phalangas:
Quis non manus exhorruit?
Quis terga vestra vidit?
NVNC VANA, VANA NOMINA,
NVNC VANA, VANA, VANA.

74.

O ritterinässigs Löwenbluet.
O Männer / wie die Götter!
Die der Feindt gforchten wie ein Ructh /
Ja wie das wilde Wetter.
Bey Sonnenschein habts gschlagen drein /
Biß alle vnderlagen:
Jetzt! Maul schweig still / sags wer da will:
Ich kan vnd mags nit sagen.

Semidei Manes, magníque ô numinis instar,
Sub quorum pedibus terra Alemanna iacet.
Quali vos titulo venerer vel nomine? VIRTVS
Vestra fuit *fulmen*, GLORIA *fulgur* erat.
Inde timor tantus titubantem perculit hostem:
Ipsos in vobis sensit adesse *Ioues*.

Quos mea Musa crepas? vbi sunt tua Numina? quorum
Gloria fulgur erat, sed *breue fulgur* erat!

Hi, Germania, Dij tui, fuerunt.
His subnixa tuos virilis hosteis
Sternebas, pede colla proterente.
Horum cura, labor, breuésque somni,
Potúsque *è galea* rubente Rhenus,
Strictos in iugulum latúsque Regni
Mucrones pepulere. Sed fuerunt
Hi, Germánia, Dij tui, FVERVNT.

Trophæa.

Manes: per quorum cineres iurare licebit,
Dicerѐque; *Istius sic iuuet Vmbra Ducis:*
Sique sciens fallam, Fulmen me verberet illud,
Quod Cimbros strauit, quo fuit icta Praga:
Quo, cùm mille locis strages daret, aspera Virgo
Denique tacta ruit PARTHENO *fusca* POLIS.
Me miserum! cur inuitus suspiro? quid vror
Fletibus? ô mecum, Lector amice, geme.

SCAZON LXXIV.

Hæc est *Quadriga Quattuor Ducum*, Martis
Armata sedes, Cæsarúmque Regúmque.
Falcata strauit obuios, scidit, rupit:
Supérque dorsum perduellium tracta
Sulcauit hostes, & cadentibus truncis
Impegit axes lata *fulminatrices.*
Galeate SCAZON, pone gloriæ cristas.
VAH! quam Quadrigam laudibus *rotas*, fracta est.

75. Id.

LXXV.

Idcirco vnus interitus est hominis & iumentorum, & aqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriantur. Eccles. 3.

FATVM, FATVMQVE SCILICET,
VT NIL PERENNE DVRET,
Thoraca, cristas, balthea,
Et cassides & enses.
Nexásque captis vrbibus,
Vt annulis, catenas;
Coërcet arca funebris,
Et *parua tæda* condit.

75.

Das klag ich / daß nichts ewig sey /
Alls müeß am Roßhar hangen.
Gantz Regiment / die Stuck darbey /
Standarten / Spieß vnd Stangen:
Postwerck vnd Stätt / Helm / vnd Tremmel /
Das Roß mit sampt dem Reiter:
Deckt alles zu / ein Sarch drey Schuch /
Vnd nit bald etwas weiter.

Seriùs aduerto, quàm duras *Diphtera* leges
Explicet; IN FATIS EST, PERIISSE SEMEL.
Arma feras quæcunque potes: galeámque comásque
Ensémque & clypeos obruet alta specus.
Bella geras quæcunque cupis: vexilla virósque,
Et plaustra & lituos hauriet vna palus.
Prosternas, quæcunque feris; SIMVL OMNIA TANDEM
VICTOREM ET VICTVM, PARVVLA FOSSA TEGET.

Si mutabile credis esse Fatum:
Fato falleris. In chaos profundum

VR-

Vergunt omnia. Bella, cassis, hastæ,
Loricæque, ocreæque, & Africanæ
Cristæ cum lituis ephippiisque,
Vnâ sandapilâ, sub angiportu,
Congestis simul obruuntur armis.
Pendent Signifero *iacente* Signa.

Vsque adeò Fatis omnes vrgemur iniquis,
Vt nihil ætatem ferrea ferre sinant.
Miles es, & longo cristarum fulgure ventos
Perfuris, & pedibus sparsa orichalca quatis:
Incendis Troiam, & Magden lachrymabile burgum,
In *digitis* numeras prælia gesta tuis.
Ah! cessa numerare tuos, MARCELLE, triumphos.
Vltimus in tumulum, te subeunte, cadet.

SCAZON LXXV.

STAT LEGE FIXVM, QVA CAVETVR, VT NVLLIS
FAS SIT TRIVMPHIS MILITVM PERENNARE.
Vlyssem Achillis, atque Vlyssis Aiacem,
Et baltheorum fulgur, & lacertosos
Belli Milones, & Milonis vmbones,
Ipsúmque Bellum cum fremente Bellona,
SVFFOCAT VNA FOSSA, TRES PEDES LATA.
VAH! MAGNA sæpe *pumilo* necat VOTA.

LXXVI.

Derelicti sumus pauci de pluribus,
Ierem. 42.

Si conciderunt Hectores,
Quid non Paris timebit?
Expende sis superstites
A prælio PRAGENSI,

Duc

Duc calculos, & computa;
Vexilla quot recenses?
Ter dena? *suffla.* ter tria?
Suffla. sed octo? *suffla!*

76.

Weil disen vier die Büx versagt /
Kans einen billich kräncken.
Wann ich der Burst / die Waffen tragt /
Von Prager Schlacht will dencken.
Summier vnd reit / was noch für Leut
Zum Fahnen sich verbinden.
Wird vberal / ein gringe Zahl /
Mundiert im Läger finden.

Magnanimi timidíque cadunt, nec parcitur vlli,
Prouiuant acies, si periere Duces?
Heu! quantas olim cataphracta *Bohemia*, quantas
Vidit in Albano castra locare iugo!
Grandine quàm densâ Boreas morientia tundit
Gramina; tot gladijs vulneribúsque pluit.
Nempe *nouus Xerxes* veterem reuocauit ab Orco,
Victus hic ad Pragam est; ad Salamina prior.

Vulsis stirpitus erutísque CEDRIS,
Quid sperent salices, frutex, myricæ?
Cæsis Æacidis, VIRENTE LIGNO
Quid *Tros* lixa? quid arefacta *Ficus*?
Armatas animo reuolue turmas,
Quas sub pellibus excubare vidit
Marcomannia. quot triariorum
Restant millia? *nulla.* nulla? *nulla.*

Et versetur apud Superos Paris Hectore cæso?
Et manet cæso viuus Achille Paris?
Ordine fata meant. ex quo Pragense trophæum
BOICVS armipotens ÆMILIANVS habet;

Quære!

Quære: quot ex Alis *pennarum* millia restent,
Stella quibus pugnæ præuia signa dedit.
Bis duo, sunt quatuor: bis quattuor, octo: bis octo
Bis duplica, numerum quem data summa (*facit*

Scazon LXXVI.

Commune vulnus Fata diuidunt. forteis
Viros, ad vmbras grex sequetur imbellis.
Quot Praga triplex atque Molda muscosis
Infusa ripis censuit Duces, signa
Exercitúsque; cùm Leone Bororvm
Hinc rvgiente terra mouit hostilis!
Hinc plena messis fluctuauit in campo.
Vah! culmi *inanes* Mortis Horrevm stipant!

LXXVII.

Vanitate seducti sumus. 2. Esdr. 1.

Protrusit alter alterum
Ad fata; bella, cædes:
Altérque se post alterum
Subduxit è Theatro.
Cùm cæteri catastrophen
Scenámque finiissent;
Novvm dedit Spectacvlvm
Balaena grandis Orbi.

77.

Ein Fuchs hat gfuchst den andern Fuchs /
Daß er in Harnisch gschloffen:
Flucks kamen sie / vnd aber flucks
Hats auch das Vnglück troffen.
Nach dem die sach (als wie der Schach)
Von dem vnd dem zertragen /
Hat er letzlich praph auch Schwed Gustaph
Im Spil eins dörffen wagen.

Sie

Sic est. exemplis populi plerique trahuntur;
Præluxitque facem, qui prior arma tulit.
Ergo aliquid Gyaris dignum, quos Spes agit, auden
Et modò Rex, modò fæx; iste modò, ille modò.
Non poterat meliùs *Sophoclæa Tragœdia* ludi:
Fingere nil potuit tristius Euripides.
Vnus post alium dixitque, obiitque. Sed inter
Præcipuos, SVECVS *Roscius* Actor erat.

Sic quondam Gladiator in Palæstra,
Alter sustulit alterum, remittens
Vicino *spoliario* cadauer.
Et nos retia RETIARIORVM,
Currus vidimus ESSEDARIORVM,
Cæcos ANDABATAS, vagósque THRECES;
Cæsis HOPLOMACHIS, & his & illis,
MYRMILLO noua SVECVS arma sumpsit.

Alterna.

Aspicite Orchestram, Germanorúmque Theatrum,
In quo lusa diu Fabula *Bella* fuit.
Non omnes lusere simul; simul vnus & alter:
Post alios alij; semper in Orbe noui.
Legatum Tubicen, Soccum excepere Cothurni;
Cœpit ad extremum *serius* esse *Iocus*.
At varia à multis postquam Persona peracta est;
Ecce tibi, in Scena NAVTA repentè stetit.

SCAZON LXXVII.

Vt stans ad amnem, si vel vnicus tranet
Taurus, sequuntur tota plebis armenta.
Sic prouocati mugientibus primis,
Remugientes dira bella bellârunt.
Amplexus vlnis arma Vulgus ambabus
Effudit iras; cúmque bobus & bubus
Animam profudit, his ab hoste porrectis
Vah! quanta ab *Alto* SQVAMMA terruit Ripa

78. Et

LXXVIII.

Et tranſiui, & ecce non erat.
Pſal. 36.

QVINTO Choragus Sueciæ
Prodire cœpit ACTV.
GVSTAVVS *Alto* turgidus,
Et ſpe *laborioſa*;
Audax *Iaſon* FABVLAM
EGIT duobus annis.
Sed mox COTHVRNOS exuit,
Quos induiſſe nollet.

78.

Der letzt Herold im fünfften Act
Spricht auff / will alls erzetten.
Hat ſein Perſon gantz vnverzagt
Auff hohen Schuch vertretten.
Zway Jahr hats gwehrt / daß er gerhrt /
Vil Rumplens angefangen.
Drauff bricht der Stab: gleich Klaider ab:
Nichts beſſers / als haimb gangen.

Ille ſub extremum, quo tempore ventilat ignes
Heſperus, in Scenam venit anhelus eques;
Terribilis, vultúmque tumens Aquilone minaci
Quod mirere tamen, *ſerica* verba dabat.
Sed fictos riſus veras mox ſoluit in iras;
Durauítque duos ACTIO TOTA dies.
Cùm ſubitò cecidit, cum plauſu exploditur ACTOR
In Lycio campo dixit, & occubuit.

Topanta.

SVECVS *Suppoſititius* ſibi ipſi,
Et *Threces* ſimul, & ſimul *Secutor*,
Et *naui* celer, & celer *quadriga*,
In *plano* metuendus, *eſſedóque*,

Totuus *cassida*, sæuus & *tridente*;
Postquam millia perculit trecenta,
Vno succubuit peremtus ictu.
ET SIC FABVLA DESIIT VIDERI.

Somnium.

Is SVECVS GVSTAVVS erat; qui plurimus *Actu*
Quinto, cæruleos æquore plausit equos.
Mira quoque exhibuit: nam ludebatur *Iason.*
Balthica iurasses Remige stagna quati.
Insula flagrabat non vna; Ceraunia fundo
Eruta, Nereides succubuere procis.
Dum petitur VELLVS; dum luditur; ACTOR ab hoste
Cæditur, heic nox est. *Ite domum satura*

SCAZON LXXVIII.

GVSTAVVS illâ belluosus in pompa,
Multæque formæ Proteus; *Bouis stellâ*
Cornúque fortis, atque *Morte* stipatus;
Romana postquam Prata vidit ingressus;
Vastùm beauit, & repleuit Europen:
Quam militari *ventilauit* in Circo;
Vnóque demum corruit Popæ pulsu;
VAH! in *securim*, dum cucurrit, impactus.

LXXIX.

Transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur, Sap. II.

Sic omnis *aura* gloriæ
Afflantis *euaporat.*
Cum nubibus consumitur,
Cum nubibus rotatur.
Formas in omneis vertitur;
Extrema, *Nil* vocatur.

O!

Ô! QVANTA SPES MORTALIVM
POST VOTA STRANGVLATVR!

79.

O Hoffart/ wie lang wehrt dein Kampff/
Dein Ehr / dein Pomp / dein Dichten?
Endtlich verschwindst wie Rauch vnd Dampff/
Im Gwülck verjagt zu nichten.
In alle Gstalt verkehr dein Gwalt /
Laß dich nur wacker loben.
Wünsch was du wilt / dann wünschen gilt /
Erlangen stehe weit oben.

Sic statuat, quicunque sapit. VANA, OMNIA VANA.
Vana *Fides*, vana est *Gloria*, vanus *Honor*.
Crescit in hydropem, tumidáque repletur ab aura;
ET TOTVM PELAGVS MAXIMA VOTA BIBVNT.
Dic quid *Honor*? glacies, vitrum, cinis, amphora, concha.
Quid? fallax Iris, gemmea bulla, *Nihil*.
I nunc, & velis ventos maioribus hauri:
Sed caue, ne Ponto sparsa carina natet.

Vt quemcunque sacro sinu THALIA
Infantem tulit, atque vagientem
Tinxit nectare lacteæ papillæ;
Contactu manuum pedúmque palpet
Vanæ emblemata vana Vanitatis.
Ventorum iocus illa sunt in auras
Omnis fastus abit. *cuniculosa*
SPES, vt Luna, *timet suas eclipses*.

Clausula.

Ludimus? an sphynges & nos proponimus Orbi?
Qui reperis sensum; GLORIA, dic, *Vapor est*.
Nulla manet constans, vt Cemica labitur vmbra,
A vento facilis prætereunte rapi.
Nubem nunc Aquilam fieri, nunc esse draconem
Sæpe vides; sed cum vanuit, esse *nihil*.

Ipsa quoque, nunc Britonum, sibi nunc Regina videtu
Indorum; demum se videt esse NIHIL.

SCAZON LXXIX.

Hæc bracteatæ digna GLORIAE merces,
Stylúsque VANAE CVRIAE. vapor transit,
Et cum vapore fama. splendet immensa
Ampulla plena Nominis. natant verba
In lacte puro; litteræque promissis
Argenteæ *incrustantur* inuerecundis.
Valles vouentur gemmeæ, aurei montes.
VAH! stulta vota Dij Deæque derident.

LXXX.

Omnia tempus habent, & suis spatijs transe-unt vniuersa sub cælo. Eccles. 3.

Hac lege quædam condita,
Vt occidant in ortu.
Sensim peritur. interit
Res interire nata.
Omnes ad hæc SVSPIRIA
Ducuntur aut *trahuntur*;
Suis *Comati* crinibus,
Rudentibúsque *Calui*.

80.

Was auffgeht / das muß nidergehn /
Ist schon ein alts herkommen.
Das Berglin / gleichwol in der höch /
Wird nach vnd nach abgnommen.
Gib dich nur drein / weils doch muß seyn /
Kein Fürst kans anderst machen.
Der will / der thus; der nit will muß:
Keim thut man Küchlein bachen.

Si

Si potes, accuſa Superos, qui cuncta coërcent,
Inque breui ſpatio non diuturna rotant.
Diſce. *quod Eſt, ſenſim fluit ad non Eſſe*, períſque.
Omnia, ceu fungos, mors inopina metit.
Quamuis ad Tanaim fugias, neque *nota* COLVMBO
Littora, te retrahet, neſcia ferre moras.
Obſequere; allidit *Caluos* in ſaxa; *Comatos*
Vellicat. Hæc mens eſt optima, VELLE MORI.

Paræneſis.

MORTALIS, QVOD ES, ESTO, NILQVE MALIS:
Hoc Natura dedit ſeuera nomen,
Non caſſum vel inane; VERA RES EST.
Vitam reddere, DEBITVM vocabis.
Nullâ ſolue morâ. caue, coacto
Vt Proſerpina tondeat capillos.
Sponte occurre; vocantibúſque Fatis
Reſponde intrepidus: *Vocatú?* ADSVM.

Omnia ad interitum vergunt: occaſus ab ortu
Pendet, ab aurorâ veſpera, nóxque die.
Nec quia non ſubitò, neque primâ, exſtingueris horâ,
Tutus es à decima, quæ decimámque præit.
Fortè breui veniet; Venit; Parere neceſſe eſt.
Ducendúſne manu, an fune trahendus eris?
Mors nulli parcit. MACROS ſua frangit in oſſa;
PINGVES, vt botros exprimit, aut peponem.

SCAZON LXXX.

Alterutrum.

Luſtrare Fata cui licebit arcana:
Cognoſcet ille rebus omnibus finem,
Noctem diebus ſemper eſſe decretam.
NASCI, PERIRE; VIVERE AC MORI, PLENA
ET TOTA, NEC MVTANDA SVMMA SVMMARVM EST.
Non ſponte vadis? coget improbus lictor.

Præcurris illum? te ſequetur à tergo.
VAH! ſeu ſequatur, ſeu ſequare, procumbes.

LXXXI.

Non habemus hîc permanentem Ciuitatem,
Ad Hebr. 13.

Erratis, ô ADAMIDAE
Saxo lutóue ficti;
Si firmitatem quæritis
In vitrea moneta,
Veſtras *caſas* in orbitam
Diuerſa Fata gyrant;
Gyrantur vt mapalia
Fugacium Scytharum.

81.

Es iſt deß gantzen Himmels gfehlt /
Loßt zu jhr Adamskinder /
Wann jhr ſtarck ſeyn vermaint die Zelt /
So bawen arme Sünder.
In Gottes Handt / ſteht ewer Pfandt /
Habt lauter Bawrenhütten /
Die weht er / wo er will / wie Stro /
Hilfft weder gwalt noch bitten.

Vſque adeóne iuuat falli, & ſuccumbere culpæ!
Dicite Mortales Deucalione ſati.
Atqui falluntur, qui ſplendida fragmina vitri
Præponunt gemmis, marmoribúſque lutum.
Qui fragiles tabulas & ſtructa cubilia culmo,
Credunt à nullo diſſoluenda Noto.
Ah miſeri! in Scythicis malim dormire grabatis
Quos *decies* vno Gens rotat iſta die.

PYRRHAE POSTERITAS, amica ſaxis,
E quorum caluit ſatu; videtur

Omnem

Omnem *dilapidâſſe* mentis vſum.
Concretam glaciem mariſque ſpumam
Præfert grandibus Indiæ ſmaragdis.
Putrem claſſibus anteponit alnum.
Quas arceis fabricantur hi coloni,
Sunt magalia mobilis Geloni.

Quæ non eſt ſimplex obtuſæ inſania mentis;
Errores aliquis decipiendus amat:
Et ſi vendis, emat. turres imponit arenæ,
Et paleas rigidi marmoris inſtar habet.
Tanquam ſi nullis (ô Daue!) obnoxia fatis,
Tecta meris ſtipulis ædificata forent.
Cùm tamen à vernâ ſuſpenſus *hirundine* nidus,
Tutior & profugi ſit caſa *Maſſageta*.

SCAZON LXXXI.

Syllogizans.

Contra hæc ita argumentor.
Ille, qui vitro imponit arceis, ſtultus eſt.
Sed imponit homo fumiuoſus.
Ergo.
Maior eſt certa. Minor probatur.
Qui palatium fundat ſaxis, arenâ fundat.
Ergo.
Nam marmor quodcunque, arena eſt,
qualis & vitrum eſt.
Vnde concludo:
Nil diſtare Cæſarum ſedes
à ſede Thracum vel caſâ Scytharum.
VAH!

SCENA.

Poëta, Scazon.

TOrpere Seazon, & remissior neruum arcu notarii defluente laxasse. SCAZON. *Quis me lacessit?* POE. *Qualibus Tropis linguam, quibus imbuisti floribus, peregrina, nisi fallor, Artis, qua Thalia tam pulcros accendit igneis syllabásque Romanas variauit Iris & colore conspersit?* SCA. *Vxas amarè.* POE. *Putidissimè verbis abusus, argumenta Stoico more, stringísque pugno coniicisque compresso. Aperta Palma Rhetorum Poëtarúmque & explicata, liberaliter donat facundia diffusioris ornatum. At tu Sophorum legibus capistratus librata torques sensa mentis amento, velut sagittam. non abominor Sectam: (suum cuique quàm virile, tam pulcrum) verùm Poësi nunc fauere debebas, Hera minister. Tempori, Loco, Circo, Scenis, Arena fabulam suam Prisci accommodarunt. Æra non lupinis, aut caudas equinas miscuere vulpinis. Id, quod* decorum, *seu* πρέπον *vocarunt. Tu perdidisti nomen.* SCA. *Hoc habe Scazon.*

LXXXII.

Luxit & defluxit terra, & infirmata est. defluxit Orbis. Esdr. 24.

En totus ORBIS turbine
Quassatur & laborat.
Vix ipse nunc se sustinet
Compage dissolutâ;
Rugis & annis obsitus,
Gibbosus & vacillans:
Iam iam vehendus *(suaserim)*
NAVLVM dedit CHARONTI.

82.

Sichst nit den gantzen Erdenkraiß
Erschüttlet vnd zerspalten?
Die Kugel bricht / fehlt noch ein kleins /
Kan sich kaum länger halten.
Aller veralt / vnd vngestalt /
Wirdt wol kein Himmel tragen.
O! Welt wisch auff / es steht dir drauff
Der letzte halbe Batzen.

Totus anhela trahit trepidans suspiria MVNDVS:
Hectica seu febris, siue maligna coquit.
Aspice, quàm tenui facie decrescat: vt ora
Squalidus ex senio puluerulenta gerat.
Vt gelidam frontem ducto sulcetur aratro;
Vt caput obstipum pendeat in silices.
Exclamare lubet: *mediam pertundite venam*
O medici! Mundus cras, puto, funus erit.

Audis? Terra mouet: tremunt solutis
Costæ ponderibus, vapore clauso
Subsultant iuga: silua migrat; Amnes
Effusis phialis nigri recedunt.
Valles ædificant; ad ima montes
Lapsi præcipitant. vacillat Orbis.
Conuaset. noto signa finiendi.
CRAS Corui crocitant. *petunt cadauer.*

De casulis loquimur; cùm tota hæc MACHINA nutet;
Inque modum titubet tortilis acta pilæ!
Antè, Globus fuerat: nunc sunt quadrata rotundis
Mixta; *nec est Orbis, qui priùs orbis erat.*
Non ita fætet anus deformis & vnica rugas
Non ita vulneribus Marsya scissus hiat.
Si bene cognoui morbum, vitalia rumpet;
Venturóque animam vespere MVNDVS aget.

SCAZON LXXXII.

De *Microcosmi* firmitate quid speres?
Si *Macrocosmus*, TOTVS ORBIS, inclinat,
Deuexioris mole pressus ætatis.
Capularis effœtúsque, fissa, lipporum
Silicerniorum more, labra detorquet.
Et iam fatiscit, dissilit, crepat, tussit.
Miserande *Labes*, & caduce tot morbis!
VAH! quis cadauer istud obteget cespes!

LXXXIII.

Scimus enim, quod omnis Creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc.
Ad Rom. 8.

ELEMENTA rerum diffident,
Secúmque præliantur.
Aquæ dolent ab ignibus,
Occidit vnda flammas.
Clangore credas buccinam
Ad arma concitare:
Impacta tantis viribus
Tunduntur & retundunt.

83.

Es wüten die vier Element /
Will eins das ander tödten.
Im Wasser hat das Fewr sein Endt;
Fewr will das Wasser nothen.
Nit anderst als wanns vmb den Hals
Vnd Ohren Lärmen schlügen:
Mit solchem grim / gantz vngestim /
Thuns gegen ander kriegen.

Quis

Quis furor inuasit primarum Corpora rerum?
Quàm rapidum bellum bruta elementa mouent!
Deuorat ignis aquas, & aquis exstinguitur ignis.
Perpetuas cædes ista duella trahunt.
TILLIVS & SVECVS non hoc confligere motu;
Et minor est rabies, LIPSIA, visa tibi.
Non exspectatis lituis ad bella feruntur.
Fit via vi. leges cedite. *fit via vi.*

Audis classica? prouocantur ære
Ad pugnas Elementa Martiales.
Concurrunt animis acerba tantis:
Quantis cum Machomete Persa, LVNA
CVM NON SOLE SVO. Pyropus vndis
Immissus furit: &, salis marini
Si vel guttula *vexet*, vltor Ignis
Inflammatur, & excitatur irâ.

Tessaromachia.

Alternant Elementa vices aduersa, manúque
Prælia, quâ possunt, insidiosa gerunt.
Tellurem mare vastat, & hoc mutatur in auras;
Vnda domat flammas, & domat ignis aquas.
Tam rapidè nunquam vidi concurrere tauros,
Cùm nouus in pingui mugit adulter agro.
Sed neque tam gladio, quàm solo corpore pugnant;
Cuique dat innatus proxima tela furor.

SCAZON LXXXIII.

Elementa pugnant, irruúntque *quadratâ*
Acie sonora, séque fixa discerpunt.
Quæ caussa motus concitauit hostileis?
Audis fragorem? stridet ignis & sæuit
Exulceratis fluctibus fauillarum.
Tethys vicissim ringitur. canis gallo,
Et iuncta serpens simiæ, minùs se, VAE,
Odere in ipso *culeo*, quid exspectes?

LXXXIV.

Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Coloss. 8.

Quæ Mens superbit ardua
Tales pati tumultus;
Consurgat, & sublimiùs
Euecta libret alas:
Terris relictis æthera
Nullo morante tranet.
Quà Virgo *libram* spiceo
Serena mulcet astro.

84.

Wach auff mein Seel / mein Seel wach auff /
Wilst disem Krieg entrinnen:
Mit Taubenflüglen thue dich nauff
Weit von der Erden schwingen.
Wo schnell vnd bhend das Firmament
Vmbgweltzt die Nacht verkündet:
Wo bey der Waag / den schönsten Tag
Ein Jungefraw angezündet.

Desperanda quies homini, qui pondere pressus
Viuit in hoc liteis multiplicante Foro.
Ergo age, quem lassant mortalis tædia vitæ,
Ad Superas Sedes (esto *Columba*) vola.
Quid facis in terra, quando tibi panditur Aether?
Aliger huc pennas porrige, Nise tuas.
Te blanda Erigone stellantibus euocat vlnis;
Iam tibi scintillat fulgida Libra; *Veni.*

Tantò gratius ergo sanctiúsque
Nostri consilium datur Senatûs.
Quem rerum sapienter infimarum
Tædet; Syrce, tace, vola. Columbæ

Pennis

Pennis nitere, perge, quà mamillam
Nudans VRANIE, *viámque* pandens
Cæli lactea *lacteam*, sereno
In sugentia stillat astra nimbo.

Qui detestaris turbas peioráque Mundi
Prælia, quàm Cadmi viderit vlla seges:
Erige sublimes vultus, & ad æthera tolle:
Terra nihil pulcri, quod tuearis habet.
Tende gemens turtur Supera ad conuexa volatum:
Omnis habet pennas Mens animosa suas.
Quin LIBRAM librande petis? quam SPICA coronat
Virginis, & dulci sidere plena micat.

SCAZON LXXXIV.

Actum est, quietem nemo speret in terris.
O! qui caducæ Sortis, & quadrigarum
Strepitus forúmque, & cuncta vana fastidis;
Sustolle vultus irretorte sublimeis:
Vtque ales æthram Chaonis secat pennâ,
Transcende Cœlum patriámque Stellarum.
Vides: vt alma Virgo ventilat Spicam,
Manúmque tendit & coruscat. *accede.*

LXXXV.

Vidi sanctam ciuitatem Ierusalem, nouam descendentem de cælo, à DEO *paratam, sicut Sponsam ornatam viro suo.*
Apocal. 21.

Illic licebit ingredi
Summam SIONIS Arcem;
REGNVMQVE NEC MVTABILE,
NEC FINE TERMINANDVM.

Dies ORIÓN subмouet
Horásque supplicanteis;
Menséſque, quamuis ambiant,
Mucrone Lictor arcet.

85.

Dort ist das Schloß Sion genannt /
Hierusalem voll Gaaben:
Ein Reich gericht im besten standt /
Kein End wirds jemal haben.
Wächter stehn für / gleich bey der Thür /
Man last kein Stund einwischen:
April hinauß / Hornung bleib drauß
Mit deinen faulen Fischen.

Vrante.

Vrbem intrare cupis? Solymæ cæleſtis in auro
Mœnia fundatæ chryſolithóque patent.
In regno Rex eſſe petis? potiere petiti.
OSTRVM perpetui pignus honoris erit.
Extra anni ſoliſque vias eſt nobile REGNVM:
Quod nec Aprilis adit, nec mala pulſat hyems.
Ipſe roget *Maius* Zephyro comitante, repulſam,
Cinnama quantumuis ſpiret odora, feret.

Illic (nonne vides?) ſtat vrbs Sionis,
PACIS VISIO, Pacis. hanc petamus.
Bello nulla ſalus. Supra cometas
Stellis altius eſt perenne Regnum.
Extra mœnia ſunt Dies & Anni,
Et Menſes, malè feriata turba.
Veſtitu ſpoliata *nuptiali:*
Haut intrare ſinentur ad choreas.

Illic ſublimis Rupes Stellata SIONIS
Emicat, Angelicis Arx habitata Choris.
Cætera in Orbe rotat vertigo palatia in orbem;
IN QVADRO poſita eſt Vrbs Solymæa ſitu.

Huc neque *crine ruber* veniet, neque *lumine læsus*,
Nec *niger ore* DIES, nec *breuis* HORA *pede*.
Eius delicias olfecit Cynthia nunquam,
Cynthius olfecit: sed quid odoris odor?

SCENA.

Poëta.

SCazon ad astra subuehende, iuratus rixas cauebis. aurium nihil mota. nil fellis atri funde, nil leuis monstra Ciconiæ, nil dentis illius saui, Quo tot Poetas sauciauit Hipponax. Sublime quorum contueberis Regnum; nullo tenentur Vanitatis *à visco. Pro,* Vah! IO TRIVMPHE! *semper exclama Instar Deorum, nec merentur aut possunt, amarulentos sustinere Scazontas, ferire parce, ne potenter in terram deiectus vlules, sauciique Vulcani renoues probrosum crure pendulo casum. Nisi vtrinque claudicare Loripes malis. Caput pilosum nudus, ac verecundus, genúque supplex impetrabis accessum. ne scalpe rugis improbissimus buccas; neu pinse nasum; neu sonora ventorum imitare flabra murmurantibus labris. Sed os modestum gaudióq; dilutum, prabe vocanti basio* BEATORVM.

SCAZON LXXXV.

IO TRIVMPHE! Regiâ Sionæa
Potimur. ô quàm fulget ista cœlestis
SALOMONIS Aula! quàm decora, quàm nullis
Subiecta Fatis. VRBS perennis in *viuo*
Locata *Saxo*, damna Temporum nescit,
Nullóque circumscripta termino durat.
Nec caluus hortos Ianuarius tondet;
Nec torret agros igne Iulius messor.

LXXXVI.

Foris canes & venefici & impudici & homicidæ, &c. Apoc. vlt.

Non hic timentur *Attilæ*,
Non Balthici tyranni:
Nam quiſquis intrat VVandalus,
Miteſcit inſtar agni.
Abſunt procul ſicarij,
Et perditi latrones,
Diríque *Beſtiarij*,
Cruoris helluones.

68.

Kein Attila, kein Schwed kombt her /
Der zornig Trummel rühret:
Vnd was da seynd für Wandaler /
Wie Lämblein man sie führet.
Mörder / Blutschlauch / gantz wild vnd rauch /
Keck vber alle wunder;
Kriegsgurglen / Thier auff allen vier /
Die ghören all hinunder.

Quò neque vaſtator Mundi penetrauerit Hunnus
Attila, nec rapto VVandalus hoſtis equo.
Quòd ſi quis penetret; nullâ feritate timendus,
Depoſitóque lupo, mitis vt *agnus* erit.
Qui Diomedis equos ſatura ad præſepia ducunt,
Qui patriam vendunt, proſtituúntque toros:
Qui iugulos ſoluunt; quorum omnis, *Beſtia*, vox eſt;
Cum genero Cereris tertia regna tenent.

Inter-

Interdictum.

Ignauus timor exsulat; nec aurem
Hostileis *Elelen* sonans per agros,
Vel stridens *Alalala* verberabit.
Nec Sueci super irruent, *lupi ceu*:
Nam Mœris *prior* hos videbit Agnus.
Quisquis *Syllaturit*, paratus ipsas
Fixâ vendere nuptias sub hasta:
Cælesti procul Vrbe SVBMOVETVR.

Balthica nulla strepunt ad clausas tympana portas,
Nec peregrina mouet Suecicus arma furor.
Intus quisquis habet, genio mansueuit amici.
Talem si videas, esse putabis ouem.
Hinc procul arceantur, qui fletum vndámque calentem
Sanguinis, ex caluis vberibúsque bibunt:
Inter sandapilas & fæmineos vlulatus
Quærendi, & matrum funera, & ossa patrum.

SCAZON LXXXVI.

IO TRIVMPHE! non timentur hic Gotthi
Inhospitales, turbinésque GVSTAVI.
Esto; Hunnus intret. doctus antè rugire,
Mox mitiore blandus ore balabit.
Quicunque Iusti sanguinis vomunt riuos:
Scinis, Procustes, Turca, Thrax, Amurathes,
Phalaris, Perillus, belluæ coronatæ,
Plutonis *imo* collocantur in *plumbo*.

87. Et

LXXXVII.

Et regni eius non erit finis.
Luc. 1.

ÆTERNITAS obambulat,
Sanctámque cingit VRBEM;
Et Inquilinos *gaudijs*
Gaudentibus coronat.
Viuis pyropis Ciuium
Stellata surgit Aula.
ELECTVS *Horum* Viuere
Qui viuit, *Ille* VIVIT.

87.

Die Ewigkeit geht auß vnd ein /
Rund vmb die Statt spatzieren.
Da ist kein Zanck / kein Mein / kein Dein /
Ein Cron kan alle zieren.
Ein Saal darinn / den Seraphin
Vnd Cherubin vmbgeben.
Mit einem Wort / in disem Ort
Ist / Amen / gut zuleben.

Viuitur æternùm lætè. Deus omnibus illis
Imperium fœlix *& fine fine* dedit.
Exsultant plaudúntque animæ; ipsarúmque Animarum
Quas animent, aliæ GAVDIA sunt ANIMAE.
O Ciues, Ciues! O ius regale Quiritum!
Quis non diuitijs omnibus istud emat?
Seraphici Ciues, electi ex millibus omnes.
O ANIMAE! QVARVM GAVDIA SVNT ANIMAE.

Nemo TERMINVS hic vocatur. Vrbem
Florentem, sine *Termino*, gubernant
Centum gaudia summa gaudiorum,
O! quæ gaudia summa gaudiorum!


Mille ô gaudia mille gaudiorum!
Viuamus, mea Lux, in hoc recessu.
Viuamus, mea Vita, in hac corona.
Sanctorum pretiosa Mors, adesto.

Tempus ab indigenis, quod viuunt, dicitur ÆVVM;
Nec vitæ metas, nec ditionis habent.
Miraris, quid agant; gaudent. non quæritur illis
Sollicitè, *latas quid faciat segetes*.
Sponte sua crescunt, Saturni falce premendæ.
O! felix Campis Messor in Elysijs.
Namque vbi de meritis, glebâque ex vbere, tantùm
Læta seges metitur, VIVERE LAETITIA EST.

SCAZON LXXXVII,

Synonyma.

IO TRIVMPHE! *Sponsa* cum suo *Sponso* est,
Æternitatis ANNVLVS manus ambit.
O LAETA VITA! VIVERE ATQVE GAVDERE
TAM SVNT IDEM, QVAM CVSPIS, ENSIS, ET
MVCRO.
Magni QVIRITES, Christiana quos Roma
Transmisit astris Cælitum Senatores;
Illi beatæ Publicæ Rei præsunt,
Quæ vota vincit & *Platonis* ideas.



88. *Quàm*

LXXXVIII.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine Virtutum. Psal. 83.

Ibi *Venustas* pulcrior
Non excauatur annis;
Ibi *Iuuenta* lætior
Non læditur senectâ;
Ibi *Voluptas* purior
Nullos timet dolores:
Nec expauescit Martios
Palmata *Pax* fragores.

88.

Der schön da ist / bleibt allzeit schön /
Laßt nur sein Früling walten.
Keim Alten fallen auß die Zähn /
Dort grünens erst die Alten.
Sie frewen sich / frey sicherlich /
Vnd förchten gantz kein Schmertzen!
Ohn vnderschyd / ist lauter Frid /
Mars dörfft hie gar nit schertzen.

Quæ rosa sidereis in vultibus aurea vernat,
Nunquam cum *rosis* decidet illa rosis.
Perpetuum florem seruat iuuenilibus annis;
Nec tremet, aut vllo vespere fiet anus.
Puris ora fauis implentur. Dicite iusto,
Qvam bene: cùm semper gaudeat absque metu.
Classica, bella, foris strident. Pax intus amœna
Se redimit sertis; classica, bella foris.

Para-

Paradoxum.

Et sunt hîc *veneres* (Venúsque non est)
Et quæ sunt veneres, manent venustæ.
Et sunt hîc *Iuuenes* (senéxque non est)
Et qui sunt Iuuenes, senes videntur.
Et sunt *lætitiæ* (dolórque non est)
Quæ se lætitijs fruuntur ipsis.
Et PAX tuta suos (timórque non est)
Vestit *duplicibus togis* triumphos.

Quis decor æquabit florentia corpora Diuûm?
Quæ si Sol videat, protinus inuideat.
Quàm bene ter denis addunt tres insuper annos!
HAEC AETAS CHRISTI. pulcrior esse potest?
Quod iuuat, illud habent; nulli licet edere votum;
Ante tamen quoduis omnia habere licet.
Quidquid terret, abest. exacto Marte, triumphum
Cum diademato PRINCIPE PACIS agunt.

SCAZON LXXXVIII.

Genethliacon.

IO TRIVMPHE! certa, nec fugax formæ
Durat venustas, vt Carystium Marmor.
Coma, quasi Coruus, nigra floridæ Gentis,
Nullo senectæ destruetur à Cygno.
Ludunt in hortis Gratiæ, Voluptates
Castæ sonoras semper alluunt ripas.
CVM MARTE FESSO PAX IOCATVR AC RIDET;
Et per plateas *Allelnia* cantatur.

LXXXIX.

Et mors vltra non erit. Apoc. 21.

Ibi nec ardet ILIVM,
  Nec fumat vlla ROMA.
Gemmata propugnacula
  SECVRITAS tuetur.
Postes *Sacri Palatij*
  Sunt semper obserati.
QVOD POSSIDENT, HOC POSSIDENT;
  QVI POSSIDENT, BEATI.

89.

Sey er so keck / fang Händel an /
  Laß heimblich Fewr einlegen:
Kein Gwalt die Vestung gwinnen kan /
  Breda ist nichts dargegen.
Keim andern nit / auff keinsen Bitt /
  Thue man die Pfort auffschliessen.
Seligen hie verlieren nie
  Die Güter / der sie gniessen.

Topographia.

Sic deuuit: tutò tenet, æternúmque tenebit,
  Fixitas nullo fine BEATVS opes.
Nulla timent adeò Ciues incendia: Cœlum
  Empyreum, flammas non nisi Amoris habet.
Tam sunt securi, támque hostis ab igne remoti,
  Vt sibi nil metuat proximus Vcalegon.
AGNVS signauit portas adamante: nec Hirei
  Vllus eum soluet comminuétue cruor.

Arces Ausoniæ valete Troiæ:
Turres Dardaniæ valete Romæ.

Vos

Vos & viribus & viris poteſtis
Exſcindi, *ſenitáſque ferro ſtiua.*
Ad cæleſtia NEMO POST ARATRVM
VENIT RESPICIENS: nec vlla ciues
Vis turbare valet. minetur hoſtis.
CLAVSA EST IANVA. Clauis intus, *Atnuna eſt.*

Vrbs ſecura ſui. fallacem finge Sinonem
Turribus Iliacas ſubdere velle faces.
Nempe poteſt? nempe vllus erit? ſubnixáque gemmis
Mœnia, Troiani machina ſcandet equi?
Atqui clauſa ſemel, nunquam Bellona recludet;
Cœleſtes *ſapient* nec tibi *ſerò Phryges.*
Certa ſalus, ſempérque manu poſſeſſa tenetur.
Scilicet hîc tineas Purpura nulla timet.

SCAZON LXXXIX.

IO TRIVMPHE! nam parem ſitu, formâ
VRBEM, nec *Hector*, nec *Camillus* aſpexit.
Cui totus Orbis comparatus, eſt *nidus.*
E margaritis ſtructa candidis porta
Nequit arîetari, machiníſue pulſari,
Petíue ſcalis, turribúſue terreri.
Curule firma ridet omne tormentum.
QVOD POSSIDETVR, POSSIDETVR AETERNVM.

XC.

Ego oſtendam omne Bonum tibi.
Exod, 33.

VNO BONO, ſed OPTIMO,
Sed MAXIMO fruuntur.
Exundat immenſum MARE;
Venáſque *littorales*,
Ripáſque tranſit pectorum.
DVLCISSIMVM PROFVNDVM.

Por-

PORTVM tenet, qui *mergitur*:
Nam *fluctus* est AMORIS.

90.

Das einig Gut / das wahre Gut
Das beste Gut zudencken /
Sich wie ein Meer außgiessen thut /
Vnd reine Hertzen träncken.
Ein Meer sag ich / süß vber Milch /
Süß vber süß vor Freuden:
O / wol dem / der in disem Meer
Wirdt gar ein Schiffbruch leyden.

Finge Bonum quodcunque voles, & quanta cupido est
Finxisti? hoc *Melius*, hoc quoque *Maius* habent.
Oceanum iunge Oceano, vaga flumina ponto.
Iunxisti? hæc *gutta* est illius vna Maris.
Plena *voluptatis* spumat *torrente* procella.
Gaudia lacte tument, pectora melle natant.
Felix, ô nimiùm felix, hoc æquore mersus!
Insanit, qui vult hîc quoque naue vehi.

VNVM, (ô plurima!) possident BEAT.
VERVM, (ô dulcia!) possident BEATI
BONVM, (ô optima!) possident BEATI
SVMMVM, (ô omnia!) possident BEAT
Qui cœlo fluit effluítque *Nilus*,
Ripas delicijs inundat altè,
Et fundo caret; eius inueniri
(Haut est fabula) non potest ORICO.

Non oculus vidit, non audijt auris, & in cor
Nunquam descendit COPIA TANTA BONI:
Inque scrobem paruam citiùs maria omnia cogas,
Tyrrhenum, Adriacum, Carpathium, Siculum.
Hoc *Immane* BONVM non littore clauditur vllo.
Egreditur ripas lætitiísque *fremit*.

Dulcis

Dulcis Somne veni, precor, & me deijce puppi:
O Anchisiades, HIC PALINVRVS ERO.

SCAZON XC.

Cornucopia.

IO TRIVMPHE! *Verum, & Vnicum, & Summum*
BONVM, refusis fontibus super campos
Animósque fertur, cuncta Numine *inuolaens.*
Ingurgitantur pectorum sinus vastâ
Amœnitatis copiâ; supernorum
Dum gaudiorum decidunt catarractæ?
Latéque regnat delicata tempestas.
MERGAMVR OMNES, VT NATEMVS IN PORTV.

XCI.

In lumine tuo videbimus Lumen. Psal. 35.

Illustre LVMEN GLORIAE
In Mentibus refulget.
Quo NVMEN aspectabile
Medullitus videtur.
Soluta sunt Ænigmata,
Velamen est reductum.
Nullis Prophetis indigent:
Sunt singuli VIDENTES.

91.

Es wirdt die Sonn allhie zu Landt
Das Liecht der Glori gnennet.
Das schönste Angsicht der Verstandt
In disem Liecht erkennet.

Was dunckel war / wird alles klar /
Weit vber dMorgenröthen.
Das klainſte Kind / das dort ſich findt /
Waiſt mehr als all Propheten.

Sed quis deſcribat LVMEN, quod GLORIA donat,
Menſum ponderibus, GRATIA DIVA, tuis:
Quo FACIEM à nullo factam, velamine rupto,
De facie ad faciem MENS OCVLATA videt;
Infuſúmque bibit cum toto Numine cœlum.
SOL talis potûs vnica gutta foret.
Sat dixit, qui de diuino nectare dixit;
Sol talis potûs vnica gutta foret.

Circumdat, penetrat, coronat omneis
Regis Gratia, GLORIAEQVE LVMEN.
Vrbs ſpectacula ſemper intuetur,
Quæ ſummus facit EDITOR, ter Vnus;
Totúſque eſt Animus ſibi Theatrum;
In quo, ſipario videt remoto,
PVLCRVM GRANDE NIMIS, NIMISQVE PVLCRVM
PRAE QVO CAETERA PVLCRA SVNT SEPVLCRVM.

Per nitidas mentes diffundit GLORIA *lumen*,
Quo LVMEN maius ſplendidiúſque vident.
IMMORTALE, SACRVM, INFINITVM, ÆTERNVM, IMMENSVM,
LVMEN DE DVLCI LVMINE DVLCE, DEVM.
Omnia nouerunt; metríque *Ænigma* ſequentis
Soluere quiſque puer, quæque puella poteſt.
In cælo Vati locus eſt, (Solue Oedipe) *Vati*
In cælo non eſt (Oedipe Solue) *locus.*

SCAZON XCI.

IO TRIVMPHE! Quale LVMEN! ô quale!
Quantúmque Mentes *roborat* Beatorum?
Deus videtur in Sion, Deus, QVALIS
QVANTVSQVE GENERAT, CVMQVE FILIO SPIRAT.
Impleuit omnes gloriosa Maiestas.
Metam VIATOR comprehendit. ambages
Oraculorum nil moratur & linguas.
CONTENTVS VNO VIVIT VNICO VERBO.

XCII.

Non egebunt lumine Lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus DEVS *illuminat illos.* Apoc. vlt.

Calcant globum Titanium,
Lunámque vorticosam,
Altam Gradiuj lanceam,
Cyllenij galerum;
Errantis igneis Feminæ,
Iouem, Iouísque patrem.
Lambunt pedes Tonitrua,
Et supplicant Beato.

92.

Die höchste Gstirn / die vmbher gohn /
Ligen bey jhren Füssen.
Seynd jhren Herrn vnderthon /
Müssens all Morgen grüssen.
Sittsam / barhaupt / seins Gwalt beraubt
Steht Jupiter von ferren.
Wann er nit holdt / vil donnern wolt /
Ich main man wurd jhn lehren.

Subter anhelantes strident *Hyperionis* ignes,
Et vinci roseis *Luna* fatetur equis.
Inclinat galeam *Mauors*, cristásque remittit;
Mercurius prono dedicat ore iubar.
Emendata *Venus* blanditur sidere casto,
Paruula nec terret *frigidus* astra *senex*.
Natus inermis agit vacuas sine murmure nubes,
Vímque retorquendi fulminis ipse timet.

Hic verum reor id Maronianum;
Daphnis sidera calcat, astra Daphnis.
Scintillantia, *Luminosa*; calcat
Daphnis sidera, calcat astra Daphnis.
Siue *Erratica*, siue *Fixa*; calcat
Daphnis sidera, calcat astra Daphnis.
Siue *Immitia*, siue *Blanda*; calcat
Daphnis sidera, calcat astra Daphnis.

Inferiore viâ plantis Sol basia figit:
Quæ tamen ipsa nequit figere, Luna soror.
Bellipotens, iunctúsque comes Cyllenius Ales,
Sidera distantes ambitiosa mouent.
Quæ vaga cœlestes Pellex *effeminat* orbes,
Hæc cum Saturno victa recedit auo.
Iuppiter exambit *supplex* cinctúsque Beatos,
Si modò permittant, *lacte* lauare pedes.

Scazon XCII.

Io triumphe! clarioribus Diui
Supposta plantis, astra fixa despectant.
Citherea, Coniux, Falciger, satus Maiâ.
Famulatur *error* omnium planetarum.
Sol se fatetur vsque *septies* vinci,
Supplex Chorago Luna se suo *lunat*.
Iouis *ira* nulli noxios facit ludos,
Et cùm tonare vult, capit facultatem.

SCENA.

Poëta, Scazon.

Scazon. SCA. *Poëta.* POE. *Non gemis? reuertendum est ad Vanitatis orbitam theatralem.* SCA. *Eheu!* POE. *Sub auras.* SCA. *Quid minaris?* POE. *Ad terram.* SCA. *Ah! ad paludes pristinas, & antiquum Chaos, & laures, Seculúmque ferratum.*

Vbi nullus ordo, nulla mentio Pacis.
POE. *Vbi solus horror, sola mentio* Belli.
SCA. *Vbi nulla puro Templa Cynthio fulgent.*
POE. *Vbi fœda circùm sepit antra caligo.*
SCA. *Vbi nulla certis ducitur* Salus *bigis.*
POE. *Vbi sola spes est,* Spes *inanis & fallax.*
SCA. *Vbi* morbus *vrit &* Febroniæ *fornax.*
POE. *Vbi* Prætor *vrget & cruenta* Paupertas.
SCA. *Vbi* Ver *molestis corpus inquinat nimbis.*
POE. *Vbi fallit* Æstas *noxijs rubens spicis.*
SCA. *Vbi fabulosus ora fraudat* Autumnus.
POE. *Vbi* Bruma *quernas ructat ad focum glandes.*
SCA. *Vbi* Terra *cedit, & Calabrias sorbet.*
POE. *Vbi mergit* Vnda *cum rudentibus naues.*
SCA. *Vbi Crassus* Aër *liuidas creat pestes.*
POE. *Vbi sæuit* Ignis, *saxa sulphur eructant.*
SCA. *Vbi* Mors *timenda lubricam facit vitam.*
POE. *Vbi* Vita *sæpe sit timenda præ Morte.*
SCA. *Vbi* Cura *dulces pellit è toro somnos.*
POE. *Vbi* Somnus *ipse ludit anxias mentes.*
SCA. *Vbi purpuratis insidet* Scelus *sellis.*
POE. *Vbi pulcra curnos poplites trahit* Virtus.
SCA. *Vbi si quiescis, in quiete* terreris.
POE. *Vbi, ni quiescas, præ dolore* tabescis.
SCA. *Vbi sola* Vanæ *pompa* Gloriæ *stridet.*
POE. *Vbi rara* Veræ *forma* Gloriæ *floret.*
SCA. *Vbi* Fastus *vrsi, debiles premit caulas.*

POE. *Vbi cæde pingues stringit* Ira *mucrones.*
SCA. *Vbi culter ensi, fagus inuidet Cedro.*
POE. *Vbi se* Libido *scalpit, & tecur torret.*
SCA. *Vbi sunt gulosi, quos* Orexis *irritat.*
POE. *Vbi regnat Hydrops &* cupido *numerum.*
SCA. *Vbi* pigra *putri gleba stertit in fano.*
POE. *Vbi* Cræsus *instar gryphis incubat gemmis*
SCA. *Vbi pallet æger* Irus, *& petit micas.*
POE. *Vbi Diues omnes impudens* emit *villas.*
SCA. *Vbi pressus ære liberos Pater* vendit.
POE. *Vbi* Castitati *vis paratur occulta.*
SCA. *Vbi* Virgo *certat; rara certat & vincit.*
POE. *Vbi* mille *lenæ, mille transuolant scorta.*
SCA. *Vbi si petatur,* nulla *nascitur proles.*
POE. *Vbi non petenti* triste *vagiunt cunæ.*
SCA. *Vbi tot* Sigæos *vna decipit Dido*
POE. *Vbi Nupta* fictis *lachrymis viros effert.*
SCA. *Vbi Vir* cachinnans *mortuam solo mandat.*
POE. *Vbi per cerastas quæritur Reus* lucrum.
SCA. *Vbi tot venena* temperantur *in concha.*
POE. *Vbi tot lacertæ potione* miscentur.
SCA. *Vbi Mars habenas* laxat, *& fidem* rumpit.
POE. *Vbi de sepulcris* litigant *vagi Manes.*
SCA. *Vbi Proditores hinc & inde discurrunt.*

POE. SCAZON *quid horas perdimus? manus Fato Ca-lóque demus; & monente Naturâ, aduersa fortes corrigamus humana;* FORTES, FERENDO FORTITER: DEO *digna Men- & probata, cùm vocauerit Numen, redibit illuc De mar- Voluptatis sat prata iam bibére. claude manantes riuos: ab astris deuolutus in terras.* IO TRIVMPHE *mitte:* VAH *resu-mendum, &* AH, *&* EHEV! *vallibus nimis nota voces. A-damo consonant & vxori. Quæ flentis* Echus *ac gementis* EVAE? VAE.

XCIII.

Va, Va habitantibus in terra.
Apocal. 8.

Infra *Planetas* infera
Potenter attonantur.
Nostri maris Ceraunia
Cautésque verberantur.
A *plantâ* ad vsque *verticem*
Vix vlla sana Rvpes.
Vt infremunt! vt eiulant!
Opténtque *vallis* esse!

93.

Auff Erden schlag er dapffer drein /
Dort wirdts jhm niemand wehren.
Werff Ætnam ein / es kan wol seyn:
Die Berg mag er vmbkehren.
Stral / Welckenblitz / vnd Hagelgschütz
Sehr hart die Felsen klagen:
Wie jämmerns nit! wie brumlens nit!
So offt jhr Buckel gschlagen.

In quercus & monstra maris fabricata Cyclopum
Tela cadunt, Siculo raptus ab igne labor.
Quid magis accusant Ægæo in gurgite Nautæ?
Et qui Tyrrheno dant sua vela freto.
Semineces redeunt fractis ad littora proris:
Ipsa tonitrali sulphure saxa crepant.
Da vocem scopulis; clamabunt; *parcite nobis*
Fulmina. iam toti funera penè sumus.

Hic verum reor illud esse Flacci:
Discurrunt, *Feriúntque summa summos*
Monteis fulmina. Quæ tumultuosis
Subsunt nubibus, illa præ dolore

Strident tacta, furúntque, mugiúntque,
Fertur *Caſpia* concidiſſe cautes,
Et *Marpeſia* perdidiſſe coſtam,
Et trunco *Rhodope* labare vultu.

Improba frenatos equitant quæ FVLMINA nimbos,
Aſpera ſulphureis colla capútque iubis;
Infra cum ventis habitant, pontóque vagantur,
Et trepidos Nautas ad noua vota trahunt.
Deijcienda tremunt Maris Acroceraunia latè,
Contorto quoties crine triſulca volant.
Quàm non falſa canam, nouerunt grandia Cete,
Illorum in DORSO cuditur iſta *faba*.

SCAZON XCIII.

At vos in alto, vos miſerrimæ RVPES,
In queis tumultus excitant truces *Venti*;
Et Orgiorum feſta ſaltitabundi
Rotant trapeta; vos Iouis ſupra dorſum
Tonantis arma ſuſtinetis Ætnæa:
Vultus, & *ora*, *verticémque* contuſæ,
Ruptæque *cor*, & ſaxeum *diaphragma*.
VAH! Pindus omnis ignibus ſacris fumat.

XCIV.

Qui amat periculum, in illo peribit.
Eccli. 3.

Diſcriminum tot agmina
Per aërem feruntur:
Quot vere primo conuolant,
Et concinunt alaudæ.

Denſis

Densis pluit periculis,
Et grandinat sagittis:
Quarum *scopus* præfigeris,
Et meta destinaris.

94.

Der gfahren steht ein gantzes Heer
Mit auffgespannten Hanen.
Sovil Sandtkörnlein in dem Meer/
Deß will ich dich ermahnen.
Mach nur bald Füß / es thut gar Spieß
Vnd Helleparten regnen.
Du bist im stich / vnd trifft man dich /
Kanst dir das Bad selbst gsegnen.

Si numerare potes flores fragrantis Hymetti,
Innuba quos verno tempore carpit apis:
Tunc etiam poteris segetem numerare malorum,
Maxima quæ crescit; fortè *metenda tibi.*
Iussa iniussa, diu noctúque pericula, denso
Cum nimbo, in terras præcipitata ruunt.
Quo minimè credas, iaculum torquetur ab arcu.
Elige: nam fies aut *Scopus*, aut *Pharetra*.

Non efflas tot anhelitus vel ore,
Vel naso; neque tot pilis Iopæ
Criniti caput obsidetur atrum:
Quin discrimina plura te sequantur,
Incingant, comitentur, antecedant,
Pectus, terga, latus, capútque pulsent.
Vis, credo, numerum putare? cessa.
Vincet copia. *vingit his ephebis.*

Nec vigilas, nec aperta mouent discrimina rerum?
Vt conferta ruant vndique nonne vides?
Nec mare tot guttas, Libycum nec littus arenas,
Ouáque tot piscis, gramina campus habet.

Fulgurat ah! fulgur fors *dextra* tonitrua portat.
Intonat. ah! tonitru fulmina clausa gerit.
Fulminat. ah! quæ te Laurus seruauerit arbor.
Conde caput: lapidum ni scopus esse velis.

Scazon XCIV.

Res est periculosa, vita mortalis;
Res est severa, quaeque constet impensis.
Exibit Orbe, quisquis omnium nexus
Vitare vult discriminum. tot & tanta
Latent paténtque. *aperta* peruolant auras:
Natant in vndis *caca.* quà pedem tolles,
Hærebit vncus. post ephippium Curae,
Post transtra Curae, vbiq; Vah! striges Curae.

XCV.

Inueni amariorem morte mulierem,
Eccle. 7.

Contendit arcus stridulos
Salax puer Cupido:
Linítque succo spicula
Peiore, quàm *Nouerca.*
Tu fixus excussissimâ
Amas, furísque, cannâ:
Sed manè sentis Vulturem
In corde sæuientem.

95.

Von so vil Sig Cupido stoltz /
Ein Daußes vber dmassen.
Schießt öffter ein vergifften Boltz
Durch alle Weeg vnd Gassen.
Du wirst berührt / vnd gar verführt /
Vnd liebst das / was vergifftet.
Zu Morgens nagt der Wurm / vnd sagt /
O Gott! was hab ich gstifftet.

Ales

Ales Acidalius, ſoboles inceſta, CVPIDO,
Vellere cygnæo tectus vbique volat.
Væ Regno, cuius Rex eſt Puer iſte. ſagittam
Dirigit, & pharetræ *pondera blanda* iacit.
Lædor ais, lædíque iuuat: nil dulcius iſto
Vulnere: feſtiuo pectoris igne fruor.
Demens: ſi neſcis, fluidâ quæ Cypride putres
Dilaniet fibras, & populetur *Auis.*

Non crudos minitor Getas, viróſque
Natos robore. diſce PVSIONEM
Præuerti, toties (ſcit ipſa Mater)
Fornacis meritum calentis *vlmum*.
Hunc pſyllum fuge. Spiculum CVPIDO
Intentat; fuge: polluit veneno.
Hoc inſanus amas, bibíſque, & *ardes.*
HEV! CVR EST TIBI POENITERE TANTI?

Eſt aliquis lenoIthereâ pellice natus,
Aurea, & ex plumbo *leuia* tela gerens.
Ore Puer, Thrax ſæuitiâ, Mars robore, Parthus
Eiaculante manu, dictus *Amarus* AMOR.
Occidit, quemcunque ferit. nam pectora paruâ
Tangit acu, & verè pectora *tangit acu.*
Ah! quid amas mortem, gauiſus vulneris æſtu?
Cras pœnam Tytij Vulturis eſca dabis.

SCAZON XCV.

Audis? Iocari non licet. PVER telum
Fibris minatur. ſi receperis fixum,
Fixum eſt, periſti. Suxit aſpidum virus.
Furens calore Thaidos tuæ gaudes,
Et igne Cypri dulce vulnus *irritas:*
Sed mox ANVBIS *latrat* imus in corde;
ET donec ardes, ádque *Ianuam* ploras;
VAH! TE CVPIDO STANS IN ANGVLO RIDET.

XCVI.

Statue cultrum in gutture tuo, ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.
Prouerb. 23.

Conuiua quadrans discute;
Dapes *Olent* Auernum:
Ne saxa mandas ostrea,
Offásque *Claudianas.*
Iugulat Falerna Sardonyx,
Nux plena Massicorum.
Et gemmeis, & fictili
Potabis id, quod odi.

96.

Ist noch nit gnug / merck auff den Tisch /
Was dir der Koch möcht schicken.
In Knödlen / Nudlen / Fleisch vnd Fisch /
Kanst deinen Todt ein schlicken.
Vom besten Wein / kanst truncken seyn /
Drauff dStiegen aberfallen.
Für solchen Most / der souil kost /
Wünscht ich ein Wasserschnallen.

Nondum te monui, quanti conuiuia constent,
Mensáque suspectis insidiosa fauis.
Nonnunquam *hippomanes* coctum apponetur in auro;
Et quem *boletum* Claudius edit, edes.
Mustum bis *Stygiâ vappâ*, bis sulphure tinctum
Sæpe, licet nardo porrigit vncta manus.
Atqui damnares Bacchum, qui in poplite pestem,
Vel desperatum pectoris *vlcus* habet.


Ad convivia Principum vocatus
Cultrum apponito gutturi; vel ensis
Suspensi

SVSPENSI MISER EXPAVESCE SETAM.
Neu libes data liba. *Mors in olla est*,
Si libes; erit, OLLE, *Mors in Ollo*.
Pulli palpitat vda frons equinj.
Vuis dulcibus innatant rubetæ:
Has Ventres saturi mero cauete.

Ac quoties mensæ accumbens cœnaueris *Ouum*,
Dic tecum: venient iam mihi *Mala* mala.
Pro dape POLLVCIS, *pollutum* ab Erynnide sumen,
Gorgoneóque scatens crine vorabis olus.
Si tua fronte caret *meretrix sitis*, & bibit omnem
CELLAM: tandem etiam Colchica vina bibet.
A facie Colubri, gemmáque agitante Venenum,
Tutior inter aquas nat mea *Virgo sitis*.

SCAZON XCVI.

Fidens coronis omnium popinarum,
Edet bibétque, dum *vomat* BONAM MENTEM
Vitámque, potaturus obuiam Lethen;
In auro, in ostro, in vngula propinandam.
Caper stat extra poculum: stat hoc intra
Fortasse maior, & coniscat, & *fetet*.
Ipsum cerebrum si Iouis tibi Iuno
Apponat, *esse* parce. VAH! Venenauit.



XCVII.

Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Sap. 2.

At tu rosis circumdate
Viator in popina,
Dijs lætus indignantibus
Cuticulam saginas:
Ceu non foret CVM PLVRIMIS
Ad plurimos eundum:
Sed in *via* pes *Appia*
Probandus ad choream.

97.

Vnd aber du zechst nur deß baß
Auff bidten vnd auff borgen.
Saufst Nägelwein / vnd Hippocras /
Vnd last gut Vöglein sorgen.
Als wann kein Gott / die Höll / der Todt /
Der Himmel nur erdichtet:
Vnd wäre schon der Bottenlohn
Mit dantzen außgerichtet.

Interea Sybarita rosis & messe Sabæâ
Oblitus, in thalamo deliciísque cubat.
Iratis fruitur *Diuis*, ventrísque saburram
Commouet, & *totum* deuorat VNVS aprum.
Nam quid ei VIRTVS, quam censeat asse minoris;
Cui Styx, & pœnæ sub Styge, sint *apinæ*.
Primáque cui caussa est viuendi & *summa*, Voluptas;
Sistra, torus, speculum, forma, puella, Venus.

Quid lasciua gulæ fames pudendæ?
Emendatur enim? quid? efferatur


Satura-

Saturnalibus, & tomaculorum
Inter tympana spumat alba Venter.
Quando regnat hyems, Apicianis
Mappis induitur, voránsque sudat.
Audax & *vetulas* vocare *Parcas*
Ad saltum, præit immemor futuri.

At tu mollis Arabs, teneræque *Cuniculæ* pulpæ.
Luxuriose Bonae viuis in æde Deae.
Viuo hodie dicis: nam *Cras* vix Cornus habebit.
Gliscat, & è crasso corpore stagnet adeps.
Súntne aliquid Manes, & poma fugacia in vndis?
Lusus Sisyphiæ quis lapis ille pilæ?
Horrida *Cappadoces* in eremo prælia tentent:
Mars meus hæc mandat: *Viue, Ede, Lude, Bibe.*

Scazon XCVII.

Latè minamur. dantur interim bulbi,
Et ostreorum gratiosa putredo
Vngit palatum; despiciítque Conuiuas
Pauo leuatus; & Philoxenus sæuit,
Nigrásque Ranas Tartari, facit Ranæ.
Fvtvra lavdat, vtitvrqve praesenti.
Ceu nec videndus, nec trahendus à Fatis.
Vah stulte! nec sunt *Iusca* Fata, nec *manca*.



SCE-

SCENA.

Poëta, Scazon.

LÆtare Scazon. Pauidemus ex malo portum capacem. te Coronis exspectat. Iam panè tangis littus, & premis terram. S C A. *Quæ vota soluam? quæ lubens feram dona, per tot procellas verticésque ventósque appulsus, atque expositus! ô quibus sertis aplustre summum vinciam memor Scyllæ! concussa Nauis ima non semel fundo, effudisset intestina, ni mei longo pedis remulco pendulam retraxissem.* P O E. *Scazon: querela nascitur domi tecum. Vides: vt Ista nil morentur, & scindant vndas phaselu eleganter instructis. Non imprecantur fluctibus, nec accusant scopulos marinos. Si Neronis Euripus albo rubróque volueretur in vino: periculosos, credo, gurgites vltrò enauigandos Nauta magnus intrares, contemtor Alti pertinax: & ad thyrsum puppis sederes Bacchicæ velut Clauum. Pergamus ad celeusma pandimus vela. Incumbe remis. Cymba Virginum currit. Anacreontis expedita præcedit.*

XCVIII.

Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum Organi. ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt Iob. 21.

Festiua spumas Orgia,
Amystides lacessis:
Satur manu trementia
Pectis micante fila;

Stre-

Strepénſque Cypri cymbalis,
Niloticíſque ſiſtris,
Tecum negas *Aheneum*
Perire poſſe *Mundum*.

98.

Trage auff / ſprichſt du / vnd ſetzet nit /
Phaſanen vnd Baſteten.
Credentz die wirdt alls vberſchütt:
Drauff ſchlagt die Harpff Moteten.
Biſt guter ding / thuſt hohe ſpring /
Jetzt diß / jetzt das begehren.
Vnd mainſt / Herr Wirth vergeß der jrꝛt;
Die Welt ſoll ewig wehren.

Phaſiacæ volucres, & Phœnicopterus adſunt.
Cinnama nube pluunt, palmite vina fluunt.
Reſtagnant vrnæ: fidibus teſtudo ſonoris
Prouocat alternos pollice tacta pedes.
Eia, genas, *Veneris* pingamus *ſanguine*: quidquid
Calcatur pedibus, fiat odora roſa.
Omnia prata ſciant communis gaudia Maij;
Menſis hic æternus, ſicut & Orbis, erit.

Ergo iacta anima eſt. in omne Bacchi
Paſſu quadrupedante crimen itur.
Regales Pateras merum *coronat*.
In carcheſia plena ſe profundè
Mittit longa ſitis. Redux ab imo,
Ceu plebs in Phario canit Canopo.
Quo nil helleboro magis recenti
Curandum; *properare neſcit annos*.

LITTERA dat cœnas; ſubeúntque Tomacula, turdus;
Pulli, Perdices; Anſer, Aprugnus, Anas.
Sed LIBER *ſine lege* furit. Chia atque Falerna,
Sit modo Fabricij Conſulis vua, ſapit.

lám-

Iámque intrat Corybas, iam spirat tibia buxi,
Plauditur. in toto Vox sonat vna Choro.
Nocte bibo *totâ, redeunt* conuiuia manè:
Diuisum barathrum *cum* boue Venter *habet*.

Scazon XCVIII.

Acerra turis, est Apicio plenæ
Nidor culinæ. iámque Bacchus hauritur
Plenis culullis & capacibus trullis.
Oculis gulosis deuoratur emblema.
Sitiunt & aures, & bibunt, & arrectæ
Inebriantur *musteo* sono vocum.
Credúntque *Nunc* & *Semper* esse idem tempus;
Vah! Mundus est *in cymbalis*, & insanit.

XCIX.

Præterit enim figura huius Mundi.
1. Cor. 7.

Tarsense Vas oraculo
Diuiniore *tinnit*:
MVNDI FIGVRA PRAETERIT.
Aes personat *Corinthi*.
Audis? Figura præterit.
Audis? Figura Mundi.
Mundi figura perfidi,
Vani figvra Mvndi.

99.

Weit anderst klingt / was hell vnd klar
Paulus hat außgesprochen.
Die Welt zergeht mit Haut vnd Haar /
Was darff es jetzt vil bochen?

Hast ghört den klang / der Welt anhang
Zergeht: sie ist betrogen.
Die schlimme Welt / wems immer gfällt/
Verstuncken vnd verlogen.

Sed sistris *fidibusque* FIDEM præpono, Tubámque
TARSENSEM, longè clariùs ista sonat.
Labitur irreuocanda dies; *Mundíque figura*
Præterit. hoc ipsum quod loquor, inde venit.
Ede: figura quid est? madido quam pollice duco.
Qualiter in mensa picta stat Aula mero.
Ede: quid est MVNDVS, nisi plurima fraudis imago?
Formosis Facies circumamicta dolis.

Atqui non ita personare sacros
Vates audio. quippe PAVLVS infit,
Aures arrige pendulas. quid infit?
MVNDI PRAETERIT & perit FIGVRA.
Hoc infit. repeto: Cadauerosi
MVNDI PRAETERIT & perit FIGVRA.
Hoc infit. *Bona vox*: abimus ambo.
MVNDI PRAETERIT ET PERIT FIGVRA.

Tolle puer crotalos: nam PAVLI Sanctior *echo*
VASIS ab ELECTI, quod quatit, *ære* sonat.
Præterit instabilis *Mundi*, falláxque *figura*
Præterit. hoc vnum præterijsse nega.
Expende has voces: *Mundi*, falláxque *figura*,
Præterit. hinc disces: quid cupias, quid ames.
Vltima perfidiæ durat nota: regnat in Orbe
Punica *sola* fides, Punica *nulla* fides.

SCA-

 Omnes concurrite Momi:
Nam vult ridere Poëta.

SCAZON XCIX.

Procul profani, feminæque Curetes,
Exeste molles: *ad Corinthios primâ*
Electus Orbis Buccinator exclamat:
MVNDI FIGVRA PRAETERIT. perit vani
Figura Mundi. verte verba & inuerte;
Semper figura vana præterit, semper
Figura Mundi vana præterit vani.
VANI FIGVRA VANA PRAETERIT MVNDI.

C.

Curauimus Babylonem, & non est sanata.
Ierem. 51.

Cantantur hæc, Plorantur hæc,
Scribuntur & Leguntur.
Videntur hæc, Ridentur hæc,
Et lecta negliguntur.
CADVCA FLVXA VANITAS
Quanto paratur auro!
ÆTERNITAS dupondio
Non æstimatur vno.

100.

Man waint vnd singt diß zFeld vnd zHauß/
Man schreibt darvon eins schreiben.
Schreib hin schreib her/man lacht dich auß.
Vnd lasts beym nechsten bleiben;
Nach Vppigkeit vnd Eytelkeit
Thut Gold vnd Silber lauffen:
Die Ewigkeit vnd Seeligkeit
O Schand! will niemand kauffen.

Ist

Ista super studijs Hominum vitáque canentes,
Fleuimus in risu, risimus in lachrymis.
Quid prodest Vatem noctes iunxisse diebus?
Lectori bilem si mouet Oda meo.
Vana petens Vanus, vanis vanescit in annis.
Tantùm Nugarum est iam *pretiosa* sitis.
Sit cœlum cæli Domino, proclamat Avarus;
In Terris, hominum filius esse volo.

Hanc & Primus Anacreon canendam
Inuenit, cecinítque primus Oden;
Et fortes *Elegi* gemunt, & acer
Scazon exprobrat, & queruntur vno
Omnes *Hendecasyllabi* dolore.
Sed quid Mvndvs ad hæc? (quod antè) RIDET.
Vates, carmina, Veritas probantvr.
Nvgae, crimina, Vanitas amantvr.

Finio. Calliope lassum solare Poëtam.
Dum canimus, lachrymæ mœsta per ora fluunt.
Mens mihi præsagit; passim ridebimur: & quos
Edidimus Versus, hos quoque Momus *edet*.
Quid? si aliquis dicat: *Video meliora probóque*;
Sed mihi Vana placent, *Deteriora sequar.*
Ah! emitur Vallis lachrymarum plena talento;
Vno cum numo posset Olympvs emi.

Scazon C.

Cecini. canendo nempe plurimos moui.
Sed siue moui, siue fortè non moui:
Cecini, quod ipsa Veritas, quod & res est.
Cùm scala Cœli, cúmque Orionis prostet
Emendus ensis; pugio, nuces, pupæ,
Acus emuntur, sulphurata Iudæi,
Arundo longa. Vah! volubiles nugæ.
Vah! Vanitatvm Vana Vanitas. Vah! Vah!

Atque

ATque in hunc fermè modum, se habet tessellata Vanitas, à me explosa. Sed nouâ Vanitate, dices, quemadmodum Philosophus quidam, fastum Mundi nouo fastu, hoc est, suo calcasse fertur. Ita aio. nam & tu, qui hanc Vanitatem meam sugillas, aliâ nouâ, hoc est, tuâ Vanitate id facis. interim perueni ad metam cum Musis meis: quas in seipsas, vt vidisti, armaui. ODE *auribus Mundi infusa est. eam siue primâ nomenclatione voces Hecatomben; immolaui: siue Carmen Seculare; absolui: siue Certamen; certaui: siue vno verbo Poëma; componebam, faciebam, canebam; memor prisci Pictoris, & veteris sententiæ: Ego iam nunc statim cum Versibus meis exscendo, dictóque Eucharistico, & Vale, ex Campo me proripio.*

ALiquando tandē nostra nauis in portu est.
Egredere Scazon, & Liburnicam funda.
Terram tenaci dente mordeat prora.
Dum soluo Ludum, Symmachósque dimitto:
Imposta nostra vasa Nauis exporta.

An-

Auctor, finito Certamine, pugiles Versu collaudatos domum dimittit, cum vappa, fumo, & vanno.

Inprimis PHALEVCIA.

DVlces, HENDECASYLLABI, Sodales,
Quos tanto Genius potens amore,
Et Mentis facer illigauit ignis;
Vt multi numero quidem, ſed omnes
Pollux vnicus vnicúſque Caſtor
Sitis Vatibus, vnicúſque VERSVS.
Verſus cum violis roſíſque natus,
Verſus de caſia crocóque primo,
Viuens inter aues ſagaciores:
Aut nunquam moriturus, aut ſonoro
Cum Cygnis moriturus in Cayſtro.
Formoſi Iuuenes & elegantes,
Arcum ſoluite. pugna iam peracta eſt.
Quâ veſtrum cumulabo laude nomen,
Submiſsíque modeſtiam pudoris?
Docti plaudere Martialis *Iſſam*,
Et colludere *Paſſeri* Catulli,
Et Stellæ Paphiam ſequi *Columbam*!
Dignati modò peſſimum Poëtam,
Certamen ſubijſtis, aleámque
Phœbi iudicio periculoſam:
Nullis ſumtibus interim moleſti.
Contenti caſulâ, vnicâ feneſtrâ,
Mensâ paupere, ruſtico ſalino.
Quantò lautiùs Hoſpites haberet
Magnus SARBIVIVS; vel in vireto
BIDERMANICA Muſa Tuſculano;
Si noto citharæ ſono vocaret
Ad Conuiuia laureata, Romam.
Germanas ego (nam fatebor) offas,

Et

Et coliphia deuoranda luctæ,
Et me ſollicitum dedi Philæmoni,
Terræ munera. nec tamen notaui
Vllius faciem fuiſſe læſam.
Formoſi Iuuenes & elegantes;
Ætatis roſa, liliumque veris:
Præcox indolis ingenique ſpica;
Pulcri ſanguinis vua delicata.
Muſæ gratia prima mitioris:
Muſæ Delicium ſeuerioris:
Iam nunc ire domum licet. Viator
Si quis quæſierit: Poëta veſter
Vt viuit, macer ille, toruus ille!
Reſpondete, valet Poëta noſter,
Ac viuit, macer ille, toruus ille.
Hinc ſpes obruit vndequaque multas,
Scitanti, quid agit caducus? ÆVI
NOSTRI, dicite, DE TRIBVS CAPELLIS;
Me tot ſomnia ſomniare vana;
Et tot ſomnia ſomniare vera:
Quot Nox ſidera ducit ad choreas.
Quot ſe flumina diuidunt per Orbem.
Quot pennis liquidæ ſecantur auræ.
Quot Virgo Dea montium Napæas,
Quot Nymphas numerat marina Tethys;
Quot Nymphæ caput affluit capillis.
Quot telis pharetræ rubent Dianæ.
Quot veris Erythrea concha gemmis;
Quot fictis radiat Falerna vitis.
Quot Matuta iacit per arua guttas.
Quot calthas Zephyrus ſerenus efflat.
Quot Siluæ folijs virent Cadanæ.
Quot frondes apis vnaquæque tondet.
Quot flores apis vnaquæque carpit.

Ad magna amorum matris ELEGIÆ *gemellas filias Carmen Eucharisticum.*

VOs quoque Pierides, duplex ELEGIA, Poëta,
Cuius adornastis castra, valere iubet.
Vester ego vates. vestrum contendite vatem,
Cùm canitis, Musas inter habere nouem.
Seu dici pictis gaudetis Amazones armis;
Laudabit vestras Penthesilea manus.
Seu teneræ vultis nomen retinere puellæ;
Alba gerit vinctis Vtraque serta comis,
Vtraque victrici plantâ libauit arenam,
Scilicet ad numeros officiosa meos.
Parcite; decursu tamen haud reticenda notanti.
Hippomenes, quæ sit nunc Atalanta, scio.
Prima per Aoniam, rigidis maturior annis,
Cautiùs est nobis currere visa viam:
Inque palimpsesto rubrâ signasse lirurâ,
Semita quæ trito calle premenda foret.
Altera difficilis certâ statione teneri,
Quam dedit ipsa sibi lege cucurrit iter.
Nuda volauerunt sparsi per colla capilli:
Et poteram soccos sæpe videre pedum.
Sæpe etiam timui, dum vult audacior esse,
Ne fieret tactâ fabula turpis humo.
Tutiùs ô medio, clamabam, tutiùs ires,
Aurea quæ captas, deuia poma nocent.
O caue, ne gressum fallas temeraria saltu,
Fractáque curriculi destituere rotis.
Parciùs exagita Senium, mea Musa, sepultum:
Vatibus occurris quàm truculenta tuis!
Quid stringis gladios calathis assueta Mineruæ?
Non bene conueniunt viribus arma tuis.
Fuluia vulnificum vaginâ liberet ensem,
Ausa tuum Tulli figere Marce caput.
Aut Rosimunda suum contra galeata Maritum,
Inque venenato bis scelerata mero.

Proijce tela manu Soboles Genitricis amorum;
Vel geme, vel lepido carmine mollis ama.
De thyasis, & quod rixosum spargis acetum,
Si nescis, possunt Iste, vel Iste, queri.
Dico, queri possunt. verbis ignosce: queruntur.
Sunt, qui te doctam fortiter esse negant.
Sunt, quibus immodicè nugas videaris amare,
Et faciles sannas, difficilésque iocos.
Astiterat Momus, qui, dum spectator adessem,
Hæc nisi sit meretrix, fulmine tangar, ait.
Tangere fulmineo, dixi, sæuissime telo.
Virgineam laceras suspiciose togam.
Neutra timet castæ velari frondibus Aræ.
Aut Veneris sensit tacta calore faces.
Quòd quatiant pedibus terram: quòd lætior vna
Festiuos hilari misceat ore sales:
Id noua materies, meáque indulgentia, suasit,
Sanguis & in vena qui iuuenilè tremit.
An pereat! quicunque minax & semper acerbus,
Infesto teneras vellicat vngue rosas.
Si, quoties nitido deriuat gaudia vultu
Femina, continuò diminuatur honos:
Ne Diana quidem sit virgo triformis & insons.
Sæpe lauat corpus flumine, sæpe salit.
Quamuis cum Faunis versetur Oreadas inter,
Nuda tamen Triplex Gratia virgo manet.
Sic ego vos tueor, graciles, mea cura, Sorores.
Vester ero: Mater si quoque vestra mea est.
Dij melius. forsan me non amat illa, sed odit;
Et putat ærisonas non nisi velle tubas.
Ac citharis blandísque modis, fidibúsque relictis,
Sola cothurnato bella mouere pede.
Ominor: à vobis redeuntibus, vnde venitis?
Cur pharetram geritis tinctáque tela? petet.
Audito (perij) vel solo nomine nostro
Exspuit, & tremulâ plurima voce rogat.
Ecquid agit tetricus rabidi Iuuenalis alumnus,
Simia Papinij grande sonantis opus?

Sem-

Semper in arma ruit, sempar liuescit iambis.
Nunquam vult nostro mitiùs ore loqui.
Hic opus inuentis. Si quid mea vota valebunt,
Vos precor Aonides, dicite, Mater: amat.
Non est terribilis, qualem mala Fama ferebat.
Castalias placidi nauigat Amnis aquas.
Perlege, quæ mittit (dabitis, quod Epistola præsens
Continet) est certis scripta Tabella notis.

Ad Elegiam magnam amorum matrem ELEGIA.

Auctoris vindiciæ.

SI licet & fas est, fluxos Dea sparsa capillos,
Vndenis pedibus basia figo tuis.
Da mihi te facilem, neque sis inamœna Poëtæ.
Tam pulcram faciem non decet ira grauis.
Nec sum adeò tristis solitóque indignus amore;
Comis enim verbis & Macer esse potest.
Nec sic Virgilius, nec Statius vrit amantem,
Quíque suo florens de Stilicone canit:
Quin ferar interdum rigui Sulmonis in Hortos,
Scissáque Peligno vomere rura colam.
Et videam, mirérque focum mensámque Tibulli,
Quídue tuus vates Vmber ocellus agat.
Testor Pegasides, & te, nisi dura resistis;
Sæpius inuideo, quòd meruere legi.
Tu modò ne falso famæ nos crimine figas,
Et dicas alijs: iste proteruus homo est.
Contemnit molles Elegos humilésque myricas;
Et tantùm Thebas & sua bella tonat.
Crede mihi, patior facile & tolerabile Numen.
Mitior in nostro iam natat ore Deus.
Quod iuuat, amplector. Scio, non in montibus altis
Fraga, sed in viridi dulcia valle legi.
Arma canant alij, stringántque ad classica ferrum:
Pacis ego Charites blandáque castra sequar.

Non ea, quæ Cyprius ponit damnosa Cupido,
Montis in Idæi conspicienda iugo;
Qualia sed Solymam sapiens Hermannus ad Vrbem,
Inque Palæstino Belga locauit agro.
Discedant Galli, lasciuáque turba Catulli.
Hos sua flamma coquit. me meus ardor habet.
Sanctior in nobis calet & formosior ignis;
Nympha suo vultu quem Galilæa mouet.
Casta decent Vates & Sobria vota togatos;
Vt Cygni cantus, sic niue lota manus.
Credis? olorinâ scribentes vtimur alâ.
Qui dedit hunc calamum, suauiter ille canit.
Tam bona sis vtinam, similíque infecta colore,
Quàm sit vel Vatis penna, vel huius Auis.
Flectere Diua, precor, vultúmque aduerte petenti.
Auspicijs liceat nectere verba tuis.
Quæ numeris modulata nouis, lachrymísque rigata,
Includat phialâ Parthenopœus Amor:
Et tibi pectenti discrimina mille comarum,
Offerat ad speculum, florida dona, tuum.
An dubitabis adhuc fidei te credere nostræ?
Heu mihi! sollicito pectore multa times.
Obijcis ignaui temeratam crimine fastûs,
Téque tribus lustris displicuisse mihi.
Displicuisse? metus nisi sit vanissimus iste;
Effluat è digitis candida penna meis.
Dirigeam totus; quæque est ad tempora Daphne,
Siqua viret, nullo serta mouente, cadat.
Tympanáque & bouis accrescant palearia pinguis,
Vtque saginati ludat imago popæ.
Quod tamen è medio surgens Agathyrse sepulcro,
Scis, quâ detester flebile voce malum.
Sed quibus accusor caussis, quo iudice damnor?
Qui reus ex culpa est, se sciat esse reum.
Papinium verso torquentem nubila cantu.
Lux mea: cur dici Papinianus amem?
Me Iuuenem, fateor, rapuit Cadmæa Iuuentus;
Magnus vbi Tydeûs pro Polynice furit.

Lucani

Lucani lituos Ciuilis gloria suásit,
Cúmque suo Genero qui Socer arma tulit.
Corduba iactauit Senecam, voluítque cothurnos
A me laudari prætereunte suos.
Fecimus hos magni. sed adhuc tua gloria salua est,
Audiat ipse licet me stimulétque Maro.
Ah! quoties mecum repetens, quid Marcia Bruto
Dixerit, optabam te potuisse loqui.
Ah! quoties, cur non Phædram furiauerat Exsul?
Quem tulit Euxini nauis iniqua maris.
Ah quoties! nunquid non eius flammea Dido,
Certabit flammis, Mantua docta, tuis?
Mincius & Sulmo, vestros confundite fontes.
Pegaseos latices flumen vtrumque vehit.
Audio, quid dicas: cur non gemis ipse, modísque
Imparibus ludis? si gemuisse decet.
Nitimur in vetitum. Cassandram plangere iussus,
Risero, ridebunt, me lachrymante, ioci,
Propositis sistris, fortasse Agamemnona tentem.
Auferet oblato carmen Achillé Paris.
Cúmque Iouis Volueres alijs agitare videbor,
Mensuram Citharæ parua Columba dabit.
Nec semel aut iterum, sed sæp:ùs impare versu,
Materiâ questi conueniente sumus.
Dúmque meas Helicon curas conspexit ad Oenum,
Obstrepit assiduis pons vbi mersus aquis;
Purgata est Veneris monstro Bethlemia Rupes,
Pérque Tyrolenses fleuit Adonis agros.
Intumuere nouis stagnantes imbribus amnes,
Et planctu valles insonuere cauæ.
At cessasse nocet. Mea lux: quis semper easdem
Vnus oberrabit percutiétque fides?
Ipse tamen Phœbus nunc his, nunc vtitur illis;
Diuersámque Chelyn Pastor & Augur habet.
Vt taceam turbas, & nostri sæcula ferri,
Agmina morborum, funereámque luem:
Ista truces faciunt animos, & ad horrida ducunt,
Et vellunt hederas, mitia signa, comis.

Adde: quòd ipse mei non sim, dulcissima, iuris.
  Scribo, quod ille iubet. canto, quod alter amat.
Seu iubeor festas sponsis attollere tædas;
  Assurgit casto pronuba flamma toro.
Seu segmentatis vagitum sistere cunis;
  More tuo, Corybas, cymbala pulso manu.
Siue Ioui nostro surgentia condere Templa;
  Cogor, vt Amphion, ædificare Lyrâ.
Prælia quòd cecini de Muribus aspera; non hæc
  Nostra, sed alterius dira cupido fuit.
Iephtiaden dedimus, populo spectante, rogati.
  Illa quoque armatæ vota fuere preces.
A Duce sic miles, sic Dux à Rege rogatur.
  Non fuit ingenio libera Musa suo.
Sed dedimus Scenas, & scripta Tragœdia visa est,
  Adgemuítque suo Victima Virgo Patri.
Cur autem stomachum moueat tibi triste Theatrum:
  Pænè modi tragici sunt, Elegia, tui.
Tu varias animos. Ex te nascuntur amores.
  Femineum genus est Spes, Timor, Ira, Dolor.
Quo magis affecto lepidas tentare Camœnas,
  Dulcia tristitiæ gaudia mixta meæ.
Tantùm blanda faue. posthac culturus amicam,
  Prosequar & Thymbrâ Castaliísque rosis.
Vnica mulcebis nostros Elegia labores.
  Qui dolet vt cantet; mitiùs ille dolet.
Vt mihi non desunt vnquam mala plura ferenda,
  Sic quoque non deerunt plurima flenda mibi.
Tu partem lenire potes, tu sistere curas,
  Tu luctu pluuios fallere sola dies.
Ludemus pariter, paritérque mouebimus auram,
  Quæ strepit ad Clarium relligiosa nemus.
Et modò describam Nasarenæ Virginis ignes;
  Præ qua non Phyllis, non Amaryllis amat.
Et modò narrabo. Quid non narrabo? sed obstat
  Copia: narrabo, quæ tibi cunque placent.
Tecum & delicias, & quæ jam dicere nolo,
  (Non nisi Nos soli nouimus illa) canam.

SCENA VLTIMA

Siue

EPILOGVS

DE

VANITATE MVNDI.

Poëta, Scazon.

A Pluſtre Scazon floribus coronaſti?
Res extuliſti? ſtat carina fundata?
Sca. Mandata, ſicut vina Bacchus, exhauſi.
Poe. Amande Scazon & tremende non paucis,
Cum quo tot annos ſpiritúſque decoxi:
Age, ſub comante populo (vides Nymphas
Abijſſe) conſidamus. Olpa procumbe.
Sca. Scazon ſedere neſcit. integer, totus
Quantúſque viuit, viuit iſte Pes *ſtando*.
Poe. Et ſtare poſſis, qui pedes habes ſeptem
Sca. Sex nempe. Poe. Totus. Sca. nempe. Poe.
Quantus es, monſtrum es.
Sca. Vah! ipſe memet, credo, funditùs noui.
Poe. Tremis & vacillas. Si quis vſus eſt quintæ
Rotæ in quadriga? & ſeptimo pedi, Scazon,
Erit. Sca. Anne cæcus Abderita ſum factus!
Poe. Numerare noſti? Sca. Quippe ni? Maris guttas
Etiam, & virenteis, ſilua quot comas profert.
Poe. *Conchyliata diluêre gutturem ſputa.*
Quis iſte verſus? computa. notas monſtrum?
Sca. Dehiſce tellus, & profundâ Scazontem,
Si qua eſt ſub imo Acheronte, vallis, abſorbe.
Et tu tremenda, tu ſecuris Anglorum,
Quæ capita Regum ſcindis, hunc pedem trunca.
Cum laude facies iſtud. Poe. Olpa procumbe
Ocreáque latâ dedecus tuum cela.
Sca. Sed ſiue mandes, ſiue roges; tamen ſtabo.

Poe. Sca. me quietum laſſitudo componit.
Confabulemur: miſceamus vtrinque
Sine fraude ſenſa. grande mentis arcanum
Et dulce pando. conſciùs ſacramentum
Animus volutat. Sca. Quod volutat, exprome.
Poe. De Vanitate multa luſimus, Scazon.
Sca. Et plura multis. Poe. Vanitas inaurata,
Et hæc amara eſt. Sca. Credo. nam ſubeſt fucus.
Poe. Faſtidioſa ſæpe. Sca. Fare, quò tendis?
Poe. Laborioſa. Sca. Cur caput ſcabis læuâ?
Quo vergit anceps mentis anxiæ libra?
Poe. Aiunt Poëſin, ſerta cuius ambimus
Frondoſa, Vanitatis eſſe nutricem.
Quòd ſi Poëſis Vanitatis eſt Nutrix;
Statui remiſſis abdicare me Muſis.
Sca. Priùs per hortos & ſoluta buxeta,
Mari relicto, ſe mouere Delphinas
Cernam, fretíque Punicos Magellani
Innare barros fluctibus. Quid expreſſit
Scelus hoc? reſorbe. Poe. Non reſorbeo. Dixi.
Sca. Quæ Dædalea remigem ferat cera!
Aut belluoſi taurus ad ſali fines,
Inter frementem portet Æoli turbam!
Deliberaſti? Poe. Non ſemel. Sca. Diu? Poe. Sæpe.
Sca. Diu? Poe. Senatu plurimo. Sca. Diu, quæro.
Poe. Quot luſtra poſcis? Conſili mei partes,
Non Maius vnus, aut December abſoluit.
Sca. Quis auctor? Poe. Adſum. Sca. Neſcias, quid accuſes.
Succumbo famæ. Lancinat pedem ſpaſmus.
Si te rogari ſuſtines ab antiquo
Scazonte ſeruo: mentis improbæ muta
Ferale fatum. Poe. Fabulam canis ſurdo.
Me dura Virtus obſtinauit in marmor.
Priùs Zazynthus colliqueſcet in flumen;
Dabitúrque vallis altior ſuo monte,
Serpénſque ceruo fidet, & cani ceruus,
Canis leoni, territus leo gallo.

Sca. Tam contumaci mente! durior ſaxo
Non mollieris, nec moueberis fletu
Nouem Sororum? quid Thalia, quid Clio
Eratóque dicent? mœſta Pieris ſparſos
Effuſa crineis, qualis atra Iocaſta,
Per tela vadet & per hoſticos ignaeis;
Te voce quæſitura, te citatura
Clamore magno. Poe. Méne Serue derides?
Vt quem decoro nulla ſtrinxerit vitta
Laurúſue nexu, me Deabus argutis
Fuiſſe cordi non tenerrimo credam!
Et his Puellis maior eminet naſus,
Ac ſe ſagacem quæque nouit & doctam.
Sunt & ſuperbæ, felleíſque ſarcaſmis
Vexant alumnos. fortè dicet Evterpe:
Euax! abiuit longvs iſte Germanvs,
Exceſſit erupítque feſſus, & noſtram
Purgauit Aulam. quas moleſtias toto
Hæc Vmbra tractu temporis faceſſiuit!
Cùm manè portam Porticúmque Parnaſſi
Pulſauit ingens: ſæpe ſimplicem riſi.
(Bis, vt notaret.) ad cubile deduci
Noſtri rogabat & ſacrarium Phœbi:
Vt inde Vates laureatus exiret.
Quis Allemannis expediuerit χαῖρε?
Quis impolitas expoliuerit linguas?
Quis dederit artem gratiámque fingendi?
Algentis Æthræ filij, maritante
Septentrione frigidæ ſinum terræ,
De tabe Brumæ Stiriíſque concepti,
Vt igne flagrent, quo calore ſoluentur?
Quis excitabit? vnde carmen accendent?
Quas entheatæ mentis exſpuent flammas?
Tuſci Latino temperantur à cœlo.
Tuſcis Falernæ ſanguis integer Vitis,
Plenam Lyæo maſculo replet venam.
Hiſpana pubes Sole Patrio plena,
Sanctos furores Delphicâ bibit conchâ.


Teuton lacunam potat hordeo coctam.
Quot ille Venter spumet aureos versus?
Qui maceratis frugibus saburratus,
Velut Suëuus messor allijs turgens,
Fuliginosis fæcibus, sitim mactat.
Sca. Prô! insolentes quas imagines rerum,
Quæ monstra formas? tam libet tibi falli!
Per dulce quidquid & sacrum fuit, tandem
Omitte somniare. Cyrrha Germanis
Semper patebit. Poe. Nunc & obstrui possit,
Me non vetante. Sca. Stat, sedétque tam certò
Abire. Poe. Certò Sca. Spreto Apollinis sceptro?
Poe. Quo pascit agnos. Sca. Spreto Apollinis plectro?
Poe. Quo ludit hædis. Sca. Spreto Apollinis Templo?
Poe. Aranearum. Sca. Spretâ Apollinis laurò?
Poe. Exarefactâ. Sca. Spreto Apollinis fonte?
Poe. Siccâ palude. Sca. Si fugis, time saltem
Scutum Mineruæ, Gorgonémque prætentam;
Quâ nunc obumbrat Limen, & tuas pigro
Pedes rigore detinebit implexos.
Sed finge, nullas Palladem moras sparso
Assibilare crine: quam viam carpes?
Quid ages solutus vinculis Poëtarum?
Poe. Negotiosus otiabor in libris.
Priuatus altùm dormiam. velut Sylla.
Sca. Quis tecta pandet hospiti Reo? Poe. Mecum
Habitabo; felix, inuolutus hac pelle.
Quâ veste, quid dant amplius tuæ Musæ?
Sca. Diadema florum. Poe. Quos capella detonsos
Absumat vno prandio. vir hircosus
Contemnat, vdâ flaccidos terens barbâ.
Ad alta Scazon, euehamur erecti.
Sca. Quid altius fert Terra monte Parnasso?
Poe. Sunt turba Vates esurire damnata.
Sca. Dij cura Vatum sunt, & hi Deûm cura.
Poe. Mordere malim fraga, quàm tuam Laurum.
Sca Et si quis est Philoxenus, bouem malit.
Poe. Sunt tot Poëtæ, quot fuere iam sturni.

SCA. Vix tot Poëtæ, quot fuere Phœnices.
POE. Pauci sequuntur Patris Ennij castra.
SCA. Ad aratra plures vomerémque sunt nati.
POE. Dicuntur insanire, qui canunt. SCA. Certum est.
Sed sapere tunc vel maximè, haud minùs certum.
Quod vile vulgus nescit, & stupent visi.
POE. Leuis est negotl, verba concatenare.
SCA. Cadauerosa, brutá, lusca: concedo.
POE. Quæcunque; siue pulcra, siue non pulcra,
Limosa Nilo, siue lota Pactolo.
SCA. At non sub illis si reconditur Numen,
Et ex Sibyllis fata spirat afflatis,
Supráque nubes mentis alueum gyrat!
POE. Accedit horror seruitutis immanis.
Coguntur eiulare, quando ridendum;
Ridere, quando flere suauiùs mallent.
Quâ Vanitate nil acerbius vidi.
SCA. Id nemo prærer Sabbatharios credat.
POE. Id constat Orbi. SCA. Scilicet. POE. Puer vagit;
Vagi Poëta. fer papauer admorsum.
Plorat puellus. I. Poëta complora,
Madidúmque rostrum mœstus applica cunis.
Motu creetur dulcè somnus infanti.
Infunde cantum tempori soporando.
Expergefacto melleas para pultes.
Ni vapulare laureo velis fuste.
Quòd si calentes Nuptias Hymen nectat,
Suóque Iuno tertiùm Ioui nubat:
Ades poëta. verna serta compone.
Accende pinum, missiles nuces sparge.
Toríque sacris cinge vinculis fulcra.
Pomponij trabalis ingruit pompa?
Poëta, soccis socculísque velate,
Sis Pantomimus noster, & sales pinse.
Exsculpe Spectatoribus tuis curas:
Totóque vultu in histrioniam verso,
Buccis sonoros Æoli moue risus.
Decessit Hic aut Ille? dicit extincti

Irrisor Heres: verbera colu Parcas.
Cur rupit immatura fila? (sors ridet,
Tacitè iocosus in sinu Crumenarum,
Lachrymásque fingit) da nigerrimo scriptos
Carbone versus. vende quid dabis? numum.
Et non trientem turpis Euclio? nullam
Ex asse partem? vel Charon reclamabit.
Quid ad ista Scazon vano, naris obtusæ?
Stupescis instar bubali, cui cornu
Fregit securis, aut adulter obnixus.
Sca. Et me loquentem, si vacabit, ausculta.
Sermonibus sum plenus, & coarctat me
Vteri tumentis spiritus. meus venter,
Vt dulce mustum, quod laguncul am rumpit.
Quid est ab omni parte tam sacrum & sanctum
Aut tam beatum liberúmque mœrore?
Nullos vt vnquam sustinere cogatur
Patíque maneis. ánne sola pistrino
Damnata sit Poesis, vt molam serua
Recincta verset! omnium est idem fatum
Scientiarum. nulla non habet rugas,
Gemítque parturítque duriùs Ceruâ,
Et obstetrice Vanitate fit Mater.
Mathesis astra spectat, & globum Lunæ,
Periculoso fixa lustrat obtutu.
Excentricísque Centricísque suspensa,
Noctes fatigat, & simul fatigatur.
Tremens & algens ad niuosa sarraca
Tardi Bootæ, tussiente Saturno.
Fædata cuius frigidissimis sputis,
Caput reducit machinásque Tychonis.
Sophus Ambulator iam comas manu vellit,
Iam labra mordet irruens Stagiritæ
Lumbis: vt exploretur vnicæ verus
Recalcitrantis *Syllabæ* Parens *Arles*.
Quid? cùm laborant nauseántque ieiuni,
Euiscerare semper exta cancrorum,
Crustis apertis, spe cadente delusi,

Quâ pinguiorem deuorauerant bolum.
Quàm vile, dixit ex Fatentibus Quidam
Interrogatus, vile ſtramen incido.
Premunt dolores interim, coloréſque
Vero latenti, qui ſupernatant, quærunt
Olim repertos, milliéſque detritos.
Iam ſi Duelli pugna feruet indicti:
Iactantur haſtæ, ferreæ tonant voces.
Subſelliorum nutat & Cathedrarum
Percuſſa quercus. mugit areâ totâ
Turmalis Echo. *Sic Probo Nego Verum eſt.*
Falſum eſt. Probàtur. Senſus Antecedentis
Probetur, hoc negatur. Antè conceſſit.
Non cogitaui. denſa pulueris nubes
Conſurgit euolantis à pauimento.
Credas frementem congredi Phrygem Turno.
Aut ad cruore ſtragibúſque Nördlingæ
Fumantis arua, Martis arma conuelli.
Poſtquam calore prouehente conflictum,
Sunt eruditè fortitérque nugati:
Dantur manus; & Vterque victor abſcedunt,
Monſtrántque doctas omnibus cicatrices,
Et vultuoſas complicantur in rugas.
Ceu vniuersâ Græciâ triumphatâ,
Turcis ſubactis, plena plauſtra Lunarum
Poſt terga vectent, militéſque capteiuos.
Sed & plateas per forúmque monſtrati
Clamant apertâ voce: Sic honorantvr,
Qvos Vanitas Regina vvlt honorare.
Quantò Poëta digniùs ſub æſtiua
Bellatur orno: ſiue bella deſcribat
Phlegræa, Diuis & Gigantibus nota;
Seu quæ Philippos ciuibus cruentârunt;
Seu Noſtra, quæ miratur ipſe Gradiuus:
Se quando vinci non fatetur obſcurè.
Poe. Scazon: Pachynum Corſicámque ſaxoſam
Mouere tentas. ore multa conſueto
Suades & ampullaris, vt tubas inflem,

Cædéque campis digeram superfusas;
Penitúsque diris spiculis capillatos
Intrem Cometas. finge velle: quî possim?
Vigor iuuentæ verna Lustra consumsit.
Ætatis æstas iam labantis inclinat.
Tepor calori substitutus obrepsit.
Macie timendâ Manibus cauas diepr
Pulsare tumbas. Ossa desinunt necti:
Oraculorum quot ligauero torques,
Soluendus Ipse! Tempus & Quies desunt,
Locus & recessus. littus ille proscindit
Melitæ catello, seminátque per tophos,
Qui destitutus hisce prærogatiuis,
Imbelle carmen & senile luctatur.
SCA. Vbi ergo Nox est illa, seu Dies nota!
Quâ, cum citabas buccinæ sono Verba;
Mox agminatim, quà sequi iubebantur,
Tentoriorum de cubilibus mota,
Sonora, Magna, Parua, pulcra, cristata,
Cataphracta, mœsta, læta, crinibus torta,
Venêre dictæ Legis ad sacramentum:
Ceu morte punienda, si retardassent.
Pars impedita subrubentibus soccis:
Pars in cothurnis, pars equis, in hostiles
Munita turmas lanceísque, peltísque.
POE. FVERE TROES. Ilion stetit, Scazon.
Fuisse crede, quem secutus es, VATEM.
Ego te vocans ad calceum manu mitto,
Et liberum pronuncio. Refer Musis
Hoc inuolucrum litterarium.



IACO-

IACOBVS BALDE

Diuis & Deabus in Monte Heliconis.

O Scâ ſcribo plurimùm linguâ, veteri ſtylo. ne per licentiam belli vagantis intercepta, militum prædæ ludibrióque diſpaleſcat & volgo. Diu, quod ipſæ ſcitis, & probant anni; iam ſeruio, fuique veſter ambactus. amuſſitaui tempori meos Verſus. clinamen huc trahebat & virens Daphne, quæ ſubligandus crinibus verecundè alludiabat, méque virgo quæſebat. Sueſactus Odis, multa metra deraſi. Sereſco nunc, totúſque frigeſactatus, ſufflaminari me noto. nihil venæ adproſperatur vndequaque ſcrupoſæ. quis ſcita ſcitamenta ademſit, ignoro. Conlabefactus tot laboribus, cantu rauaſter, haud nenuqueo reſignare. Fortaſſe petroſic videbor agreſtis, & tonſitandus: méque, quod fidem fallo, Elegia protelabit. hoc volim. nemo poterit retraxe. iam recuſo ſirpari. ſeu ſirit hoc Apollo, ſiue non ſirit. Viaticatus ſum. Valete.

Subſcribo

Olim quidem

Poëta veſter in Phœbo.

Sca-

SCAZON.

Lachrymose Scazon: hanc Epistolam Musis
Afferre sustinebis? ite rorantes
Per ora guttæ, méque prorsus in flumen
Mutate; nec cessate, dum *fluat* VERSVS.
Hoc ergo campo, quem Poëta calcauit,
Meúsque Dominus pressit, obsequar fatis,
Moriturus vnâ. VANITATIS exemplis
Inscriptus, Inconstantiæque sub Luna
Labentis; ecce defluens in ignotum
Conuertor *Amnem* pullulantibus neruis
Reuocabo laudes Acidis. pili manant,
Soluuntur artus. Vasta planta, fit torrens.

HEIC. ô VIATOR. SISTE.
QVEM. VIDES. STANTEM.
FVIT. POETAE. CARVS. ALSATAE. SCAZON.
SEMPER. FIDELIS.
DVMQVE. FATA. SIVERE.
DE. VANITATE. MVLTA. QVESTVS. HVMANA.
MORTI. SVAE. PRAELVSIT.
OCTIES. CAPTVS. EVASIT.
A. CERVICIBVS TER. AVERTIT. GLADIOS.
HERVM. BIS. LIBERAVIT. A. MORTE.
AD. VLTIMVM.
DESERTVS. EXSVL. EXTORRIS.
SVO. SVPERSTES. ESSE. NOLVIT. VATI.
QVEM. DILIGEBAT.
PRAE. DOLORE. PLORATIS. OBMERSVS. VNDIS.
HEIC.
VT. INDOLES. POSCIT.
MORE. STATVARVM. LACHRYMANTIVM.
STANS. STAT.

FINIS.

Cum facultate Superiorum.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

Gale-

Phidias

EMEN-

EMENDATA.

Fol.16. l in german. v.7. der groſſe Riß!
Fol. 86.v. 28. l. Barbaï.
Fol.91. l. in german. v. 5. Wer iſt der wiß.
Fol 109 v.15. l. fremit.
Fol. 152. in vlt. linea ſcena l. vocauerunt.

Cætera minoris momenti cuiuſque diligentiæ relinquimus.

Typum Vanitatis impreſſæ correxit
AVCTOR.
Expreſſæ corrigat LECTOR.

MONACHII,

Typis LUCÆ STRAUBII.

ANNO *M. DC. XLIX.*



Sumtibus

IOANNIS WAGNERI

Bibliopolæ.

